ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ANNUS XXV - VOLUMEN XXV

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXXIII

IH"

Annus XXV - VoL XXV 30 ianuarii 1933 Num. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

INDETIO ANNI SANCTI EXTRA ORDINEM AC GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI UNDEVICESIMO EXEUNTE SAECULO A PERACTA HUMANI GENERIS REDEMPTIONE

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod nuper, sub Iesu Christi nati sollemnia, non modo amplissimo Purpuratorum Patrum Conlegio iisque omnibus, qui faustorum ominum causa Nos convenerant, sed universo etiam catholico orbi nuntiavimus, id ad effectum deducere properamus, Annum Sanctum extra ordinem scilicet indicendo ac generale maximumque Iubilaeum, undevicesimo exeunte saeculo a peracta humani generis Redemptione.

Etenim, si ad historiae fidem in quemnam annum id incidat non omnino exploratum est, eventum tamen, vel hic potius mirabilium rerum gestarum ordo, tantae est gravitatis tantique momenti, ut silentio praetermitti non deceat. Hac igitur faustitate permoti, cogitationes convertant, parumper saltem, homines a terrenis fluxisque rebus, quibus in praesens tam acriter iactantur, ad caelestia perpetuoque mansura; et a trepidis afflictisque

horum temporem condicionibus ad spem animum erigant sempiternae illius beatitatis, ad quam nos Christus Dominus vocayit, suo profuso sanguine immensisque editis omne genus beneficiis. A cotidianae vitae strepitu se colligant ac secum «recógitent corde», per hoc praesertim saecularis anni spatium, quantopere nos Servator noster dilexerit et quam ardenti studio nos a peccati servitute liberaverit; ita profecto auctiore caritate fervescent et ad Amantem redamandum veluti necessitate quadam compellente*.

Placet heic, ad omnium utilitatem, divinorum eiusmodi beneficiorum seriem vel breviter repetere, e quibus is etiam, quo fruimur, quoque gloriamur, effluxit civilis véri nominis cultus: institutam primitas in « Coena Domini » - sacrosanctam Eucharistiam, ac singulis impertitam Apostolis, qui sacerdotali ordini per ea verba initiantur: «Hoc facite in meam commemorationem »;[1] Iesum Christum passum, cruci affixuni ac pro hominum salute mortuum; Mariam Virginem, sub cruce Nati, omnium hominum matrem constitutam; ac dein admirabilem Iesu Christi resurrectionem, nostrae item resurrectionis condicionem certumque pignus: mox Apostolis ab eo tributam potestatem remittendi peccata; ac verum iurisdictionis Primatum Petro eiusque successoribus concreditum atque confirmatum: Dominicam denique Ascensionem, Spiritus Sancti Paraclyti descensum atque primam, prodigiali triumphalique modo actam, evangelicam Apostolorum praedicationem. Quidnam, dilecti filii, sanctius; quidnam saeculari celebratione dignius? Ex hisce enim mirandis rebus gestis divinisque muneribus, quibus terrena Iesu Christi vita concluditur, vita nobis emanat, quae vera vita est, ac novus universae hominum consortioni saeculorum nascitur ordo.

Id igitur intento animo recolamus flagran tique caritate per piaeularem annum veneremur. Ad precandi studium, ad paenitendum pro admissis cuiusque nostris excitemur, nostrae non modo sempiternae saluti precibus piaculisque prospicientes, sed totius

[1] **Luc, XXir, 19;** ***I Cor., XI,*** **24.**

etiam humani generis, tot erroribus devii, tot simultatibus contentionibusqiiè discordiis, tot aerumnis conflictati periculisque anxii.

Ac faxit utinam miserentissimus Deus ut sacer, quem proxime auspicaturi sumus, Annus pacem animis, debitam ubique liberta^ tem Ecclesiae, atque populis omnibus concordiam veramque prosperitatem reducat.

Quoniam Yero Iubilaris haec celebratio adventantibus Paschatis sollemnibus incipietur, atque pariter paschali perficietur tempore, opportunum ducimus Episcopos adhortari gregem cuiusque suum, ut per Paenitentiae sacramentum rite expientur omnes et Eucharistico pabulo non modo per id temporis, ad Ecclesiae praescriptioni obtemperandum, sed quam saepissime etiam quamque piissime, per totius praesertim Anni Sancti decursum enutriantur; atque itidem ut feria sexta maioris hebdomadis Dominicam Passionem incensiore studio meditentur. Peculiaris hoc esto, neque levioris momenti, celebritatis huius fructus.

Quandoquidem autem plena commissorum venia, quam modo largituri sumus, Eomae dumtaxat, per piacularem hunc annum, lucri fieri potest, cupimus vehementer ut frequentissimi, dilecti filii, piae peregrinationis causa, ad Urbem confluatis; ad Urbem dicimus, quae catholicae fidei veluti centrum est et Iesu Christi Vicarii domicilium ac sedes. Heic enim perinsignes venerari licet Dominicae Passionis reliquias, quas nemo unus poterit e christifidelibus suspicere, qui divina caritate non ferveat, et ad perfectiorem vitam excitari sese non sentiat. Heic illa, ut nostis, asservatur mensa, in qua memoriae traditum est Iesum Christum D. ìsT. Angelorum Panem consecrasse ac mirabundis discipulis semet ipsum, Eucharisticis velis delitescentem, impertiisse. Heic denique, dilecti filii, communem habetis Patrem, qui vos amanti voluntate praestolatur, vobisque exoptat, vestris rebus atque inceptis bene a Deo precari.

Eei praeterea consentaneum est ut ad sacra etiam Palaestinae loca piae habeantur frequentioresque peregrinationes per huius anni decursum; ibique fideles sanctissimarum rerum, quae commemorantur, theatrum summa religione invisant atque venerentur.

Optamus item lit iis locis, ubi insignes asservantur Dominicae Passionis reliquiae, Iubilaei anno vertente, peculiari eaedem pietate recolantur.

Itaque uberum torum fructuum spe laeti, quos iam nunc mente praecipimus ac misericordiarum Patri supplici prece commendamus, de venerabilium fratrum Nostrorum S. E. E. Cardinalium assensu, generale extra ordinem Iubilaeum in hae sacra Urbe a die secunda mensis Aprilis huius anni inchoandum et ad diem secundam mensis item Aprilis anno millesimo nongentesimo tricesimo quarto finiendum — idque ad normam can. 923 — auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, ad animarum salutem et catholicae Ecclesiae incrementum, indicimus per has Litteras et promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Hoc igitur Anni Sancti decursu, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui, rite per Sacramentum Paenitentiae expiati et sacra Synaxi refecti, vel eodem die, vel diversis diebus, quovis ordine servato, Basificas S. Ioannis ad Lateranum, Vaticanam S. Petri, S. Pauli in via Ostiensi et S. Mariae Maioris in Exquiliis ter pie inviserint et ad mentem Nostram oraverint, plenissimam totius paenae, quam pro peccatis luere debent, indulgentiam misericorditer in Domino concedimus atque impertimus, obtenta prius ab iisdem admissorum cuiusque suorum remissione ac venia. Quam ad rem animadvertendum est posse fideles, vixdum e Basilica post actam sacram visitationem egressos, iterum atque illico in eam ingredi ad alteram ac tertiam perficiendam visitationem. Quod quidem eo consilio statuimus, ut res tota expeditius fieri queat.

Quaenam autem, dilecti filii, sit in universum mens Romanorum Pontificum profecto non ignoratis; quaenam sit, peculiari hac in causa, mens Nostra diserte satis iam supra proposuimus.

Decernimus praeterea iubilarem hanc indulgentiam a christifidelibus cum sibi, tum vita functis toties lucri fieri posse, quoties imperata opera rite perficiantur.

Ut vero quae in sacris hisce visitationibus effundentur preces ad divinae Redemptionis ac praesertim ad Dominicae Passionis memoriam fidelium animos studiosius referant atque excitent, haec, quae sequuntur, statuimus atque iubemus: praeter eas supplicationes, quae ultro pro singulorum pietate ad Deum admovebuntur, quinquies ante Augusti Sacramenti aram preces « Pater, Ave et Gloria » recitari debent ac semel insuper ad mentem Nostram; omnes dein ante Iesu Christi cruci fixi imaginem ter fidei professionem « Credo » pronuntient, ac semel precatiunculam « Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, etc. » vel aliam id genus; mox Deiparae Virgini se sistant atque septies inibi, dolores eius recolendo, salutationem Angelicam « Ave Maria » recitent, preculam semel aduciendo: « Sancta Mater, istud agas, etc. ». vel aliam eiusmodi; denique ad Confessionis aram conveniant, atque iterum catholicam fidem usitata formula, quam supra memoravimus, devote profiteantur. — Quae autem heic servanda ediximus ut pienissima Iubilaei venia lucri fiat, pro iis qui aut morbo aliaque legitima causa in Urbe vel ipso in itinere prohibiti aut morte interim praerepti, praefinitum visitationum numerum nondum compleverint neve inchoaverint quidem, ita temperamus, ut iidem, a culpis rite absoluti ac sacra Communione refecti, indulgentiae remissionisque iubilaris participes perinde sint, ac si quattuor, quas memoravimus, Basilicas reapse invisissent.

Bestat ut vos, dilecti filii, cum Romae incolas, tum advenas, enixe in Domino adhortemur ut, opportunam hanc occasionem nacti, celeberrimum, quod in Sessoriana S. Crucis Basifica exstat, Sanctarum Reliquiarum sacellum summa religione invisatis, utque Scalas Sanctas, de more precando meditandoque, ascendatis.

Ut autem Litterae hae Nostrae ad fidelium omnium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur, hominum liceat hanc paginam Nostrae inductionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die sexto mensis Ianuarii, in festo Epiphaniae Domini, anno millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI *a Secreti» Status.* Fr. A. Card. FRÜRWIRTH *Cancellarius S. B. E.* P. Card. GASP ARRI *S. B, E. Camerarius**

Ioseph **Wilpert,** *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum,*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco •£ Plumbi

***Beg. in Cane. Ap., vol. XLVII, n. 1.* - M. Riggi.**

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

INDULGENTIAE ET FACULTATES SUSPENDUNTUR VERTENTE ANNO GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI A DIE II MENSIS APRILIS A. MDCCCCXXXIII AD DIEM USQUE II MENSIS APRILIS A, MDCCCCXXXIV.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nullo non tempore, per Anni Sancti decursum, christifidelibus cordi fuit, iis etiam qui ab Apostolica Sede longo terrae marisqué intervallo disiunguntur, ad Almam hanc Urbem singillatim catervatim convolare, non modo ut Iubilaei Magni beneficiis fruerentur, sed etiam ut principem catholici nominis auctoritatem praesentes observarent atque venerarentur. Quod quidem, quamvis in angustias redactae, nostra hac aetate, rei oeconomicae condiciones ab itineribus suscipiendis homines prohibere videantur, tamen per proximam etiam piacularem celebrationem effectum iri confidimus, non sine maxima animorum utilitate. . .

- Si enim quotquot hac de causa huc convenerint, non communi viatorum more, sed fide duce ac pietate comite, Apostolorum Principis sepulcrum inviserint, si martyrum hypogea, si tot avitae religionis monumenta .adierint, procul dubio fieri non potest quin ii, Eomam veluti patriam alteram cuiusque suam ingressi, ex eadem ita bene animati conformatique egrediantur, ut magis magisque romano spiritu ferveant, atque catholicam fidem confirmatam habeant christianamque caritatem adductam.

Ut igitur omnibus vel luculentius pateat Almam hanc "Urbem, ob Iesu Christi Vicarii sedem, integrum esse inviolatumque spiritualium munerum veluti fontem ac caput a Deo constitutum, utque quam plurimi peregre ad eam, copiosa pietatis expiationisque adiumenta impetraturi, confluant, quod decessor Noster Sixtus IV, anno **MccccLXxni,** decrevit — promulgata scilicet Iubilaei indulgentia, iam ceteras omnes paenarum relaxationes, aut concessas aut concedendas, itemque facultates cuivis factas, extra Urbem, Apostolicae Sedis nomine atque auctoritate dispensandi absolvendique in utroque foro, conquiescere per annum piacularem atque suspendi — id ipsum Nos per has Litteras statuere censemus, prudenti tamen temperatione modoque adhibito, quemadmodum infra enu•cleaturi sumus. •

Itaque, auctoritate Nostra apostolica, usitatas indulgentias, ut decessores Nostri simili in causa decreverunt, sic Nosmet per totum Anni Sancti decursum ubique — in Ecclesia etiam Orientali — intermitti suspendique decernimus; itemque facultates Nostro nomine extra Urbem exercendas intermittimus atque suspendimus, iis tamen in utraque re exceptis, quas mox enumeratur! sumus.

Etenim ex indulgentiis, quae pro vivis concessae sunt, has, quae sequuntur, integras atque immutatas permanere volumus:

I. Indulgentias *in articulo mortis* lucrandas.

II. Eam', qua frui omnibus licet, quotquot, ad sacri aeris pulsum, precationem «Angelus Domini», vel, pro temporis ratione « Regina caeli», vel, si neutrum fieri potest, quinquies *Salutationem Angelicam* « Ave Maria» recitaverint.

III. Indulgentias iis tributas qui pie templa inviserint, ubi Sacramentum augustum *quadraginta horarum* spatio adorandum proponitur.

IV. Indulgentias, quas eos lucrari decretum est, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defertur, confitentur, aut facem vel cereum per alios ferendum ea occasione mittant.

V. Indulgentiam, toties quoties lucrandam, iis concessam, qui sacellum Portiunculae in templo S. Mariae Angelorum, prope Assisium, pietatis causa, adierint.

VI. Indulgentias in sacris Palaestinae locis iam vigentes, in eorum quidem favorem qui per iubilarem annum eadem sacra loca pie inviserint.

Idque eo consilio libenter concedimus, ut christifideles, per saecularem hanc celebrationem, uberius spiritualibus fructibus iis in locis fruantur, quae veluti theatrum fuere divinae Eedemptionis.

VII. Indulgentiam plenariam a Nobis recens concessam, quam semel dumtaxat is lucrari potest, qui, quo die maluerit, Lapurdensem specum pie invisent, a die scilicet xi mensis Februarii a. MDCCCCXXXITI ad integrum diem xi mensis Februarii a. MDCCCCXXXIV; quandoquidem per hoc temporis intervallum Immaculatae Virginis manifestationis eventum celebratur, ante annos LXXV inibi prodigialiter actum. — Cum enim hoc anno undevicesimum exeat saeculum ab humani generis Eedemptione, id etiam valde opportunum est, ut christifideles Deiparam Virginem, omnium hominum Matrem a moriente Iesu Christo constitutam, recolant atque experiantur.

VIII. Indulgentias, quas S. E. E. Cardinales, Apostolicae Sedis Nuntii, itemque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates vel Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent. *

Ceteras omnes indulgentias plenarias et partiales,. aut ab Apostolica Sede directe concessas, aut ab aliis quoquo pacto concessas concedendasque ex facultate iure ipso vel peculiari indulto sibi facta, decernimus, per totum Annum Sanctum, nusquam terrarum vivis prodesse, sed tantummodo vita functis. Praesentium interea auctoritate Litterarum praecipimus ac mandamus, ut, praeter indulgentias Iubilaei easque, quas superius singillatim excepimus, nullae praeterea aliae uspiam, sub paena excommunicationis ipso facto incurrendae aliisque plenis arbitrio Ordinariorum infiigendis, quomodocumque publicentur.

Ad illud idem propositum, ad quod indulgentiarum intermissio spectat, facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi a votis eademque commutandi, dispensandi praeterea ab irregularitatibus et impedimentis, cuilibet quoquo modo concessa, extra Urbem eiusque suburbium, per Iubilaei Maximi decursum, suspendimus nullique suffragari volumus.

Haec tamen per exceptionem decernimus:

i. Iisdem de causis, quae Nobis suaserunt ut nonnullas indulgentias integras permanere statueremus (cfr. supra nn. VI, VII), decernimus immutatas pariter vigere facultates, Palaestinae Lapurdique confessariis recens concessas; Palaestinae dicimus confessariis ab Apostolico Delegato

Tel per se vel per Ordinarios deputatis, itemque Lapurdensibus confessariis ab Ordinario Tarbien. et Lapurden. deputatis.

Idque in eorum favorem concedimus, qui sacra Palaestinae loca vel Massàbiellensem specum pie inviserint; ita tamen, ut quisquis, Anno Sancto vertente, sive Romae, sive in Palaestina, sive denique Lapurdi censurarum absolutionem obtinuerit, non possit iterum eodem beneficio frui, nisi ad tramitem iuris.

II. Eatae sint facultates omnes per Codicem iuris canonici quovis modo concessae. . • ,

III. .Eatae item fìrmaeque sunto facultates pro foro externo ab Apostolica Sede tum Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis factae, tum Ordinariis locorum, Antistitibus religiosorum Ordinum atque Superioribus Religiosarum Congregationum maioribus quoquo modo in subditos suos tributae.

IV. Quas denique facultates S. Paenitentiaria Nostra impertire solet Ordinariis aut confessariis pro foro interno, easdem ne extra urbem quidem suspendimus, sed ita ut erga eos dumtaxat paenitentes exerceantur, qui, quo tempore confessionem peragunt, iudicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, declarationis, voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die tricésima mensis Ianuam, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH
Cancellarius S. B. E.

LAURENTIUS Card. LAURI
Paenitentiarius Maior.

Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco *ffr* Plumbi

***Beg. in Canc. Ap., vol. XLVII, n. 9.* - M. Riggi.**

: . II •

PAENITENTIARII^ ALIISQUE IN URBE CONFESSARIIS EXTRAORDINARIAE CONCEDUNTUR FACULTATES ANNO VERTENTE GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI A DIE II MENSIS APRILIS A. MDCCCCXXXIII AD DIEM USQUE II MENSIS APRILIS A. MDCCCCXXXIV.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS^SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Indicto a Nobis Sancto extra ordinem Anno ac generali maximoqiie Iubilaeo ad saecularia celebranda humani generis Redemptionis sollemnia — quod non sine Numinis iustinctu contigisse putamus— cupimus vehementer ut Almae huius Urbis populus iique omnes, qui romanum iter pia hac de causa susceperint, nihil omnino ex iis rebus rationibusque desiderent, quae ad eluendas conscientiae labes Deique gratiam redintegrandam pertineant. . . '

Quapropter ut ii praesertim, quorum animi, vitiorum laqueis impliciti, graviore morbo languescunt, ad salutem adipiscendam et ad christianos spiritus refovendos facilius alliciantur atque revocentur, opportunum ducimus, ex more institutoque Decessorum Nostrorum, per piacularem hunc annum, confessariorum in Urbe amplificare atque augere muneris potestatem.

Itaque motu proprio, certa scientia ac de apostolicae plenitudine potestatis, ea quae sequuntur de confessariis in Urbe et suburbio, anno Iubilaei vertente, deputandis, deque extraordinaria potestate iisdem attribuenda, praescribimus ac statuimus.

Dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiori committimus ac demandamus, ut, praeter eos, qui nunc sunt, trium Basilicarum Lateranensis, Vaticanae et Liberianae paenitentiarios minores ordinarios atque extraordinarios, pro Basilica etiam S. Pauli, via Ostiensi, ad totum Annum Sanctum similes paenitentiarios designet, praetereaque alios, tam in memoratis quatuor Basilicis, quam in reliquis quoque sive saecularium sive regularium ac praesertim in variarum nationum per Urbem ecclesiis, novos similiter paenitentiarios deputet et abunde multiplicem

Quibus paeniténtiariis minoribus, sive ordinariis sive extraordinariis, sive iam exsistentibus sive a dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiore, ut supra, deligendis, concedimus, ut per Annum Sanctum possint, pro foro conscientiae in actu sacramentalis confessionis et per se ipsi tan-

tum, absolvere quoslibet paenitentes non solum a quibusvis censuris et peccatis Romano Pontifici aut Ordinario: a iure reservatis, sed etiam .a censura ab homine lata. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragantur.

At hisce amplissimis facultatibus non utantur nisi normis exceptionibusque servatis, quae sequuntur:

I. Ne absolvant, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici,, eos, qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter, vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter, nisi in adiunctis can. 900, illos, qui in casum inciderint Sanctae Sedi reservatum ad normam decreti Sacrae- Paenitentiariae Apostolicae, d. xvi mensis Novembris, a. MDÒCCCXXVIII (cfr. *Acta Apost. Sedis,* vol. XX, pag. 398); vi cuius Decreti tamen, post etiam obtentam absolutionem, obligatio adhuc viget ad Sacram Paenitentiariam recurrendi eiusque mandatis obtemperandi,

II. Similiter ne absolvant, nisi ad praescriptum can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo praeditos, superioresque maiores Religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo Sanctae Sedi reservatam publice inciderint.

III. Haereticos vel schismaticus, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant, nisi ii, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, iam reparaverint, aut promiserunt sese, ut par est, efficaciter reparaturos. Ad natos in haeresi quod attinet, si dubitetur de facto vel validitate baptismi in secta collati, eiusmodi acatholici, ante absolutionem, ad dilectum filium Nostrum Cardinalem in Urbe Vicarium remittantur.

IV. Pariter ne absolvant eos, qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336 § 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eandem sectam respiciant, quotiesrcumque adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad [S. Officium quamprimum caute transmittenda, aut saltem — idque iustis gravibusque de causis — per se ipsi destruxerint; sin minus, ipsimet sincero animo spoponderint se memoratas condiciones esse, quamprimum potuerint, adimpleturos; impositis, praeterea, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari et frequenti sacramentali confessione.

V. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvantur nisi aut iis restitutis, aut compositione quam primum ab Ordinario

vel ab Apostolica Sede postulata, aut saltem promissione sincere facta eandem compositionem postulandi; nisi de locis agatur, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

VI. Possint iidem paenitentiarii omnia et singula vota *privata,* etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, commutare in alia pia opera, ex iusta causa. Votum autem castitatis perfectae et perpetuae, quamvis ab origine publice emissum sit in professione religiosa tam simplici quam sollemni, subinde tamen, aliis huius professionis votis dispensatis, firmum atque integrum manserit, similiter possint, gravi de causa, in alia pia opera commutare. Nullatenus, tamen ab eodem illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem, redacti sint. A commutandis vero votis cum praeiudicio tertii, se abstineant, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi, aliave paenalia vota ne commutent, nisi in opus, quod, non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

VII. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto; item ab irregularitate, de qua in can. 985, 4°; sed ad hoc unice, ut paenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat.

VIII. Dispensare item possint, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non ad contrahendum.

IX. Sive autem de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo, dispensare possint ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1.135; imposita, in utroque, salutari, gravi diuturnaque paenitentia.

X. Ad visitationes quod attinet quatuor Basilicarum, paenitentiarii, pro singulis qui, iusta de causa, eas praescripta ratione perficere nequeant, facultatem habent cum concedendi dispensationem visitationis alicuius Basilicae, eam commutando—-si fieri potest — in visitationem alius ecclesiae, tum etiam visitationum numerum contrahendi. Cum singulis autem, qui, morbo aliove legitimo impedimento detenti, memoratas Basilicas invisere nequeant, praescriptas visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis impleri possint, dispensando commutent. Paenitentiarii tamen sciant, se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto et sine iusta causa christifideles ex eiusmodi visitationibus exemerint. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem

Nostram fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant; in aegrotantium tantum commodum liceat eas etiam imminuere.

XI. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimplendam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, ullum ne exsolvant, ne eum quidem qui materiam necessariam non habeat.

XII. Ad S. Communionem quod attinet, nefas esto eiusmodi praescriptum in alia pia opera commutare, nisi de aegrotis agatur qui ab ea suscipienda prorsus impediantur. Volumus autem, Iubilaei causa, eam sufficere,- quae per modum viatici ministratur; minime vero eam, quae in Paschate peragenda praecipitur.

XIII. Hisce omnibus, quas memoravimus, facultatibus volumus uti non modo paenitentiarios, de quibus in harum Litterarum exordio diximus, sed etiam S. Paenitentiariae Praelatos: itemque eiusdem S. Paenitentiariae Officiales omnes qui sint in Urbe ad audiendas fidelium confessiones habitualiter adprobati; singulos Urbis suburbiique parochos; rectores et confessarios, a Vicariatu adprobatos, ecclesiarum nationalium, praetereaque nonnullos confessarios pro praecipuis celebrioribusque Urbis templis designandos, quorum omnium sedi confessionali tabella affigatur in qua verba inscripta sint PAENITENTIARIUS SANCTI IUBILAEI. Praeterea ut religiosorum virorum utilitati uberius consulamus, easdem facultates tribuimus, pro Ordinibus Congregationibusque exemptis, aliquibus ex iis confessariis, quos Superiores pro subditis tantum adprobaverint ad formam can. 518 et secundum extensionem in can. 514 § 1 descriptam; Superioris quidem erit, in unaquaque domo unum alterumve in individuo deputare: qui tamen ex hac sola deputatione non poterunt facultatibus, de quibus supra, uti erga fideles domui ac Religioni extraneos.

XIV. Paenitentiarii, ut supra deputati, sciant posse se descriptis facultatibus uti cum omnibus fidelibus Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis, qui ad confitendum apud ipsos accedant ea mente et voluntate, sincera quidem et firma, ut Iubilaei veniam lucrentur.

Facultatibus tamen absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris itemque dispensandi ab irregularitate cum eodem paenitente uti nequeant nisi semel tantum, cum ipse Iubilaei veniam primum lucretur.

Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. X — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

XV. Uti iisdem facultatibus poterunt etiam extra ecclesiam cui addicti sunt, si quando contingat eos alibi confessiones excipere, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum. Caveant tamen — in quo graviter

eorum conscientiam oneramus — ne ecclesiam propriam neglegant, ut aliis inserviant.

Cum autem, ad maiora animarum lucra anno isto salutaris expiationis comparanda, intersit operarios multiplicari, omnibus quoque confessariis adprobatis ad annum a dilecto filio Nostro Cardinali Vicario in spiritualibus generali, itemque reliquis omnibus confessariis regularibus exemptis, quos Superior tantummodo suus pro sodalibus Religionis omnibusque extraneis in religiosa domo diem noctemque commorantibus adprobaverit — intra fines tamen temporis, loci ac personarum in concessione adprobationis designatos—has, quae sequuntur, tribuimus extraordinarias facultates:

•1. Absolvere possint, per se ipsi tantum et in foro dumtaxat conscientiae et sacramentali, eos, qui apud ipsos confiteantur, a quibusvis peccatis et censuris, etiam speciali modo a iure ^Sanctae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, dummodo censurae publicae non sint, iniunctis tamen salutaribus paenitentiis aliisque de iure iniungendis, servatisque potissimum in hac absolutione impertienda normis atque exceptionibus, quae supra, sub nn. I-V, pro paenitentiariis minoribus praescriptae sunt.

2. Omnia et singula vota privata, etiam iurata, dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, commutando in alia pia opera, ex iusta causa, exceptis iis privatis votis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur, itemque exceptis votis publice emissis in susceptione Ordinis sacri aut in professione religiosa tam sollemni quam simplici, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

3. Dispensare possint ab irregularitate eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. VII.

4. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, circa visitationes quatuor Basilicarum easque item commutare eodem modo ac paenitentiariis conceditur sub n. X.

5. Si quas autem facultates ab Apostolica Sede per S. Paenitentiariam aut alio legitimo modo impetraverint aut per Annum Sanctum impetrabunt, eae firmae atque immutatae sunto.

6. De usu facultatum, quas supra sub nn. 1-4 eoncessimus, ea valeant ac serventur, quae pro paenitentiariis minoribus sub n. XIV constituimus.

Nihil reliquum est, nisi ut paenitentiarios et confessarios, quibus extraordinarias facultates istas de Apostolica benignitate largiti sumus, vehementer moneamus, patienti animo caritatisque pleno eos omnes excipiant, qui Domino reconciliari cupient et caelestibus frui thesauris, quos Sancta Mater Ecclesia per totum Iubilaei annum cuivis reserat.

Praesentes autem Litteras volumus firmas exsistere et fore, earumque exemplis atque exeerptis, manu tamen. alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem adhiberi fidem, quae hisce Litteris adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concessionis, declarationis et voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die tricesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH
Cancellarius S. R. E.

LAURENTIUS Card. LAURI
Paenitentiarius Maior.

Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ^ Plumbi

***Beg, in Cane. Ap., vol. XLVI1, n. 10.* - M. Biggi.**

III

INDULGENTIAE ANNI SANCTI MDCCCCXXXIH-MDCCCCXXXIV CONCEDUNTUR MONIALIBUS ALIISQUE STABILI IMPEDIMENTO DETENTIS CUM OPPORTUNIS FACULTATIBUS CIRCA ABSOLUTIONES ET VOTORUM COMMUTATIONES.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui umbratilem vitam, divino servitio mancipati, in claustralibus saeptis traducunt, qui corporis infirmitate laborant, quique in hostili potestate aut in publica custodia detinentur, eos novimus, aliosque non paucos, **ex** sua ipsorum condicione prohiberi, quominus, per proximi Anni Sancti decursum, Romanam peregrinationem suscipiant.

Pro Nostra autem in omnium ordinum homines paterna voluntate cupimus ut hi etiam reserandis saeculari hac faustitate Ecclesiae thesauris frui queant, atque adeo Iubilaei veniam lucrari. Quod quidem eo **Vel** magis

optamus, quod futurum confidimus ut tot preces totquê piacula, undique gentium, ab iis praesertim qui aut innocentem vitam aut angoribus expiatam degunt, laudabili quadam contentione ad Deum admota, uberiora humano generi impetrent caelestia munera, fehcioraque tempora concilient.

Huius vero concessionis Nostrae hi dumtaxat, qui sequuntur, participes sunto:

I. In primis Moniales omnes, quae in coenobiis degunt sub claustri perpetui disciplina; item quae in iisdem monasteriis aut probandae et postulantes sunt aut tirocinium exercent aut educationis aliave legitima de causa, etsi per maiorem tantummodo anni partem, commorantur. Neque excipi volumus mulieres earum contubernàles, quae, famulatus vel stipis colligendae gratia, saepta religiosa egrediantur.

-II. Omnes religiosae Sorores, scilicet votorum^ simplicium, quae ad Congregationem pertineant iuris sive pontificii sive dioecesani,-quamquam severiore claustri lege non adstringuntur, una **cum** suis novitiis, probandis, atque educandis puellis — semi-convictricibus quoque, ut aiunt, non tamen externis, — aliisque communi cum ipsis mensa utentibus, domicilio /vel quasi domicilio.

III. Pariter Oblatae, seu piae feminae, vitae societate coniunctae, etiamsi vota non emittant, quarum tamen Instituta, ab ecclesiastica auctoritate vel ratione stabili vel ad experimentum probata sint, una cum suis novitiis, probandis, puellis educandis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, ut de Congregationibus religiosis n. II diximus.

IV. Omnes feminae ad quemvis Tertium Ordinem Kegularem pertinentes, quae sub uno eodemque tecto, cum approbatione ecclesiastica, communiter vivunt, itemque, ut supra, omnes earum contubernàles.

V. Puellae et mulieres in gynaeceis seu Conservatores degentes, quamvis non sint Monialibus, Sororibus religiosis, Oblatis Tertiariisve concreditae.

VI. Anachoretae et Eremitae, non ii quidem, qui nullis adstricti clausurae legibus vel communiter vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus obtemperantes vivunt; sed ii, qui in continua — licet non omnino perpetua — clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agtint et monasticum aut regularem Ordinem profitentur, ut Cistercienses Eeformati B. M. V. de Trappa, Eremitae Camaldulenses et Carthusiäni.

VII. Christifideles utriusque sexus, qui captivi in hostium potestate versantur, aut in carcere custodiuntur, aut exsilii paenas deportationisve luunt, aut apud paenales domos ad opus damnati reperiuntur, aut denique, in correctionis domibus versantur; itemque ecclesiastici, vel religiosi viri, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis gratia, detinentur.

VITI. Christifideles utriusque sexus, qui morbo vel imbecilla valetudine prohibentur, quominus, intra Iubilaei annum, aut Urbem adeant aut in Urbe praescriptas Patriarchalium Basilicarum visitationes instituant; qui in nosocomiis, conducti vel sponte ipsi sua, aegrotantibus, continuata opera, adsunt; qui corrigendorum emendationi ac regimini praeponuntur; itemque operarii, qui, cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot horas abstinere; senes denique, qui septuagesimum aetatis suae annum excesserint.

Hos omnes et singulos monemus hortamurque ut admissa cuiusque sua dolenti animo perscrutantes, eadem per Paenitentiae Sacramentum eluant ac renovato spiritu ad perfectioris vitae institutum citatiore gradu contendant; mox Angelorum Pane ea, qua decet, pietate reficiantur, indeque vires sumant ad proposita sancte suscepta religiosissime exsequenda; denique ad mentem Nostram — hoc est pro Ecclesiae Catholicae"incremento, pro extirpandis erroribus, pro Principum concordia totiusque humanae consortionis tranquillitate et pace — orare ne praetermittant.

Visitationi autem quatuor Urbis Basilicarum alia religionis, pietatis caritatisque opera iidem sufficiant, quae Ordinarius per se ipse vel per prudentes confessarios, pro condicione et valetudine singulorum ac pro loci temporisque rationibus, iniunxerit.

Itaque omnipotentis Dei misericordia et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis, quos supra memoravimus, vere paenitentibus et intra Annum Sanctum rite confessis ac sacra synaxi refectis, Deumque, ut supra diximus, ad mentem Nostram orantibus, omnia denique implentibus alia iniungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus si morbus periculosus oppressent, plenissimam totius paenae, quam pro peccatis hiere debent, indulgentiam, rite tamen obtenta per Paenitentiae Sacramentum remissione ac vènia, haud secus ac si praescripta communiter ceteris omnibus explevissent, de Apostolicae liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus; quam quidem indulgentiam toties intra Anni Sancti decursum lucrari possunt, quoties iniuncta opera iteraverint.

Porro liceat unicuique eorum, quos supra memoravimus, sibi confessarium eligere a suo Ordinario ad praescripta Codicis approbatum, cui, vi praesentis Constitutionis, pro confessione dumtaxat ad lucrandum Iubilaeum instituta, concedimus, ut, sine detrimento earum facultatum, quas forte alio titulo exercere possit, personas supra dictas in foro sacramentali tantum absolvere queat a quibusvis censuris et peccatis etiam speciali modo a iure Apostolicae Sedi reservatis, aut Ordinario reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae, impositis salutari paenitentia aliisque secun-

dum canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas iniungendis. Praeterea confessario, quem monialis sibi elegerit, potestatem facimus dispensandi a votis privatis quibuslibet, quae ea ipsa post professionem sollemnem nuncupaverit quaeque regulari observantiae minime adversentur. Confessarios autem supra memoratos volumus quoque commutare posse omnia vota privata, etiam iurata, quibus Sorores in Congregatione votorum simplicium, Oblatae, Tertiariae regulares, puellae et mulieres communibus domibus vitam agentes, sese obstrinxerunt, iis votis exceptis quae Apostolicae Sedi reservata sint, et iis, quorum aut dispensatio vergeret in detrimentum tertii aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

Hortamur autem venerabiles fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, ad apostolicae Nostrae benignitatis exemptum, eligendis ad praesentium effectum confessariis impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ab ipsis Ordinariis reservati sint.

Harum interea decreta et iussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuslibet. Volumus denique ut harum Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus adiungatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, concessionis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die tricésima mensis Ianuam, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri undecimo.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH
Cancellarius S. B. E.

LAURENTIUS Card. LAURI
Paenitentiarius Maior.

Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco }$\{ Plumbi

***Beg. in Cane. Ap., Vol. XLVII, n. 8.* - M. Riggi.**

EPISTOLA

AD EM O S PP. DD. ALEXANDRUM TIT. S. AUGUSTINI S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM ICAKOWSKI ARCHIEPISCOPUM VARSAVIENSEM, AUGUSTUM TIT. S. MARIAE DE PACE S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM HLOND, ARCHIEPISCOPUM GNESNENSEM ET POSNANIENSEMj DE. STUDIORUM HEBDOMADA AD UNIONEM CHRISTIANORUM DISSIDENTIUM RESTAURANDAM.

PIUS PP. XI

Dilecti filii nostri salutem et apostolicam benedictionem.—Laeto iucundoque animo audivimns sollertes Poloniae Episcopos, una vobiscum nuper congregatos, concorditer decrevisse, ut sollemnis istic hebdomada ad restaurandam christianorum dissidentium cum Petri Cathedra coniunctionem proxime celebretur. Omnia equidem consilia et studia, quae in istam causam a bonis conferentur, id praesertim efficient, ut hinc fideles Poloniae clarius intimiusque intellegant se peculiari officio obstringi ad promovendam, pro cuiusque viribus, quam plurimorum fratrum reconciliationem, illinc fratres ipsi deerrantes persentiant quanto studio a catholicis viris eorum ad unum ovile reditus exoptatur, quantoque ipsi cumulentur gaudio si ad benignam Matrem revertantur Ecclesiam, quae semper eos diligit, semperque pro eis Deum precatur. Haec autem studia, hae piae ad Deum supplicationes eo magis vertente anno impense instanterque peragentur, quod per saecularia sollemnia sacrumque Iubilaeum recoletur, cum magnifico Redemptoris opere, ipsa ab eo condita super firmissimum Petri fundamentum Ecclesia, quae, tamquam mysticum Christi corpus, praemonente sancto Paulo, divisa exstare non potest. Nos igitur supplicibus vobiscum precationibus Deo adhibitis, omnia optata inceptaque vestra ad conciliationem fratrum fovendam paternis votis ominibus que prosequimur; atque novum praeterea Nostrae erga orientales filios sollicitudinis documentum exhibere cupientes, adiectam heic pecuniam vobis mittendam curamus, ut profugis ex Oriente in egestate constitutis, cuiuscumque sunt nationis aut confessionis, auxilio veniatis, dolentes vero quod amplius in praesenti ob rerum angustias praestare nequimus. Ceterum minime dubitamus, quin et Episcopi et boni isti fideles, pro sua quisque facultate, adiuvandis fratribus reliqua, quae necessaria sint, adiumenta pia liberalitate adferre velint. Scimus profecto in quanto rei oeconomicae discrimine, quo totus afiicitur mundus, ipsi Poloni versentur, neque minime ignoramus plures ex eis gravissimis angustiis premi et nonnullos fortasse ad extremam usque indi-

gentiam, pariter ac. prófugos orientales, redactos esse; attamen scimus quoque caritatem adeo esse sollicitam, ut, augescentibus necessitatibus, ipsa magis augeatur, et adeo sollertem ac liberalem,Ut pauperi quoque desiderium ac modum pauperiorem fratrem adiuvandi inspirare valeat. Hisce votis studiisque Nostris, dum filios, a paterna domo avulsos, vehementer hortamur, ut quam primum in Ecclesiae sinu pacem et salutem requirant. Deum omnipotentem, qui mentes et corda hominum gratia sua efficaciter permovet, instantissime deprecamur, ut laetus affulgeat dies, quo christianae fidei cultorum unitas et concordia perficiatur. Huius interea salutaris conciliationis auspicem, peculiarisque Nostrae caritatis testem, apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii Nostri, ceterisque Poloniae Episcopis, cunctisque fidelibus praesertim iis, qui studiis laboribusque proximae sollemnis hebdomadae quacumque ratione favebunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die vi mensis Ianuarii, in Epiphania Domini, anno MDOOCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XI

Annus XXV - Vol. XXV **6 Februarii 1933** **Num. 2**

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE NOVAE ARCHIDIOECESIS DE TRANSJORDANIA PRO RITUS GRAECI-MELCHITICI FIDELIBUS ERECTIONE.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Apostolica Sedes, probe noscens in mains animarum bonum esse cessurum, si Ecclesiarum orientalium fideles, in quos non unum suae praebuit dilectionis testimonium, a sui ipsorum ritus Pastoribus gubernentur, omni studio curavit novas, quantum fieri posset, erigendas dioeceses, cum ob auctum christifidelium, numerum, vel ob alias iustas .causas, id in Domino magis expedire visum fuerit. Cum itaque in regione illa, quae per mare Mortuum ac Jordanem flumen a Palaestina seiungitur et ab hoc flumine *Transjordaniam* nomen sumit, christiani populi orientalis ritus, ad unam et sanctam catholicam Ecclesiam magis in dies cor et oculos vertentes, in communitatem sat incolarum numero praestantem coaluerint, peropportunum Nobis visum est eamdem, regionem canonice ordinare, ipsamque ad verae et propriae dioecesis dignitatem evehere; eo vel magis quod firma Nobis spes affulget, multo plures Transj or daniae incolas, adhuc extra veram Ecclesiam vagantes, unum Christi ovile, Dei opitulante gratia, brevi ingressuros esse. Qua in re magnopere peculiaris omnium bonorum Largitoris benignitas elucet, qui in salutaribus Jordanis. undis pro vide disposuit Filio Suo Unigenito baptisma a Ioanne conferri, typum ac figu-

rana veri baptismatis, Sacramentorumianuae ac fundamenti. Nos igitur, de venerabilium fratrum Nostrorum S. E. E. Cardinalium Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consilio, praehabito venerabilium fratrum Nostrorum Cyrilli Mogabgab, Patriarchae Antiocheni Melchitarum, sub cuius iurisdictione fideles illi exstant, nec non Valeri i Valeri, Archiepiscopi titularis Ephesini, Delegati Apostolici in. Palaestina, favorabili voto, atque suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, ea quae sequuntur, suprema Nostra auctoritate statuimus ac decernimus:

I. Transjordaniam regionem in veram ac propriam archidioecesim erigimus et constituimus, eamque erectam per praesentes declaramus, atque ab eius nomine *de Trans Jordania* denominari volumus.

II. Huius archidioecesis fines erunt: Jordanes flumen, mare Mortuum et amnis *Wady Àraba* ad occasum,- Syriae desertum ad orientem, eparchia Hauran et *Djebel-el-Drusi* regio ad septentrionem atque *JELedjaz* regio ad meridiem. .

III. Novae huius archidioecesis hisce finibus circumscriptae episcopalem sedem in urbe, nunc *Amman* ohm Philadelphia nuncupata, quae satis ampla et caput civilis principatus est, constituimus; Archiepiscopi autem cathedram in ecclesia ibidem exstante, Ss. Apostolis Petro et Paulo dicata, figimus, quam propterea ad Cathedralis gradum et dignitatem extollimus, eique eiusque pro tempore Archiepiscopis iura omnia ac privilegia, insignia, honores et praerogativas concedimus, quae Cathedralibus Ecclesiis et residentialibus Archiepiscopis, ad canonum praescripta et Ecclesiae Melchitarum normas ac legitimas consuetudines sunt propria.

IV. Eamdem archidioecesim, eiusque pro tempore Archiepiscopos iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceterae ritus graeci-melchitici dioeceses earumque Episcopi adstringuntur.

V. Novam hanc de TransJordania archidioecesim, utpote ritus graeci - melchitici, Patriarchatui Antiocheno Melchitarum adnexam eamque propterea eiusque pro tempore Archiepiscopos, ad normam sacrorum canonum, Patriarchae Antiocheni Melchitarum iuri subiectos volumus.

VI. Nobis autem ac Sedi Apostolicae facultatem reservamus, novam ineundi, pro temporum rerumque adiunctis, ipsius archidioecesis circumscriptionem, vel eam immutandi et aliter ordinandi, quoties id in Domino opportunum visum fuerit.

VII. Episcopalem mensam noviter ita erectae archidioecesis constituent bona omnia et oblationes, quae a fidelibus in quorum bonum ipsa erecta est collata sunt et conferentur.

VIII. Quod vero attinet ad eiusdem archidioecesis regimen et administrationem* ad cleri et fidelium rura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones et peculiares Ecclesiae Melchitarum leges statuunt ac praescribunt. Quod autem ad clerum praecipue spectat, mandamus ut, simul ac huius novae archidioecesis erectio ad exsecutionem deducta fuerit, eo ipso eidem archidioecesi sacerdotes et clerici adscripti censeantur, qui nunc in eius territorio legitime exstant.

Rebus itaque ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Cyrillum, Mogabgab Patriarcham Antiochenum Melchitarum, cui propterea necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, atque definitive sententiam dicendi de quavis difficultate vel oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, eique onus imponimus ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali infra sex menses ab his Litteris acceptis computandos authenticum exemplar transmittendi peractae exsecutionis actorum. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, mann tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo cuiuslibet viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce litteris tribueretur si originaliter exhibitae vel ostensae forent.

Praesentes autem Litteras et in.eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum interest vel qui sua interesse praesumant, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, etiam si expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse; sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus provincialibus generalibus universalibus que Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini autem quae a Nobis praesentibus Litteris decreta sunt, infringere vel eis contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem

omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo secundo, die secunda mensis Maii, in festo Sancti Athanasii, Pontificatus Nostri anno undecimo. \

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRT H ALOISIUS Card. SINCERO
Cancellarius S. B. E. *a Secretis S. C. Orientalis.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi •

***Beg. in Cane. Ap., vol. XLVI, n.* 57. - M. Riggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

DIOECESIS FÁLISCODUNENSIS PATRONA CAELESTIS DECLARATUR SANCTA LUCIA FILIPPINIA.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Gratum Nobis vehementer est, data occasione, votis concedere Episcoporum, qui Nos rogant ut spirituali bono suarum dioecesium provide atque apte consulamus. Libenter equidem hac de causa postulationes accepimus venerabilis fratris Faliscodunensium Episcopi, qui a Nobis effiagitavit ut dioecesi suae Ealiscodunensi, adhuc caelesti patrono destitutae, nunc Sanctam Luciam Fihppini qua Patronam tribuere velimus. Id enim christifideles e civitate ac dioecesi memorata una cum clero valde exoptant. Etenim ipsa Sancta Lucia regionem faliscodunensem finitimamque peragrans, magistra ac missionaria, sanctitatis suae conspicuas reliquit memorias; eisdem in locis prima scholarum seu Magistrarum Piarum fundamenta iecit; suae denique vitae mortalis •cursum ipsa in dioecesi consummavit, ita ut in cathedrali Ecclesia faliscOdunensi eius corpus adhuc religiosissime adservetur. Quae cum ita sint, «ioniatis consiliis cum dilecto filio Nostro Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinali Sacrae Eituum Congregationis Praefecto, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in

modum Sanctam Luciani Filippini dioecesis Faliscodunensis' caelestem Patronam constituimus et declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae huic titulo competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec ad dioecesis Faliscodunensis christifidelium omnium bonum spirituale concedentes, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas^ validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; dioecesi eidem Faliscodunënsi nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **xxi** m. Augusti an. **MDCCCCXXxn,** Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

II

MONASTERIUM PARISIENSE A SANCTO LUDOVICO AD TEMPLUM, MONIALIUM O. S. B., AD ABBATIAE GRADUM EVEHITUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Tum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Parisiensium Archiepiscopus, tum Abbas Primas Ordinis Sancti Benedicti Nobis valde commendant vota hodiernae moderatricis monasterii parisiensis a Sancto Ludovico ad Templum nuncupati, ex Ordine Sancti Benedicti, quae a Nobis exposcit ut monasterium idem, nunc prio^ ratum tantum, dignitate abbatiali honestare dignemur. Cum vero edoceamur monasterium ipsum iam fundatum anno **MDCccxxv,** monialium numero atque operum religiosarum florere, eodemque in monasterio tum regularem observantiam in exemplum adducendam esse, tum sacras liturgicas functiones debito decore peragi cum magno spirituali fidelium emolumento, votis memoratis annuendum censemus. Conlatis igitur consiliis cum dilecto filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Sacrae negotiis Religiosorum Sodalium praepositae Congregationis Praefecto, hisce Litteris Apostolicis, auctoritate Nostra, monasterium Sancti Ludovici ad Templum ex Ordine Sancti Benedicti, in civitate atque archidioecesi Parisiensi positum, in abbatiam erigimus et constituimus, eodem nomine servato, cum novitiatu proprio, adiectis privilegiis, favoribus et gratiis,

quae huic titulo abbatiali de iure competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; eidem sic per Nos erectae abbatiae parisiensi Sancti Ludovici ad Templum nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv m. Augusti MDCCCCXXxn, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PAGELLI, *a Secretis Status.*

III

OPPIDI SARTE ANI INTRA FINES DIOECESIS CLUSINAE. PATRONA CAELESTIS *B.* M. V. BONI CONSILII MATER DECLARATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Clusinae et Pientinae dioecesis intra fines in conlegiato templo oppidi Sarteani prodigiosa servatur imago Beatae Mariae Virginis, Boni Consilii Matris quam a multo iam tempore christifideles loci magna, pietate venerati sunt, hodieque pie devoteque venerantur. Cum vero clerus populusque ipsius oppidi enixas Nobis preces adhibeant, ut Beatam Virginem Mariam Matrem Boni Consilii declarare dignemur principalem oppidi Sarteani Patronam (non modo enim in privatis sed et in publicis praesertim calamitatibus validissimo patrocinio Deiparae sub ipso titulo incolae Sarteani gavisi sunt), atque hodiernus Episcopus Clusinus ac Pientinus suffragiis suis amplissimis preces memoratas augeat; Nos, quos instanter admonet Apostolicum munus, quod in terris gerimus, ut christifidelium bono continenter in Domino prospiciamus, supplicationibus ad Nos admotis concedere censemus. Conlatis itaque consiliis cum dilecto filio Nostro Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinali Sacrae Eituum Congregationi Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, hisce Litteris Apostolicis, auctoritate Nostra, Beatissimam Virginem Mariam Matrem Boni Consilii oppidi Sarteani intra fines Clusinae ac Pientinae dioecesis, Patronam principalem constituimus et declaramus. Praecipimus propterea ut ipso in oppido festum eiusdem Patronae sub ritu duplici primae classis cum octava ex nunc et in posterum celebretur.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; memoratoque oppido Sarteani nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super bis a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv m. Augusti. anno MDCCCCXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

B. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

IV

CASTRI ALIPHANI INTRA FINES DIOECESIS ALIPHANAE PATRONUS CAELESTIS AEQUE PRINCIPALIS DECLARATUR S. ANTONIUS PATAVINUS.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Allatum ad Nos est in paroeciali ecclesia titulo Sanctae Crucis, Castri Aliphani, dioecesis intra fines Aliphanae, Sanctum Antonium Patavinum Confessorem una cum Sancto Marcellino presbytero ac martyre, uti Patronum oppidi a multis saeculis agnosci et recoli; quin nulla exstet memoria electionis canonicae praedicti Sancti thaumaturgi Patavini. Nunc autem clerus, optimates populusque oppidi eiusdem, ob gratiarum copiam quas Sanctus Antonius in oppidanos, qui ad illum supplices recurrunt, continenter diffundit, occasionem nacti sollemnium, quae septingentésimo anno ab ipsius obitu ad honorem Sancti Patavini adhuc peraguntur, enixas Nobis preces adhibuerunt, ut in Patronum aeque principalem oppidi Aliphani Sanctum Antonium Patavinum Confessorem confirmare seu constituere dignemur. Nos autem ad maiorem Dei gloriam atque ad pietatis christianae incrementum magis augendum, auditis quoque tum venerabili fratre Alfonso Episcopo, qui oratorum supplicationes Nobis amplissime commendat, tum dilecto filio Sanctae Fidei Promotore generali, memoratis votis annuendum censemus. Quae cum ita sint, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi, perpetuumque in modum, Sanctum Antonium Patavinum Confessorem in Patronum aeque principalem una cum Sancto Marcellino Presbytero et Martyre Castri Aliphani intra dioecesis Aliphanae fines confirmamus, seu declaramus, omnibus et singulis adiectis privilegiis liturgicis atque honori-

fiçentiis, quae praecipuis locorum Patronis competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec largimur statuimusque, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; eidemque Castro Aliphano nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvi m. Augusti anno MDCCCCXXXLT, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

... V

INDULGENTIAE STATIONALES URBIS AD CERTAS ECCLESIAS MEDIOLANENSEM CIVITATIS EXTENDUNTUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacrae Paenitentiariae Apostolicae decreto die xii m. Aprilis huius anni MDCCCCXXXH, ut christifideles frequentius religiosiusque ad sacras aedes conveniant, in quibus, statutis anni diebus ac praesertim quadragesimali tempore sacrae celebrantur Stationes, prout in Romano Missali designantur, Nos ipsi indulgentias ordinare opportune censuimus, quas iam non uno modo rec. mem. Decessores Nostri largiti sunt iis, qui stationales, uti vocant, ecclesias sive hac Alma in Urbe sive extra Urbem posterius constitutas frequentant. Hoc ducti consilio, cum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Mediolanensium Archiepiscopus Nos enixe rogaverit, ut memoratas indulgentias concedere quoque dignaremur christifidelibus, qui mediolanenses ecclesias stationales, iuxta statutas regulas visitaverint, ultro libenterque huiusmodi supplicationibus annuere censemus. Iam enim a decimo tertio saeculo pium , ecclesiarum stationalium exercitium infra annum et per sacram quadragesimam peragendum, studio atque opera Archiepiscopi tunc temporis exsistentis Othonis Visconti in Mediolanensis Ecclesiae liturgia ac devotione vigere coepit. Index autem sacrarum aedium.; quem ipse Praesul primum paraverat, a Sancto Carolo Borromaeo, qui piam consuetudinem indulgentiis a Romanis Pontificibus obtentis locupletandam etiam curavit, postea emendatus ad nostra usque tempora integer permansit.

Hodiernus vero Mediolanensium Antistes, tantos decessores suos secutusj ad spirituale sibi crediti fidelis populi bonum magis provehendum, memoratum ecclesiarum mediolanensium indiculum a Sancto Carolo statutum denuo correxit nostraque temporibus aptavit, ita ut nunc Mediolani christifideles magna devotione supplicationes stationales frequenter celebrent. Novus huiusmodi catalogus mediolanensium ecclesiarum in quibus, statutis anni diebus, supplicationes stationales habentur, est prout sequitur:

I^a^ Dominica Adventus, ad metropohtanum templum Sanctae Mariae Nascentis; II^a^ Dominica Adventus, ad Ssmi Redemptoris; III^a^ Doininica Adventus, ad S. Mariae de Rosario; IY^a^ Dominica Adventus, ad S. Crucis; V^a^ Dominica Adventus, ad S. Gregorii; Feria IV infra hebdomadam, ad S. Mariae de navigio; Feria VI, ad S. Andreae; Sabbato, ad templum metropolitanum; VI^a^ Dominica Adventus, ad S. Mariae Annuntiatae de Hospitali Maiore; Feria H^a^ de exceptato, ad S. Gottardi; Feria IH^a^ de exceptato, ad S. Ioseph; Feria IV de exceptato, ad S. Mariae Lauretanae; in Vigilia Nativitatis Domini, ad templum metropolitanum; in Nativitate Domini, ad primam Missam, ad S. Mariam de Miraculis apud S. Celsum; ad secundam Missam, ad S. Ambrosii Maioris; ad tertiam Missam, ad templum metropolitanum; in festo S. Stephani Protomartyris, ad S. Stephani Maioris; in festo S. Ioannis Evangelistae, ad S. Mariae prope Castellum; in festo Ss, Innocentium Martyrum, ad templum metropolitanum; in Circumcisione Domini, ad S. Mariae de Victoria; in Epiphania Domini, ad templum metropolitanum; Dominica in Septuagésima, ad S. Laurentii Maioris; Dominica in Sexagesima, ad S. Marci; Dominica in Quinquagesima, ad templum metropolitanum; Dominica I^a^ in Quadragesima, ad templum metropolitanum; Feria II^a^ infra hebdomadam primam Quadragesimae, ad S. Ambrosii Maioris; Feria III^a^ ad S. Marci; Feria IV^a^, ad S. Mariae de Hospitali Maiore; Feria V^a^, ad S. Eustorgii; Feria VI^a^, ad Ss. Apostolorum et S. Nazarii; Sabbato, ad templum metropolitanum; Dominica II^a^ in Quadragesima, ad S. Mariae de Miraculis apud S. Celsum; Feria II^a^ infra hebdomadam secundam Quadragesimae, ad S. Stephani Maioris; Feria HI^a^, ad S. Babilae; Feria IV^a^, ad S. Vincentii in Prato; Feria V^a^, ad S. Mariae Coronatae; Feria VI^a^, ad S. Pauli apud S. Euphemiam; Sabbato, ad S. Georgii in Palatio; Dominica IH^a^ in Quadragesima, ad S. Theclae; Feria H^a^, infra hebdomadam tertiam Quadragesimae, ad S. Mariae in paradiso; Feria HI^a^, ad S. Calimerii; Feria IV^a^, ad S. Victoris ad corpus; Feria V^a^, ad S. Mariae Servorum in S. Carolo; Feria VI^a^, ad S. Celsi; Sabbato, ad S. Sebastiani; Dominica IV^a^ in Quadragesima, ad S. Simpliciani; Feria II^a^ infra hebdomadam quartam Quadragesimae ad S. Mariae Podonis; Feria III^a^, ad S. Caloceri; Feria IV^a^, ad S. Antonii Abbatis; Feria V^a^, ad S. Euphe-

miae; Feria VI[a] ad S. Bartholomaei; Sabbato, ad S. Petri.in Glissato; Dominica V[a] in Quadragesima, ad S. Mariae a Passione; Feria II[a] infra hebdomadam quintam Quadragesimae, ad S. Mariae apud S. Satyrum; Feria III[a] ad S. Aquilini apud S. Laurentium Maiorem; Feria IV[a], ad S. Mariae prope Portam; Feria V[a], ad S. Mariae de Scala in S. Fideli; Feria VI[a], ad S. Bernardini de Monialibus; Sabbato, ad S. Mariae a Monte Carmelo; Dominica Olivarum, ad S. Laurentii Maioris; Feria II[a] in maiore hebdomada, ad S. Francisci de Paula; Feria III[a], ad S. Mauritii ad Monasterium Maius; Feria IV[a], ad S. Mariae Secretae; Feria V[a] in Coena Domini, ad templum metropolitanum; Feria VI[a] in Parasceve, ad S. Sepulchri; Sabbato, ad S. Gottardi in Palatio; Dominica Resurrectionis, ad templum metropolitanum; Feria II[a] in Albis, ad S. Mariae Annuntiatae in Campo Sancto; Feria III[a] in Albis, ad S. Bernardini ad ossa; Feria IV[a] in Albis, ad S. Raphael; Feria V[a] in Albis, ad S. Ambrosii Maioris; Feria VI[a] in Albis, ad S. Thomae in Terra Mara; Sabbato in Albis, ad S. Alexandri in Zebedia; Dominica in Albis depositis, ad templum metropolitanum; In Litaniis maioribus, ad S. Victoris ad Corpus; In Ascensione Domini, ad templum metropolitanum; Feria II[a] Litaniarum, ad S. Ambrosii Maioris; Feria III[a] Litaniarum, ad S. Nazarii; Feria IV[a] Litaniarum, ad S. Laurentii Maioris; In Vigilia Pentecostes, ad templum metropolitanum; Dominica Pentecostes, ad templum metropolitanum; Feria II[a] infra octavam Pentecostes, ad S. Petri in Sala; Feria III[a], ad S. Franciscae Romanae; Feria IV[a], ad S. Mariae de Suffragio; Feria V[a], ad S. Caroli in laemocomio; Feria VI[a], ad SSmae Trinitatis; Sabbato Pentecostes, ad templum metropolitanum; Feria IV[a] quattuor Temporum m. Septembris, ad S. Mariae de Beltrade; Feria VI[a] quattuor eorundem Temporum, ad S. Ioachim; Sabbato, ad templum metropolitanum.

Conlatis itaque consiliis cum dilecto filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Paenitentiario Maiori, praesentium Apostolicarum Litterarum tenore, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui supplicationes stationales, statutis anni diebus, in ecclesiis mediolanensibus praefatis peregerint, omnes et singulas Indulgentias pro ecclesiis stationalibus huius Almae Urbis concessas sive concedendas, ad normam decreti Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, quod supra memoravimus, lucrandas, benigne concedimus ac largimur. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die **xxxim.** Augusti anno **MDCCCCXXxn,** Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

EPISTOLA

AD EMUM P. D. ANDREAM TIT. S. LAURENTII IN DAMASO PRESBYTERUM CARDINALEM FRÜHWIRTH, S. R. E. CANCELLARIUM, XXV EPISCOPATUS ANNUM EXPLETURUM.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quum. in ipso festo Sancti Andreae Apostoli, cuius nomen auspicato tibi inditum fuit, annum feliciter explebis a suscepto episcopali honore quintum ac vicesimum, hanc faustitatem tuam taciti omnino praeterire non possumus. Tibi quidem, dilecte fili Noster, plura iam dedimus peculiaris Nostrae aestimationis ac benevolentiae testimonia, praesertim quum munia tibi Paenitentiarii Maioris, ac deinde Ecclesiae Cancellarii ipsi commisimus, quumque •de natali sacerdotii tui sexagesimo gratulandi tibi causa litteras Nostras haud multo ante dedimus. Nunc vero, quoniam gaudia filiorum cum patre convenit esse communia, novam hanc nacti occasionem, sensus animi Nostri tecum conlaetantis rursnm declarare exoptamus. Illud enim praecipue tuae ducitur laudi, quod ipse,-tot annis tantisque meritis cumulatus, animo semper vegeto studia ac labores numquam intermittens, universae Ecclesiae regimini in Romana Curia praesto esse non desinis, simulque ad gloriam sanctorum illustrandam decusque Dominiciani Ordinis provehendum sedulo iugiterque incumbís. Neque id minus est admirandum, te, in tanto honore constitutum, de humanitate ac modestia ante actae aetatis nihil remittendum existimasse, ita ut, qui dignitate ceteris excellis, facilitate infimis par esse videaris. Quare Nos equidem, ista sollemnitate communem laetitiam ex animo participantes, faustis te ominibus fervidisque votis libentes prosequimur; et quamquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium, tamen excellentiora quaedam-ac iucundiora praemiorum genera tibi a Deo imploramus, ut longaeva ista senectus omnibus solaciis gratiisque caelestibus affatim perficiatur. Horum interea praenuntia donorum, peculiarisque caritatis Nostrae testis apostolica esto benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, tuisque laborum adiutoribus, universoque Praedicatorum Ordini peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxix mensis Novembris; pervigilio Sancti Andreae Apostoli, anno MDCCCCXXXLT, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

i

DECRETUM

DAMNATUR LIBER ERNESTI BUONAIUTI >

Feria IV, die 25 Ianuarii 1933

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii,, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

ERNESTO BUONAIUTI. *La Chiesa Romana.* Milano, Guardi e Noto, 1933.

Et sequenti Feria **V,** die 26 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impeitita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 27 Ianuarii 1933.

A. Subrizi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius,*

il

EVULGATIO DECRETI SUPPRESSIONIS CUIUSDAM RELIGIOSAE MULIERUM CONSOCIATIONIS.

Decretam iamdiu (feria IV, die 2 Iulii 1930) suppressionem religiosae mulierum consociationis cui vulgo titulus « Missionarie adoratrici e riparatrici del Sacro Cuore Eucaristico di Gesù» cuiusque domus princeps in oppido *San Piero in Bagno* dioecesis Biturgensis *(Borgo San Sepolcro)* reperitur, cum praescriptis S. Officii plene ipsae non obtemperaverint, Emi et Rmi Dñi Cardinales fidei moribusque tutandis praepositi, in plenario conventu habito feria IV, die 25 proxime elapsi mensis Ianuam,

probante Ssmo Pomino Nostro Pio Pp. XI, evulgandam mandarunt. Sciant igitur omnes et singuli, quorum quomodocumque interesse queat, praefatam mulierum consociationem esse plane suppressam et ceu talem ad omnes iuris effectus omnino habendam esse.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 1 Februarii 1933.

A. Subrizi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

28 Novembris 1932. — Titulari episcopali Ecclesiae Dausarenae praefecit R. P. Franciscum Gomez de Santiago, ex Ordine Fratrum Praedicatorum, quem constituit Coadiutorem, cum iure successionis, R. P. D. Alexandri Garcia Fontcuberta, Vicarii Apostolici de Haiphong.

29 Novembris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Gabulensi, R. D. Iosephum Attipetty, Cancellarium Curiae Verapolitanae, quem constituit Coadiutorem, cum iure successionis, R. P. D. Angeli Mariae Perez y Cecilia, Archiepiscopi Verapolitani.

— Titulari episcopali Ecclesiae Vasadensi, R. P. Iosephum Byrne, e Congregatione Sancti Spiritus, quem constituit Vicarium Apostolicum de Kilima N jaro.

— Titulari episcopali Ecclesiae Coronensi, R. P. Eduardum Van Goethem, e Congregatione Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu, quem constituit primum Vicarium Apostolicum de Coquilhatville.

— Titulari episcopali Ecclesiae Pomariensi, R. P. H ubertum Paulissen, e Societate Lugdunensi pro Missionibus ad Afros, quem constituit Vicarium Apostolicum de Kumasi.

16 Decembris. — Cathedrali ecclesiae Alexandrinae in Luisiana, R. D. Danielem Desmond, ex archidioecesi Bostoniensi.

10 Ianuarii 1933. — Titulari episcopali Ecclesiae Thaumacensi, R. P. *jy.* Aemilium Barillon, hactenus Episcopum Malacensem.

10 Ianuarii 1933. — Titulari episcopali Ecclesiae Aradensi, B. P. Petrum Mariam Gourtay, e Congregatione Sancti Spiritus, quem constituit primum Vicarium Apostolicum Guyanae Gallicae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Paphiensi, B. D. Iosephum Fan, e clero saeculari vicariatus apostolici de Tsining, quem constituit Vicarium Apostolicum de Tsining.

— Titulari episcopali Ecclesiae Gadarensi, B. P. Martialem Jannin, e Societate Parisiensi missionum ad exteras gentes, quem constituit primum Vicarium Apostolicum de Kontum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sozopolitanae, B. D. Ioannem Baptistam Tong, e clero saeculari vicariatus apostolici de Saigon, quem constituit Coadiutorem, cum iure successionis, B. P. D. Ioannis Petri Alexandri Marón, Vicarii Apostolici de Phat-Diem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aulonitanae, B. P. Ioannem Larrart, e Societate Parisiensi missionum ad exteras gentes, quem constituit Coadiutorem, cum iure successionis, B. P. D. Francisci Lazari Seguin, Vicarii Apostolici de Kweiyang.

27 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Ventimiliensij B. D. Augustinum Bousset, parochum oppidi *Bardonecchia,* in dioecesi Segusiensi.

II

DESIGNATIO OBDTNABII PBO APPELLATIONE

Iuxta can. 1594, n. 2 Codicis iuris canonici, Archiepiscopus Friburgensis designavit pro appellatione in secunda instantia tribunal Ordinarii Bottenburgensis.

Quam designationem S. C. Consistorialis die 3 Ianuarii 1933 adprobavit.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

FESULANA

IURIS PRAESENTANDI

Die 21 Iunii 1930

SPECIES FACTI. - Exstat Fesulis unica paroecia, quae inde ab anno 966 Capitulo ecclesiae cathedralis unita fuit. Ab eo tempore Capitulum, sive per se sive per sacerdotes a se deputatos, animarum curam exercuit. Urgentibus postea decretis S. Tridentinae Synodi et Sacrae Congregationis

Concilii, Episcopus Mancini, decreto diei 11 Octobris 1786, animarum curam ad tramitem iuris ordinavit, edicens ut eadem primo et principaliter esset penes Praepositum, eique adiungens duos canonicos curatos et unum cappellanum.

Verum substantialis reformatio locum habuit anno 1896. Nam Episcopus Camilli, de consensu Capituli et Sancta Sede probante, totam actualem curam paroeciae cathedralis in perpetuum et exclusive primae Dignitati, id est Praeposito, commisit. Ex eo tempore in omnibus nominationibus Praepositi nunquam Capitulum ius praesentandi sibi vindicavit, ne tunc quidem quum Sacra Congregatio Consistorialis, decreto diei 26 Aprilis 1914,. in ecclesia cathedrali Fesulana duas novas Dignitates creavit, Archidiaconatum nempe et Primiceriatum. Nominatio Praepositi, ut antea, libere facta fuit a S. Sede, praevia tamen designatione candidati ex parte Episcopi.

Novissime tantum, cum die 1 Martii 1929 vacaverit Praepositum, Capitulum ius suum reclamavit, ad normam canonis 471 § 2, C. I* C.

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - Argumenta quae Capitulum ad suum ius Vindicandum attulit, ad haec reducuntur: ,

Capitulum per septem fere saecula curam actualem animarum exercuit. Anno 1896 eam quidem Praeposito transmisit, sed sibi omnia iura parochi habitualis reservavit. Si post annum 1896 non participavit ad praesentationem Praepositorum, tamen iuri suo nunquam valedixit.

Cum autem vigente Codice I. C, nunc prima vice Praepositura vacaverit, ius suum praesentandi S. Sedi candidatum ad Praeposituram qua suum vicarium perpetuum Capitulum réclamât ad normam canonis 471 § 2. Et cum parocho habituali, vi eiusdem canonis, ius competat designandi Episcopo vicarium oeconomum, etiam hoc ius Capitulum sibi vindicat.

Ex adverso haec opponuntur argumenta:

Ius Capituli quoad designationem vicarii oeconomi fundamento caret, sicut constat ex resolutione Sacrae Congregationis Concilii diei 9 Septembris 1786 in *Urbevetana (Fontes,* VI, n. 3855, p. 140).

Enimvero canon 472 § 1 statuit « vacante paroecia Ordinarius loci in ea quam primum constituat idoneum vicarium oeconomum, de consensu Superioris, si de religioso agatur, qui eam tempore vacationis regat, assignata eidem parte fructuum pro congrua sustentatione ». Quapropter, ex canone 472 § 1, ius nominandi oeconomum curatum Ordinario exclusive pertinet, sicut iam disposuit S. Concilium Tridentinum, cap. 18, sess. XXIV, *de ref.*

Ius praesentandi vicarium actualem, qua parocho habituali, ex canone 471 § 2 Capitulo competit. At cum vicaria, de consensu Capituli, in

perpetuum unita fuerit Praepositurae, haec, qua Dignitas, est Sedi Apostolicae reservata. Capitulum nec ante, nec post annum 1896, hoc ius sibi vindicavit, ideoque canon 47.1 § 2 nequit urgeri, ratione contrariae consuetudinis, iam ab anno 1786 inductae.

Nec potest Capitulum sibi vindicare ius praesentandi Praepositum vicarium, quia Capitulum nunquam eum praesentavit, et saltem ab a. 1896 S. Sedes libere instituit vicarium, praecipue quia etiam libere Praeposituram conferebat, unde legitima invaluit consuetudo ne Capitulum vicarium praesentare^ Cum haec consuetudo esset in favorem S. Sedis, non poterat per Capitulum auferri. Ceterum ex parte eiusdem S. Sedis non constat de approbatione actus capitularis anni 1896, quum verba: « rimanendo nella sostanza invariati i diritti che gli competono della parrocchialità abituale » sint generica, nec derogare valeant iuri S. Sedi, lìbere conferendi Praeposituram, cum qua simul nominaret vicarium actualem.

Insuper Praepositura eo tempore erat unica Dignitas in Capitulo Fesulano, libere proinde a S. Sede conferebatur. Et quamvis nunc Praepositura sit tertia Dignitas propter alias duas, quae a Sacra Congregatione Consistoriali anno 1914 institutae fuerunt, eodem modo S. Sedi reservatur, quia hodie Codex non iam S. Sedi reservat ius nominandi primam Dignitatem in Capitulis, verum ius collationis omnium Dignitatum ad normam canonis 396 § 1.

RESOLUTIO. - Proposita itaque fuerunt in plenario conventu diei 21 Iunii 1930 sequentia dubia:

I. *An Capitulo, vacante paroecia, competat ius nominandi vicarium oeconomum, in casu;*

II. *An eidem Capitulo competat ius praesentandi ad S. Sedem vicarium perpetuum, in eam.*

Porro Emi Patres respondendum censuerunt: *Negative ad utrumque.*

Facta autem postridie de praemissis Ssmo Dno Nostro Pio div. Prov. Pp. XI relatione per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA COMRMATIO RITUUM

.'•i

DUBIUM

DE MISSIS CELEBRANDIS IN HONOREM SANCTI FUNDATORIS VEL SANCTAE ' FUNDATRICIS CUIUSLIBET CONGREGATIONIS.

Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna solutione sequens dubium propositum" fuit, nimirum :

« An Missae de Sancto Fundatore vel de Sancta Fundatrice cuiuslibet Congregationis vel Instituti, quae ad divinum Officium recitandum non tenentur, iisdem gaudeant privilegiis liturgicis ac Missae aliorum Sanctorum, qui ab aliqua Congregatione, ad Officium recitandum obstricta, recoluntur sub ritu duplici primae classis cum octava communi, ad mentem novarum Rubricarum Breviarii Romani».

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, reque mature perpensa, rescribendum censuit: *Affirmative**

Atque ita rescripsit et declaravit, die 23 Decembris 1932.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. © S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

PICTA VEEN.

CANONIZATIONIS BEATI ANDREAE HUBERTI FOURNET, CONFESSORIS, SACERDOTIS SAECULARIS, FUNDATORIS INSTITUTI FILIARUM CRUCIS, VULGO SORORUM S. ANDREAE.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam praedicto Beato venerationem, tuto *procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem.*

«Si pastor bonus, ait Augustinus (Tract. OXXIII, 5, in Ioan.) qui posuit animam suam pro ovibus suis, ex ipsis ovibus tam multos sibi martyres fecit, quanto magis debent usque ad mortem pro veritate certare et usque ad sanguinem adversus peccatum, quibus oves pascendas hoc est

docendas regendasque committit?» Beatus Andreas Hubertus Fournet, gallici cleri ac praesertim parochorum decus et ornamentum, hanc genuinam pastoris animarum in se expressit imaginem. Boni enim Pastoris Christi Iesu vestigia pone sequutus nulli labori, nulli pepercit industriae, ut animas Christo, lucrifaceret. Quin immo, saeviente sub exitu deeimi-octavi saeculi Gallica perturbatione, exilium antea passus, iugi postea mortis periculo se tradere non dubitavit, in patriam clanculo rediens, ut animas Christi sanguine redemptas Sacramentis aliisque spiritualibus subsidiis, in eo tanto religionis discrimine, recrearet, atque in fide confirmaret.

Nec apostolico zelo, quo medullitus cor eius exardescebat, parochialia munia fuere satis. Sane, ut validiore conatu post rei publicae eversionem, quae Galliam praesertim exagitaverat divina hunianaque omnia pessumdans, christianae vitae instauratio fieret, Piliarum Crucis, quas a S. Andrea Sorores vocant, Institutum condidit, quod, opera Venerabilis Elisabeth Bichier des Ages accedente, ubérrimos in Ecclesia Dei fructus feliciter attulit.

Meritis sanctaeque vitae operibus clarus anno 1834 in Domino quievit, annos natus duos super octoginta.

Virtutibus et miraculis, quae ad eius intercessionem Deus patraverat, post rigidas de more inquisitiones, probatis, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI die 16 Maii anno 1926 hunc Dei Servum Beatorum fastis adscripsit.

Verum cum nova indubia divinae voluntatis signa ad huius Beati ampliorem glorificationem accessissent, haec rigore pari fuerunt rite excussa, et, per decretum die 20 Novembris proxime elapsi anni latum, probata fuere.

Ut autem causa ad ulteriora procederet, videlicet ad Canonizationem properaret, dubium discutiendum supererai: *An stante approbatione duorum miraculorum post indultam Beato Andreae Huberto Fournet venerationem*,* tuto *procedi possit ad solemnem praedicti. Beati Canonizationem.* Dubium hoc a Emo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente seu Relatore,.in generalibus Sacrae huius Congregationis comitiis, coram Ssmo D. N* die 20 Decembris nuper elapsi habitis, propositum fuit. Patres Cardinales, Officiales Praelati et Patres S. R. C. Consultores suum affirmativum suffragium unanimiter edidere. Verum Beatissimus Pater sententiam suam in re tanti momenti iudicanda proferre distulit, ut sibi ceterisque, qui adstabant, Deum, patrem luminum, adprecandi amplioris temporis spa.-tium suppeteret.

Ut autem suam mentem panderet hanc selegit diem, Dominicam intra octavam Epiphaniae Domini, Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph celer

brandae sacram. Devotissime itaque eucharistica Hostia litata, ad se Rmos Oardinales Camillum Laurentius. R. C. Praefectum, et Alexandrum Verde, Causae Ponentem seu Relatorem, nec non R. P. Salvatorem Natucei, Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium arcessiri iussit, eisque adstantibus pronunciavit: Tuto *procedi posse ad solemnem Beati Andreae Huberti Fournet Canonizationem.*

Hoc autem decretum promulgari et in S. R. C. acta referri mandavit die 8 Ianuarii anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

' L. £8 S.

A. Carinci, *Secretarius.*

III

ANDEGAVEJST.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI MARIAE A S. EUPHRASIA PELLETIER PROFESSAE EX ORDINE DOMINAE NOSTRAE A CARITATE, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A BONO PASTORE.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Christum Dominum imitans, qui, ut humanum genus peccato perditum Pastor bonus quaereret, de caelo descendit, Ven. Maria a S. Euphrasia, ut devias et periclitantes feminas ad Domini caulam reduceret, spiritualibus pascuis recrearet, et ab insidiis defenderet, quae, docente S. Thoma, - sunt boni pastoris officia, inter Filias B. M. V. a caritate a S. Ioanne Eudes fundatas cooptari voluit. Dein ut novam paenitentium domum seu refugium fundaret, Andegavum fuit missa: eo successu, ut plurimae aliae domus inde promanaverint, eodem inter se spiritu coniunctae. Postea vero, adprobante Apostolica Sede, servatisque constitutionibus a S. Ioanne Eudes conscriptis, ex omnibus his religiosis domibus, ut firmiore robore starent, una Congregatio coaluit, quae a Bono Pastore nomen congruenter suscepit. In quo perficiendo opere incredibile est quot luctamina atque discrimina per fere triginta annos, plurimis adversantibus, sustinere debuerit. Sed invicta mulier, in Deo unice confisa, caritate duce simul ac iustitia, regiam viam est sequuta, quae, ut S. Gregorius Magnus dicit: «Fortitudo est, a qua déclinât ad dexteram qui temerarius est et pertinax, ad sinistram qui formidolosus est et pavidus ». Maria a S. Euphrasia nec temeraria nec pavida, aspera

ac diuturna certamina gloriose superavit: eiusque Institutum, tribulationum igne probatum, firmiore fundamento constabilitum est. Meritis onusta a.' 1868, aetatis suae septuagesimo secundo, ad caelestia regna evolavit.

Die 24 Februarii anno 1924 de eius heroicis "virtutibus ab hae Sacra Congregatione decretum prodiit.

Innumerae gratiae seu signa ad eius intercessionem a Deo sunt elargita ex quibus actores, ut ad Venerabilis Dei Famulae beatificationem progredi possent, duas sanationes, quae veris miraculis tribuendae visae sunt, selegerunt, super quibus Apostolica auctoritate tum in Nashvillensi dioecesi in Foederatis statibus borealis Americae, tum in Atrebatensi in Gallia processus constructi sunt. De horum processuum validitate diebus 9 Novembris anno 1927 et 19 Novembris anno 1930 decretum est. In episcopali curia Nashvillensi de Maria Magdalenae Hodges sanatione quae in domo Sororum a Bono Pastore in urbe Memphi evenit, actum est. Haec, quae laparatomiae subiecta fuerat, ut a morbo curaretur, qui in biliaribus viis exstabat, a quo tunc liberata fuit, cancere stomachum et intestina pervadente inventa est affecta. Porro cancer adeo diffundebatur atque ita intime viscera complectebatur ut chirurgico ferro exscindi nequiret. Naturalis itaque sanationis, ipsis testantibus a cura medicis, nulla spes supererai. Ast dum novendiales preces ad obtinendam sanationem, Venerabili Maria a S. Euphrasia intercedente, effundebantur Augusti mensis initio, an. 1913," postmeridianis horis, Maria Magdalena temporis puncto perfecte sanatam se sentit, a lecto exsilit, expedita ambulat, per scalas prompta ascendit et descendit, eiusdemque diei sero centumseptuaginta coenantibus puellis alacris inservit: exin, medicorum quoque exploratione adhibita, bona valetudine est gavisa.

Ambo curantes medici et tres periti ab hac Sacra Congregatione delecti sanationem supra naturae vires evenisse sine ulla haesitatione fatentur.

Inquisitio altera in episcopali Atrebatensi curia super Mariae Olive sanatione est peracta. Puella haec ab anno 1923 teterrimo morbo in facie tentari coepit, qui adeo invaluit, ut foedum ulcus^efformaverit, quod anno 1925 totum nasum et frontis partem horride devastabat. Morbus a curantibus medicis atque a peritis ab hac Sacra Congregatione designatis *lupus* definitus fuit, cuius pessimi ulceris sanatio numquam profecto in instanti quit obtineri.

Quum omnia medicamina incassum cederent, Venerabilis Mariae a S. Euphrasia praesidium infirma et Sorores invocavere, et eiusdem reliquiarum pars ulceri fuit apposita. Porro die 11 Aprilis, Sabbato Sancto, hora post meridiem septima, infirma puella haemorrhagiam ex vivida

plaga est passa: hora decima somnum cepit. Nocte perdurante, se in facie leniter vellicari sentit, expergiscitur, manum faciei admovet, speculum consulit, et ulcus evanuisse videt.

Sanationem hanc divinae operationi esse tribuendam Sacrae huius Congregationis periti et medicus à curatione unanimiter affirmant.

Servatis itaque omnibus de iure servandis coram Emo Cardinali Caietano Bisleti, causae Ponente seu Eelatore, antepraeparatoria Comitia die 24 Februarii anno nuper elapso habita sunt: die autem 19 mensis Iulii Praeparatoria: in quibus quum quaedam circa genuinum textum et vim nonnullorum verborum cuiusdam depositionis magis elucidanda visa sint, Sacrae huius Congregationis generali Eelatori studium enodandae difficultatis fuit commissum^ qui, documentis omnibus critice perpensis atque ad fidem originalis textus excussis, rem in claro facile posuit. Quare die 20 superioris mensis Generalis Congregatio coram Ssmo D. N. Pio Papa Undecimo fuit coadunata. In qua Emus Cardinalis Caietanus Bisleti Causae Ponens seu Eelator, dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi Cardinales, Officiales Praelati et Consultores suam quisque protulit sententiam. Verum Beatissimus Pater, qui omnium iudicia intento animo audiverat, suam distulit proferre sententiam, et adstantes divini luminis copiam implorare hortatus est. Ut suam autem mentem panderet, hodiernam elegit diem, Dominicam intra Octavam Epiphaniae Domini, sacrae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph dicatam. Quapropter ad se arcessiri iussit Rmos Cardinalem Camillum Laurenti S. E. C. Praefectum et Caietanum Bisleti, causae Ponentem seu Belatorem, nec non E. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium, et sacratissimo Eucharistico sacrificio pientissime litato, iisdem adstantibus edixit: *Constare de duobus miraculis, Venerabili Maria a S. Euphrasia intercedente, a Deo patratis:* videlicet: *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Magdalenae Rodges a cancere stomachum et intestina pervadente in sinistro hipocondrio;* nec non: *Instantaneae perfectaeque sanationis puellae Mariae Olive, quam gravissimus nasi morbus (lupus) afflictabat.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. E. O. referri mandavit: die 8 Ianuam anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. m s.

A. Carinci, *Secretarius.*

iv ;

BEIXIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI VINCENTIAE GEROSA, ALTERIUS FUNDATRICIS SORORUM A CARITATE IN OPPIDO LUERE, BRIXIENSIS DIOECESIS.

: **SUPER DUBIO**

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Paucis abhinc diebus hac ipsa in aula, coram eadem Pontificia Maiestate, duo promulgata sunt Sacrae huius Congregationis decreta in quibus divinae misericordiae magnificentiam in duobus Galliae filiis, B. Andrea Huberto Pournet et Venerabili Maria a S. Euphrasia Pelletier, heroicis virtutibus et miraculorum luce praeclaris, admirati sumus. Hodie vero in humillima virgine, italicae gentis nobilissimo flore, divinam virtutem et magnificentiam nobis iterum stupentibus suspicere est datum.

Quo humilior virgo, quam celebramus, eo altior *voce Domini in virtute, vox Domini in magnificentia* (Ps. 28, 4) nunc insonat. Quae psalmi verba Augustinus commentans « Vox Domini in virtute — ait — vox Domini iam in ipsis, potentes faciens eos; vox Domini in magnificentia, magna faciens in eis » *(Enarr. in Ps. 28).*

Re quidem vera Venerabilis Vincentia Gerosa, quae abhinc centum annos, in condendo Instituto Luerensi Sororum a Caritate, B. Bartholomaeae Capitanio incomparabilis fuit adiutrix, qua anno 1833 demortua, in eodem, vix inchoato, perficiendo et dilatando mirae dexteritatis prudentiae et sapientiae specimina dedit, eousque in sui despectionem pervenit, ut ex corde se nihili existimaret, et se suaque omnia in Christi crucifixi plagas fidentissime reponeret, dicere solita: « Qui Crucifixum ignorat nihil scit, qui Crucifixum novit, scit omnia ». Christo igitur crucifixo innixa ad heroicarum virtutum culmen pervenit, uti die 24 Iulii a. 1927 fuit decretum. In Vincentia Gerosa igitur *vox Domini in virtute* fuit, eam potentem robore sanctitatis faciens, eademque *vox* in ea *in magnificentia* prodivit, magna faciens in ea. Magna siquidem Deus fecit in ea,, non solum mirificum spirituale aedificium in eius anima construendo, sed et miraculis •eius virtutes confirmando, uti S. Robertus Bellarminus haec psalmi verba interpretatur: « Ad gloriam miraculorum, ait S. Doctor, pertinet illud *in magnificentia,* sive *splendore et decoré» {Expían, in* Ps., Romae 1931, p. 124 c. 2).

Pluribus miraculis seu gratiis Venerabilis Vincentiae intercessionis potentiam Deus comprobavit; ex quibus'<luae sanationes, quae prae ceteris supra naturae vires a Deo, ea intercedente, patratae dicebantur, delectae sunt eo fine, ut Sacrae huic Congregationi exhiberentur ád eius beatificationem obtinendam.

In loco vulgo dicto *Castegnato,* intra Brixiensis dioecesis fines, duae Sorores ex eodem Instituto, cuius Venerabilis Vincentia altera fundatrix habetur, paucis interiectis annis mirabiliter sanatae sunt; et Apostolica auctoritate in eadem Brixiensi curia super utraque sanatione inquisitio est peracta: de cuius iuridica vi die 21 Novembris anno 1928 editum est decretum.

Soror Maria Seraphina Magnifico, quae tuberculosi in pulmonibus laboraverat, tuberculari spondylite affecta etiam est, unde plusquam ducenti ossifluentes abscessus, continuata veluti serie scatentes, misellae corpus, novem per annos horrendum devastavérant. Qui morborum complexus eousque Seraphinam infecerat, ut ipso sanationis die, curantis medici iudicio, nulla amplius vitae spes superesset, quatuor adhuc vel quinque permanentibus ac putrida sanie manantibus, abscessibus, eo praesertim qui magno hiatu coxo-femoralem articulationem nudaverat. Quum autem omnia medicamina, ceteraeque curae adhibitae incassum cederent, ferventi animo ad Venerabilis Vincentiae intercessionem habitus fuit recursus. Novemdiales preces tanta perseverantia effusàe, ut eaedem, numero vigintiquatuor, die Septembris • mensis nona anni 1921 complerentur. Mane huius diei, infirma, sacro Christi Corpore accepto, ad novam quasi vitam resurgens, paresi crurium et doloribus, praesertim in dorso, illico cessantibus, e lecto veluti invisibili manu depulsa exsilit, et per integram horam, studentibus omnibus et prae gaudio gestientibus, per domum, tamquam numquam infirma fuisset, cursitat.

In recuperata bona valetudine ad Indicas prius profecta est missiones, dein ad Palestinenses.

Soror Placida Zanisi pulmonum et praesertim peritonaei tuberculosi una cum tanti morbi pessimis consectariis laborabat. Post novem aegritudinis annos tot divexata malis eo devenerat, ut Extrema Unctione fuisset roborata et die ipso sanationis, 25 Octobris mensis anno 1925, mox moritura sacro viatico munita fuisset. Eodem mane, ad Venerabihs Vincentiae invocationem, Soror Placida, illico perfecte sanata, e lecto prosilit, quoslibet cibos sibi appositus, manducat, et ad pristina redit officia..

Utramque sanationem tum medicus a curatione, tum quatuor periti a Sacra Congregatione delecti, supra totius naturae vires evenisse concordi iudicio affirmant.

Servatis itaque omnibus, quae de iure servanda sunt, coram Emo Cardinali Caietano Bisleti, causae Ponente seu Relatore, antepraeparatoria Sacrorum Rituum Congregatio die octava Martii anno elapso habita fuit, quam, die secunda Augusti, Praeparatoria est subsequuta. Generalis denique coram Ssmo D. JST. Pio Papa XI die 3 mensis huius coacta fuit, in qua Rmus Cardinalis Caietanus Bisleti, Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet in easu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati et Consultores suas aperuere sententias, quas Beatissimus Pater intento animo excepit. Verum suum iudicium proferre distulit: interim preces ad Deum patrem luminum effusurus.

Opportune autem et feliciter haec tam fulgidorum miraculorum proclamatio Sanctitatis Suae iussu in hodiernam diem incidit, Dominicam III post Epiphaniam, in cuius Missa evangelica historia sanationum leprosi et servi centurionis narratur, quas D. N. I.C, sicut et ambas, de quibus hoc in decreto relatum est, dignatus est operari. Quapropter sacrosancto Eucharistico sacrificio devotissime litato, arcessitis R mis Cardinalibus Camillo Laurenti S. R. C. Praefecto et Caietano Bisleti, Causae Ponente seu Relatore, nec non R. P. Salvatore ÏTatucci, Eidei Promotore generali, meque infrascripto Secretario, edixit: *Constare de duobus miraculis, Venerabili Vincentia Gerosa intercedente, a Deo patratis,* scilicet: *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Mariae Seraphihae Magnifico a tuberculari spondylite in plurimos ossifluentes abscessus novem annos eam afficiente et prodeunte usque in marasma tuberculare;* nec non: *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Mariae Placidae Zanisi a tubereulosi pulmonum et praecipue peritonaei pessimis aliis stipata symptomatibus.*

Hoc decretum promulgari et in acta S. R. C. referri mandavit die 22 Ianuarii anno Domini 1933.

C. Card. LAUREATI, *Praefectus.*

***h.* © s.**

A. Carinci, *Secretarius,*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

1

ANTIOCHE^. MARONITARUM

NULLITATIS MATRIMONII (OUAR NASSR FARBS-NUAR NASSIF)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Nuar Nassif, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via delia Dataria, 94) die 3 Aprilis 1933, hora ***1%*** ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dñi Nuar Nassif, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L.)$(S. U. Mannucci, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 5 Decembris 1932.

Adv. T. Tani, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Nuar Nassif, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne òu par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, via della Dataria, n. 94), le 3 Avril 1933, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Nuar Nassif, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

TYRNAVIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (WOLF-KRALIK)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Helenae Kralik, in causa conventae, eamdem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via delia Dataria, 94) die *%1* Martii 1933, hora \% ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendo, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

Ah constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Helenae Kralik, curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur.*

L. S. M. Massimi, Decanus *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 12 Decembris 1932.

Adv. T. Tani, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Hélène Kralik, défenderesse en cette cause, Nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, via della Dataria, n. 94), le 27 Mars 1933, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Mme Hélène Kralik, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 6 Dicembre 1932, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessandro Verde, Ponente della Causa di canonizzazione della Beata Maria Bernarda Soubirous, delia Congregazione delle Suore di Carità e dell'Istruzione cristiana, di Nevers, ha avuto luogo la Congregazione *Antipreparatoria* dei Sacri Riti, su due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione della suddetta Beata.

Martedì, 13 Dicembre 1932, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali e col voto dei Revmi Prelati Officiali e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* per discutere sopra due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Ven. Serva di Dio Caterina Labouré, Religiosa delle Figlie della Carità, i quali vengono proposti per la sua beatificazione.

Martedì, 20 Dicembre 1932, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla augusta presenza del Santo Padre, ha avuto luogo la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati ed i Consultori teologi han discusso e dato il proprio voto sul *Tuto* per la solenne canonizzazione del Beato Andrea Uberto Fournet, sacerdote e fondatore della Congregazione delle Figlie della Croce, dette Suore di S. Andrea. I predetti inoltre han discusso due miracoli che si asseriscono operati dalla Ven. Serva di Dio Maria da S. Eufrasia Pelletier, fondatrice delle Suore del Buon Pastore, miracoli che vengono proposti per la sua beatificazione.

Martedì, 3 Gennaio 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, davanti all'augusta presenza del Santo Padre, ha avuto luogo la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati e Consultori teologi della stessa S. Congregazione, hanno discusso sopra due miracoli che si asseriscono operati per intercessione della Venerabile Vincenza Gerosa, confondatrice dell'Istituto delle Suore di Carità di Lovere, miracoli che vengono proposti per la beatificazione della stessa Ven. Serva di Dio.

Martadì, 17 Gennaio 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, coll'intervento degli Emi Signori Cardinali e col voto dei Revmi Prelati e Consultori teologi, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* dei Sacri Riti per discutere sopra due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Beata

Teresa Margherita Redi, del S. Cuore di Gesù, Vergine, Religiosa professa dell'Ordine dei Carmelitani Scalzi, i quali miracoli vengono proposti per la sua canonizzazione.

Martedì, 24 Gennaio 1933, nel palazzo Apostolico Vaticano ha avuto luogo- la Congregazione così detta *Particolare*, dei Sacri Riti, nella quale è stato discusso sulla validità dei Processi Apostolici sopra ai miracoli attribuiti ai:

1. Beato Vincenzo M. Strambi, Passionista, Vescovo di Macerata e Tolentino.

2. Beato Giovanni Bosco, fondatore della Pia Società di San Francesco di Sales (Salesiani) e dell'Istituto delle Figlie di Maria Ausiliatrice.

3. Beato Corrado da Parzham, laico professo dell'Ordine dei Frati Minori Cappuccini.

4. Beata Lodovica de Marillac vedova Le Gras, fondatrice delle Figlie della Carità.

Sulla validità dei Processi Apostolici ed Ordinari sui martirio, sugli scritti e sul culto dei Servi di Dio Martino di San Nicolao e Melchiorre di S. Agostino, sacerdoti dell'Ordine degli Eremitani Recolletti di S. Agostino.

Sui culto non mai prestato ai:

1. Servi di Dio Rocco Gonzalez de Santa Cruz, Alfonso Rodríguez e Giovanni del Castillo, della Compagnia di Gesù.

2. Serva di Dio Anna Maria Antigo, Suora dell'Ordine di S. Chiara.

3. Serva di Dio Paola Delpuig Gelabert di S. Luigi, delle Suore Carmelitane della Carità.

Martedì, 31 Gennaio 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati ed i Consultori teologi hanno discusso e [dato il loro voto dapprima sul dubbio detto del *tuto* per la solenne Beatificazione della Venerabile Serva di Dio Maria da S. Eufrasia Pelletier, Religiosa professa dell'Ordine di Nostra Signora della Carità e Fondatrice dell'Istituto delle Suore del Buon Pastore, e quindi su due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Venerabile Serva di Dio Gemma Galgani, Vergine secolare, i quali miracoli sono proposti per la beatificazione della medesima Venerabile Serva di Dio.

NOTA DELLE CONGREGAZIONI DEI SACRI RITI

• ' • - ' DA TENERSI NELL'ANNO 1933

1. - *3 Gennaio.* . Congregazione generale sopra i miracoli della Ven. Serva di Dio Vincenza Gerosa.
2. -*17* » Congregazione preparatoria sopra i miracoli della Beata Teresa Margherita Redi.

3. - *24 Gennaio.* Congregazione ordinaria particolare.
4. - *31* » Congregazione generale sopra i miracoli della Ven. Serva di Dio Gemma Galgani.
5. - *7 Febbraio.* Congregazione generale sopra i miracoli della Ven. Serva di Dio Caterina Lábouré.
6. - *14* » Congregazione generale sopra i miracoli de Ven. Servo di Dio Giuseppe M. Pignatelli.
7. -***21*** » Congregazione generale.
8. - 7 *Marzo.* Congregazione antepréparatoria sopra i miracoli del Ven.. Servo di Dio Contardo Ferrini.
9.-21 » Congregazione preparatoria.
10. -*28* » Congregazione antepreparatoria sopra i miracoli del Beato Giuseppe Benedetto Cottolengo.
11. - *4 Aprile.* Congregazione antepreparatoria sopra il martirio, segni o miracoli dei Servi di Dio Gregorio Grassi e Compagni.
12. - *25* » Congregazione antepreparatoria sopra il martirio, segni o miracoli dei Servi di Dio Rocco Gonzales e Compagni.
13. - *2 Maggio.* Congregazione antepreparatoria.
14. - *16* » Congregazione generale.
15. -*30* » Congregazione antepreparatoria sopra i miracoli de! Beato Vincenzo Strambi.
16. - *13 Giugno.* Congregazione preparatoria.
17. -*20* » Congregazione antepreparatoria.
18. - *27* » Congregazione preparatoria.
19. - *4 Luglio.* Congregazione preparatoria.
20. - *18* » Congregazione preparatoria.
21. - *25* » Congregazione preparatoria. -
22.- *1 Agosto.* Congregazione preparatoria.
23. - *24 Ottobre.* Congregazione generale,
24. -*31* » Congregazione generale.
25. - 7 *Novembre:* Congregazione generale.
26. - *21* » Congregazione preparatoria.
27.-28 » Congregazione generale.
28. -> *5 Dicembre.* Congregazione generale.
29. -*12* » Congregazione preparatoria.
30. - *19* » Congregazione generale.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente-regnante, si è degnato di nominare :

24 Dicembre 1932. Gli Emi Signori Cardinali Pietro Segura y Saenz e Francesco Marchetti Selvaggi ani, *Membri della Sacra Congregazione del Concilio.*

10 Gennaio 1933. L'Illmo e Revmo Monsig. Giovanni Bressan, Canonico della Patriarcale Basilica Vaticana, *Diacono della Cappella Pontificia.*

12 » » Il Revmo P. Timoteo Schäfer, dell'Ordine dei Minori Cappuccini, *Consultore della Sacra Congregazione dei Religiosi.*

26 » » I Revmi P. D. Pietro Bastien, O. S. B., e il Revmo P. Lazzaro D'Arbonne, O. M. Cap., *Consultori delia Sacra Congregazione dei Concilio.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

23 Gennaio 1932. Monsig. Giuseppe Emanuele Marroquin, dell'archidiocesi di Bogotà.

4 Febbraio » Monsig. Pietro Gaston de Veiga, della diocesi di Nichteroy.

3 Marzo » Monsig. Giuseppe Ruggeri, della diocesi di Teramo.

7 Aprile » Monsig. Alessandro Loschi, della diocesi di Campiñas.

» » » Monsig. Francesco Rosa, della medesima diocesi.

9 Giugno » Monsig. Pietro Franulovié, della diocesi di Ragusa.

» » » Monsig. Ivo Dagonig, dèlia medesima diocesi.

25 Agosto » Monsig. Angelo Sagarminaga, della diocesi di Vittoria.

8 Settembre » Monsig.-Giovanni Sobota, della diocesi di Hradec Kralové.

22 » » Monsig. Pio Bellini, della diocesi di Iesi.

29 » » Monsig. Giovanni D'Alessi, della diocesi di Treviso.

11 Ottobre » Monsig. Stanislao Tuz, della diocesi di Siedlce.

12 » » Monsig. Felice Beretta, della diocesi di Brescia.

13 » » Monsig. Edoardo Devoghel (Roma).

» » » Monsig. Gustavo Teullières, deirarchidiocesi di Algeri.

18 Ottobre 1932. Monsig. Salvino Fontana, dell'archidiocesi di Torino.
20 » » Monsig. Tommaso Adamson, dell'archidiocesi di Liverpool.
Monsig. Giuseppe Sette (Roma).
Monsig. Carlo Raballo, della diocesi di Alba.
27 Monsig. Guglielmo Aspinall, della diocesi dì Salford.
Monsig. Teodoro Giuseppe Francesco Verhoeven, dell'archidiocesi di Utrecht.
3 Novembre » Monsig. Salvatore Dell'Oro, dell'archidiocesi di Milano.
Monsig. Sabino Paulino Pereira, del patriarcato di Lisbona.
Monsig. Giuseppe Jorge Fialho, del medesimo patriarcato.
Monsig. Antonio Paulo Marques, del medesimo patriarcato. . . . •
Monsig. Gregorio Adam, dell'archidiocesi di Caracas.
Monsig. Daniele Molony, dell'archidiocesi di Dublino.
10 Monsig. Michele J. Gal vin, della diocesi di Los Angeles.
» Monsig. Michele O'Gorman, della medesima diocesi.
» Monsig. Bernardo J. Dolan, della medesima diocesi.
17 Monsig. Enrico Meyer, dell'archidiocesi di Colonia.
Monsig. Carlo Eichen, della medesima archidiocesi.
Monsig. Carlo Tindall, della diocesi di Leeds.
Monsig. Enrico Poskitt, della diocesi di Middlesbourgh.
24 Monsig. Roberto Viola, della diocesi di Bagnoregio.
» Monsig. Giuseppe Mittuen, della diocesi di Nitra.
» » Monsig. Vincenzo Giusti, della diocesi dei Marsi.
1 Dicembre Monsig. Luigi Lazzerini, della diocesi di Pienza.
» » Monsig. Vladimiro Usmiani, della diocesi di Segna.
» » Monsig. Pietro Rodolfo Adriano Sweere, della diocesi di Breda.
8 » Monsig. Antonio Mader, della diocesi di Secovia.
» » Monsig. Giuseppe Leska, della diocesi di Budejovice.
Monsig. Carlo Melena, della medesima diocesi.
» » Monsig. Venceslao Novy, della medesima diocesi.
» » Monsig. Tommaso Picha, della medesima diocesi.
28 » Monsig-. Gavino Bagella, dell'archidiocesi di Sassari.

Camerieri d'Onore in abito paonazzo dì S. S. :

7 Luglio 1932. Monsig. Pietro Fritz, della diocesi di Verona.
15 Novembre » Monsig. Francesco Schiebel, dell'archidiocesi di Vienna.
17 » » Monsig. Giovanni Majan, della diocesi di Rosnavia (Cecoslovacchia).
24 ». » Monsig. Gaetano Piscitelli, della diocesi di Giovinazzo.

24 Novembre 1932. Monsig. Provino Arcangeli, della diocesi dei Mars
Í5 Dicembre » Monsig. Angelo Mariani, della diocesi di Pavia.
» » » Monsig. Francesco Gundl, dell'archidiocesi di Vienna.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S.S.:

1 Settembre 1932. Sig. Amory Matthews, dell'archidiocesi di München.
17 Novembre » Sig. dott. Bartolomeo Nogara (Città del Vaticano).

Camerieri d'onore di Spada e Cappa Soprannumerarii di S. S. :

15 Dicembre 1932. Sig. Marchese Bernardo de Froissard (St-Claude).

Cappellani Segreti d'onore di S. S.:

11 Agosto 1932. Monsig. Giuseppe de Luca, della diocesi di Potenza e Marsico Nuovo. ^
27 Ottobre » Monsig. Ladislao Körmendy, della diocesi di Sabaria.

Cappellani d'Onore extra Urbem *di S. S.:*

24 Novembre 1932. Monsig. Ludovico Minya, della diocesi di Rosnavia (Cecoslovacchia).

NECROLOGIO

31 Marno 1932. Monsig. Edoardo Maldonado Calvo, Vescovo di Tunja.
1 Aprile » Monsig. Luigi Spandre, Vescovo di Asti.
.8 Maggio » Monsig. Agostino Klimke, Vescovo tit. di Proconneso.
2 Settembre » Monsig. Venceslao Frind, Vescovo tit. di Gadara.
21 Novembre » Monsig. Giovanni M. Simon, Vescovo tit. di Taumaco.
25 » » Monsig. Giovanni Edoardo O'Dea, Vescovo di Seattle.
29 Dicembre » Monsig. Giulio M. Ludovico Carsalade Du Pont, Vescovo di Perpignano.
31 » » Monsig. Giovanni MacMahon, Vescovo di Trenton.
6 Gennaio 1933. Mönsig. Giovanni Poggenburg, Arcivescovo tit. di Nicopsi e Vescovo di Münster.
» » » Monsig. Carlo Sii wo wski, Vescovo di Vladivostock.
17 » » Monsig, Giuseppe Francesco Re; Vescovo di Alba.
» » » Monsig. Francesco Gilfillan, Vescovo di S. Giuseppe del Missouri.
24 » » Monsig. Francesco Frutos Valiente, Vescovo di Salamanca.

Annus XXV - Vol. XXV **28 Februarii 1933** **Num. 3**

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

LITTERAE APOSTOLICAE

GRATIIS PRIVILEGISQUE AUGENTUR SOLEMNIA LOURDENSIA, LXXV AB APPARITIONE ANNO HABENDA.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Septuaginta quinque abhinc annis in crypta de *Massabielle* nuncupata prope Lapurdensem civitatem in Gallia, Immaculata Virgo Maria Beatae Bernardinae Soubirous se se pluries ostendit, benigneque universos homines ad paenitentiam hortata, mirabilis apparitionis locum gratiis privilegiisque fulcivit. Ad ipsum proinde venerabilem locum ex eo ipso tempore apparitionis Immaculatae Virginis, et paullo post ad sanctuarium apud omnes celeberrimum quod ibidem pie devoteque exstruetum est, ita turmatim christifideles cuiusque ordinis et nationis peregrinantium more convenerunt, hodieque conveniunt, ad opem auxiliumque implorandum Deiparae Virginis, ut sanctuarium idem Lapurdense nunc una e praecipuis ubique terrarum sacris Marialibus aedibus merito existimatur. Verum cum propediem a mirifico apparitionis facto, ex quo cultus pietasque christifidelium erga Deiparam Virginem sine labe conceptam magis magisque in dies crevit, septuagesimus quintus annus sollemniter celebretur; Nos, ut insignis prodigiosi que eventus commemoratio in uberius animorum bonum cedat, libenti quidem animo votis censemus adnuendum, quae Nobis instanter adhibet venerabihs frater Tarbiensium et Lourdensium Episcopus, ut sollemnia proxime celebranda gratiis privilegiisque peculiaribus augeamus. Quapropter, audito

quoque Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Paenitentiario Maiore, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Eius apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, hisce Litteris apostolicis, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui confessi et sacra Communione refecti, memoratam de *Massabielle* cryptam prope civitatem Lapurdensem anno qui decurret a die anniversaria apparitionis Deiparae Virginis, idest undecima proximi mensis Februarii, usque ad diem undecimam eiusdem mensis insequentis anni millesimi nongentesimi trigesimi quarti inclusive, devote visitaverint, ibique pias preces ad Deum iuxta mentem Nostram effuderint, plenariam Indulgentiam, semel tantum lucrandam, die ab eisdem christifidelibus ad libitum eligendo, concedimus in Domino ac largimur. Ut vero christifideles iidem huiusmodi bonum adipiscantur, memorato Tarbiensium et Lourdensium Episcopo facultatem facimus aliquos in sua dioecesi presbyteros saeculares vel cuiusvis Ordinis, Congregationis atque Instituti regulares, ad sacramentales fidelium confessiones excipiendas deputandi, eosdemque christifideles rite dispositos in foro tantum conscientiae absolvendos ab omnibus censuris et casibus Sedi apostolicae reservatis, imposita tamen cuilibet, arbitrio suo, paenitentia salutari; exceptis dumtaxat casibus cum violatione secreti Sancti Officii, tum specialissimo modo Summo Pontifici reservatis, tum denique illis pro quibus, post quoque obtentam vi canonis 900 Codicis iuris canonici absolutionem, obligatio recurrendi ad Sacram Paenitentiariam Apostolicam adhuc manet, eiusdemque standi mandatis, iuxta decretum ipsius Sacrae Paenitentiariae quod die **xvi** mensis Novembris anno **MDCCCCXxvni** editum est. Christifideles autem qui aliqua censura nominatim fuerint affecti, vel uti tales publice renuntiati, nequeant tamdiu hoc beneficio frui, quamdiu, prout de iure, in foro externo non satis fecerint. Si tamen contumaciam in foro interno deposuerint et rite dispositos se se ostenderint, ad finem dumtaxat plenariam Indulgentiam, quam concedimus, lucrandi., poterunt, remoto scandalo, absolvi cum onere se quamprimum etiam in foro externo ad tramitem iuris subiiciendi.

Quo autem Nostra animi benevolentia magis perspecta sit,... *(et quae sunt reliqua).*

Illi vero Sacrorum antistiti, qui amplissimis hisce septuagesimi quinti anni occasione a mirabili apparitione Deiparae Immaculatae festivitatibus, praedicta die xvi proximi mensis Iulii sanctum Missae sacrificium sollemniter celebrabit, facultatem impertiendi tribuimus, Nostro nomine et auctoritate, post ipsam sollemnem commemorationem, servatis servandis, apostolicam christiano populo adstanti cum plenaria addita Indulgentia benedictionem. — Ordinationibus et constitutionibus apostolicis, aliisque contrariis non obstantibus cuiuslibet. — Volumus autem ut praesentium

litterarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius ÏFotarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **xi** mensis Ianuarii anno **MDCCCcxxxni,** Pontificatus nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

i

MONITA

DE USU FACULTATUM CONFESSARIIS PER ANNUM SANCTUM TRIBUTARUM, DEQUE RATIONE INDULGENTIAE IUBILAEI LUCRANDAE, AD NORMAS CONSTITUTIONUM BENEDICTI XIV ET LEONIS XIII EXARATA, AUCTORITATE SS.MI D. N. PII PP. XI AD HODIERNAM DISCIPLINAM ACCOMMODATA EIUSQUE IUSSU EDITA.

Bei consentaneum est ut quae, per Apostolicam Constitutionem «Indicto a Nobis » die xxx superioris mensis datam, amplissimae sane facultates paenitentiariis minoribus ceterisque in Urbe et suburbio confessariis attribuuntur, eaedem summa cura summaque prudentia exerceantur. Ita enim iubilaris veniae largitio, ad quam adipiscendam per sanctum extra ordinem annum christifideles omnes vocantur, tutius profecto atque facilius ad salutem conferet animarum.

Quapropter Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, decessorum Suorum vestigia premens, qui rationibus eiusmodi anteacta aetate consuluerant, decrevit eorum monita, ad praesentem disciplinam accommodata, religiose retinenda esse et singulis, sive Ordinariis sive confessariis ecclesiarumque rectoribus, accurate servanda.

I. Noscant imprimis in compertoque habeant paenitentiarii aliique confessam se extraordinariis hisce facultatibus uti posse dumtaxat erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia Iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si eas excipias quae ad reineidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

Simplices confessarii his facultatibus in foro interno et sacramentali tantum uti possunt; paenitentiarii vero in foro interno etiam extra-sacramentali, dummodo de peculiaribus facultatibus ne agatur pro quibus forum sacramentale expresse requiratur.

Urbis tamen et suburbii parochi, qni per Constitutionem «Indicto a ÏTobis » anno sancto vertente paenitentiariis annumerantur, peculiarem facultatem habeant iubilares visitationes dispensandi, contrahendi ac commutandi ad normam memoratae Constitutionis sub n. X, non modo cum de paenitentibus agitur, sed etiam cum de singulis fidelibus singulisque familiis paroeciae suae.

II. Ssmus D. H". Pius Pp. XI confessariis vel Lapurdi, vel in Palaestina legitime deputatis benigne concedere dignatus est ut per anni sancti decursum a peccatis et a censuris etiam speciali modo Apostolicae Sedi reservatis absolvere queant.

Verumtamen, quandoquidem eiusmodi facultas hisce finibus continetur atque circumscribitur, ut per piacularis anni celebrationem semel tantummodo* cum eodem paenitente exerceri queat, cum scilicet ipsemet iubilarem veniam primum lucretur (cfr. Const. « Indicto a ÏTobis » sub n. XIV); itemque tum solummodo, cum paenitens iam ab alio confessario facultatem habente per anni sancti decursum ab his peccatis atque censuris absolutus non fuerit (cfr. Const. « Nullo non tempore » sub n. I.), summopere necesse est paenitentiarios ac confessarios, ut munere suo rite fungantur, a quolibet paenitente hisce peccatis vel censuris irretito exquirere:

1° utrum iam iubilarem veniam lucrifecerit necne;

2° quodsi eam non lucrifecerit, num, anno sancto vertente, a peccatis vel a censuris reservatis, sive Bomae, sive Lapurdi, sive in Palaestina, absolutus fuerit.

Atque id ipsum tum requirat, cum paenitens se sistat aliqua irregularitate irretitus. Etenim si ipse vel iam iubilarem veniam lucratus fuerit, vel iam fuerit ab irregularitate in Urbe dispensatus, dispensationem eiusmodi iterum obtinere non potest.

III. Confessarii praediscant ac memoria teneant indicem peccatorum, censurarum, paenarum impedimentorumque omnium, quorum absolutio vel dispensatio in facultatibus sibi concessis non comprehenditur; si qua autem eiusmodi occurrerint, meminisse eos oportet, non aliter posse se paenitenti providere, quam iis religiose servatis quae Codex praescribit can. 2254, 2290, 1045 § 3.

IV. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam Iubilaei veniam esse consecuturum.

V. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem

praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

VI. Paenitentiarii, qui [a censuris etiam ¡jpublicis absolvere possunt, hoc exploratum habeant:

Qui aliqua censura fuerint nominatim affecti vel uti tales publice renuntiati, non posse eos tamdiu Iubilaei beneficio frui quandiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in foro interno sincere deposuerint et rite dispositos sese ostenderint, posse, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi ad finem dumtaxat lucrandi Iubilaeum, cum onere quam primum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris.

VII. Ad peccatum quod attinet, per can. 894 reservatum ratione sui, paenitentiarii aliique confessarii absolutionem ne impertiant, nisi paenitens falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna paenitentia.

VIII. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo ad can. 2342, prohibeant, sub paena reincidentiae, quominus paenitens in posterum ad illam religiosam domum eiusque ecclesiam accedat. Firmis quidem manentibus paenis, de quibus sub n. 2 eiusdem canonis agitur.

IX. Religiosos, apostatas a religione, ab excommunicatione can. 2385 lata ne absolvant, quamdiu extra Ordinem permanserint; attamen, si ii firmum habeant propositum ad religionem suam redeundi, congruo iisdem praefinito ad id exsequendum tempore, in foro interno absolvant, ea condicione ut in censuram recidant si intra praefinitum tempus ad religionem non redierint. At ii moneantur, se, quamdiu extra suae religionis domum commorentur, ab actibus legitimis ecclesiasticis excludi, privilegiis omnibus suae religionis privari, Ordinario loci commorationis subiici, atque obnoxios esse, etiam postquam redierint, aliis poenis in can. 2385 statutis. Religiosus autem fugitivus, etiamsi ex Constitutionibus suae religionis in excommunicationem inciderit, absolvi, rite dispositus, in foro interno poterit, imposita obligatione ad religionem quam primum redeundi, eadem ratione eademque sub reincidentiae poena, ac pro apostatis a religione cautum est: praeterea, si sit in sacris, ea lege, ut suspensionem observet can. 2386 statutam.

X. Cum de votorum commutatione|agitur,^id. latiore quadam ratione accipiatur ita quidem ut paenitentiariiTac confessarii, pro sua ipsorum prudentia, in opera etiam minoris meriti vota commutare'possint.

XI. A lectione librorum [prohibitorum, eorum praesertim qui in can. 2318 § 1 sub excommunicationis poena vetantur, ne quemquam

absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario ipsi aut alii, qui facultatem eosdem retinendi habeat, ante absolutionem tradiderit; sin minus, se eos, cum primum [potuerit, destructurum aut traditurum, serio promiserit.

XII. Ad facultatem quod attinet sacras visitationes commutandi vel dispensandi, haec animadvertenda sunt:

1. Cum paenitentiarii ceterique confessarii, iusta quidem de causa, Basilicam in aliam ecclesiam commutabunt, iubilares hae visitationes haud dissimili ratione fiant, ac illae quae in Basilicis praescribuntur; hoc est eaedem adhibeantur preces tum augusto Sacramento, tum Iesu Christo cruci affixo, tum denique Deiparae Virgini; cum vero Confessionis altare ibi non habeatur, catholicae fidei professio coram Ssmo Sacramento pronuntietur.

2. Cum aliquis dispensationem obtinuerit unam vel alteram Basilicam invisendi, nulla facta obligatione aliam ecclesiam per commutationem visitandi, noverit idem sacras visitationes duodecim semper habendas esse, quae proinde in reliquis Basilicis fieri debent. Dispensatio enim alicuius Basilicae visitandae idem non est ac sacrarum visitationum numeri imminutio.

3. Si quis vero, praeter dispensationem alicuius Basilicae visitandae, sacrarum etiam visitationum numeri imminutionem petat, paenitentiarii aliique confessarii tot preces eidem recitandas praescribant, quot visitationes dispensatae fuere; quae quidem preces haud absimiles illis esse debent quae in sacris visitationibus adhibentur.

4. Cum commutatio conceditur visitationis alicuius Basilicae, opportunum est ut eadem, si commode fieri potest, in Sessorianae Basilicae visitationem commutetur.

5. Necesse, ceteroqui, non est invisentibus, ut per Portam Sanctam in Basilicas ingrediantur aut de iis exeant; immo, etiam Basilicis clausis vel aditu ad eas quavis de causa impedito, satis erit ad earundem fores vel gradus Deum exorare, praescriptas preces recitando. At visitatio pia ac devota sit oportet, idest facta animo Deum colendi; quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat.

6. Vocales preces, quae praescribuntur, alternis etiam vocibus recitan possunt. Mutis vero can. 936 consulitur,

XIII. Cum quatuor Basilicarum visitatio non sit opus per se praeceptum, sed tantummodo iis impositum qui libere velint Iubilaei veniae participes fieri, id visitationis onus, quotiescumque a confessariis privilegiatis debet, ex rationabili causa, totum vel ex parte paenitentibus remitti, ne commutetur in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis proprie dictae titulo adstrictus.

XIV. Confessio et Communio ad lucrandam piacularis anni veniam imperatae nihil refert utrum visitationibus quatuor Basilicarum antecedant, an interponantur vel succedant; unum refert et necesse est, ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925 § 1, compleatur. Si quis igitur post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in letale rursus inciderit, iteret confessionem oportet, si sacram Synaxim debet adhuc suscipere; secus, satis erit, ut, actu contritionis perfectae elicito, cum Deo reconcilietur.

XV. Etiamsi omnes Christi fideles, cuiusvis ordinis et gradus, ad Almam hanc Urbem, lucrandi iubilaei causa, advocentur atque invitentur, nulli tamen putent sibi datam adeundae Urbis libertatem, posthabitis eorum, quorum interest, venia vel consensu. Itaque uxores et viri caveant, ne sua peregrinatio gravia familiae incommoda afferat; invitos, vicissim, parentes filii ne deserant. Episcopi ab dioecesi sua ne. discedant, si qua gregi detrimenta metuant; sacerdotes ac reliqui de clero ne romanum iter ingrediantur, nisi Curia eos sua litteris munierit; religiosis, denique, peregrinari non licebit, nisi venia legitime a Superioribus impetrata, quos tamen dedeceat nimium se morosos praestare ac difficiles, et hortationem Benedicti XIV neglegere, qui in Litt. Enc. *Apost. Const.,* die 26 mensis Iunii anni 1749 datis, § *7,* « hac in re benigniores » eos futuros fuisse confidere se declarabat.

XVI. Suspensio facultatum, per Constitutionem *Nullo non tempore,* die 30 Ianuarii n. e. indicta ac denuntiata, ad Urbem eiusque suburbium minime pertinet, cum summopere intersit, per Annum Sanctum, heic sacrorum operariorum copiam et auxilia paenitentibus e culparum caeno ad divinam gratiam revocamus nec imminui nec deficere. Quisquis igitur Romae eiusmodi facultatibus sit legitime munitus, eas per piacularem annum in Urbe et suburbio, intra fines concessionis sibi factae et temporis sibi praestituti, libere exerceat. — Ad indulgentiarum suspensionem quod attinet, eadem Constitutione *Nullo non tempore* indictam, cum Apostolica Sedes iam dudum decreverit, nonnullas indulgentias ab usitata per Annum Sanctum suspensione eximi, SS. D. K eiusmodi indulta seu privilegia, etsi de iis in memorata Constitutione siletur, non revocat, modo authentice constet, ea ipsa fuisse et revera et in perpetuum concessa, ad can. 70, 71, et 60 § 2.

XVII. Confessarii extra Urbem, qui facultatibus extraordinariis, Iubilaei causa, per Constitutionem *Qui umbratilem vitam* donati sunt, sciant, sibi licere hisce Monitis eatenus uti, quatenus ipsis applicari possint.

Haec *Monita* ad praesentis disciplinae condicionem accommodata, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in lucem edi iussit, ut

constans et tuta omnibus praesto sit interpretatio et facultatum, quae vigebunt, et operum, quae praestanda sunt ad veniam Iubilaei consequendam, per proximum piacularem annum.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die xxvm mensis Februarii anno MDCCCCXXXIJI.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

h. j$f S.

I. Teodori, *Secretarius.*

II

FACULTATES

CONFESSARIIS PEREGRINIS CONCESSAE ANNO VERTENTE GENERALIS MAXIMIQUE IUBILAEI A DIE II MENSIS APRILIS A. MDCCCCXXXITI AD DIEM USQUE II MENSIS APRILISpA. MDCCCCXXXIV.

I

Facultates speciales quae tribuuntur omnibus Confessariis *peregrinis qui iam in sua dioecesi rite approbati sint pro utroque sexu.*

1. Absolvendi, in foro conscientiae et sacramentali tantum, quaslibet personas sibi confitentes a quibusvis peccatis et censuris a iure reservatis aut Ordinario, aut, etiam speciali modo, RomanofPontifici, *dummodo censurae publicae non sint;* iniunctis salutaribus paenitentiis atque aliis de iure iniungendis.

Ne absolvant, tamen nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 Codicis iuris canonici, eos, qui irretiti sint aliqua censura, vel Eomano Pontifici personaliter, vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter, nisi in adiunctis can. 900, illos, qui in casum inciderint Sanctae Sedi reservatum ad normam Decreti Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, d. xvi mensis Novembris, a. MDCCCCXXVIII (cfr. *Acta Apost. Sedis,* vol. XX, pag. 398); vi cuius Decreti tamen, post etiam obtentam absolutionem, obligatio adhuc viget ad Sacram Paenitentiariam recurrendi eiusque mandatis obtemperandi.

2. Commutandi, in foro sacramentali tantum, in alia pia opera, ex iusta causa, omnia et singula *vota privata ^etâsœc^*iurata, exceptis iis votis privatis quae can. 1309 Apostolicae Sedi reservantur; itemque exceptis iis

quorum commutatio vergeret in detrimentum tertii, aut commutatio minus arceret a peccato quam ipsum votum.

3. Concedendi in foro conscientiae et sacramentali tantum, dispensationem visitationis alicuius Basilicae eam commutando in visitationem, si fieri potest, alius ecclesiae, v. g. Basilicae Sessorianae S. Crucis, imo etiam visitationum numerum imminuendi. Quos vero recte a visitationibus dispensaverit,, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Summi Pontificis fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant. In commodum tantum aegrotantium eas liceat imminuere.

II

Facultates speciales quae decem Confessariis *peregrinis, ab hae S. Paenitentiaria, vel ab Episcopo proprio selectis, tribuuntur ad confessiones sociorum peregrinorum accipiendas.*

1. Absolvendi, in foro sacramentali tantum, non solum a censuris et exeessibus occultis, prout statuitur sub n. I, 1, pro omnibus confessariis peregrinis, sed etiam a censuris *quae sint publicae* in locis ubi commorati sunt paenitentes vel ibi nominatim declaratae sint aut quamvis delictum ad iudicem fori externi iam fuerit deductum, dummodo sint sincere parati quodvis mandatum demisse accipere fideliterque adimplere et scandalum reparare. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragantur. Ne absolvant tamen, nisi ad tramitem can. 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione praeditos, Superioresque maiores religionis exemptae, qui in censuras *speciali modo* Romano Pontifici reservatas *publice* inciderint.

2. Dispensandi, pro foro conscientiae et in sacramentali.confessione tantum, constitutos in Sacris, ad Ordines tantum exercendos, ab irregularitatibus ex delicto occulto, non exclusa irregularitate de qua in can. 985,4°.

3. Dispensandi, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, circa visitationes quatuor Basilicarum, easque item commutandi eodem modo ac ceteris confessariis conceditur sub n. I, 3.

4. Commutandi in foro sacramentali tantum in alia pia opera, ex iusta causa, omnia ac singula *vota privata,* iurata quoque et etiam Sedi Apostolicae reservata. Similiter possint commutare votum castitatis perpetuae ac perfectae, etsi fuerit ab origine *publice* emissum in professione religiosa etiam solemni, et firmum manserit aliis huius professionis votis relaxatis. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensare possint qui vi Ordinis sacri ad legem coelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A

commutatione votorum se abstineant, si commutatio tertio praeiudicium afferat ac minus arceat a peccato quam ipsa commutatio.

5. Dispensandi pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis tantum ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non vero ad contrahendum vel sanandum in radice.

6. Dispensandi ab occulto criminis impedimento, neutro machinante, sive agatur de matrimonio contracto sive de contrahendo, iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, gravi ac diuturna paenitentia salutari.

MONITA

De usu facultatum confessariis peregrinis tributarum

1. His facultatibus specialibus confessarii peregrini ubicumque in Urbe et suburbio, servatis can. 908-910 et de consensu rectorum ecclesiarum, cum sociis peregrinis uti poterunt, ita tamen ut eas valide exercere queant si unus vel alter peregrinus non socius, cum peregrinis sociis ad ipsos confitendi causa accedat.

2. Item his facultatibus tantummodo uti poterunt erga paenitentes qui ad confitendum accedant *ea mente et sincera voluntate* ut Iubilaei veniam consequantur; attamen si paenitens, mutato proposito, ab acquirenda indulgentia Iubilaei destiterit atque cetera opera imperata intermiserit, omnes absolutiones censurarum, si eas excipias quae ad reincidentiam datae sint, itemque commutationes et dispensationes concessae in suo robore permaneant.

3. Similiter his facultatibus absolvendi a peccatis et censuris reservatis itemque dispensandi ab irregularitatibus nonnisi *semel* cum eodem paenitente uti poterunt, cum ipse scilicet Iubilaei veniam primum lucretur et tum solummodo cum paenitens iam ab alio confessario, facultatem habente per anni sancti decursum, a peccatis et censuris non fuerit absolutus vel ab irregularitate iam dispensationem non obtinuerit. Ceteras vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. I, 3— in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

4. Firmae et immutatae remaneant facultates quas omnes confessarii peregrini per Sacram Paenitentiariam vel alio legitimo modo consecuti sunt vel consequentur.

5. Haereticos et schismaticus qui fuerint publice dogmatizantes ne absolvant nisi ii, praeter haeresis et schismatis abiurationem, saltem coram ipso confessario factam, scandalum, ut par est, reparaverint.

6. Ne absolvant eos qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata, saltem coram ipso confessario, secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336, n. 2, denuntiaverint; nisi libros, manu scripta et signa, quae eamdem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retineant, absolventi tradiderint aut se ea tradituros vel destructuros serio promiserint, imposita, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari.

7. A lectione librorum prohibitorum ne quemquam absolvant, nisi is libros, quos penes se retinet, Ordinario aut confessario tradiderit aut se eos traditurum vel destructurum serio promiserit.

8. Si quis in occultas censuras ob partem quoquo modo laesam inciderit, eum ne ante absolvant, quam parti laesae, etiam scandalum reparando damnumque sarciendo, satisfecerit: aut saltem, si eiusmodi satisfactionem praestare ante non possit, vere graviterque promiserit se, cum primum licuerit, satisfacturum.

9. Si de casu agatur, etiamsi occulto, de quo ad can. 2342, prohibeant, sub paena reincidentiae, quominus in posterum accedant ad religiosam domum illam eiusque ecclesiam.

10. Eos, qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvant nisi aut iis restitutis aut compositione quamprimum a competente auctoritate postulata, aut promissione sincere facta eamdem postulandi, nisi agatur de locis, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

11. Non praetermittant suam cuique paenitenti salutarem paenitentiam sacramentalem imponere, etiamsi sibi coniicere iure liceat paenitentem plenissimam Iubilaei veniam§esse consecuturum.

12. Confessio et Communio ad lucrandam Iubilaei indulgentiam nihil refert utrum visitationibus quatuor Basilicarum antecedant, interponantur vel succedant; unum necesse est ut postremum ex praescriptis opus, quod etiam Communio esse potest, in statu gratiae, ad can. 925, n. .1, compleatur. Ab obligatione praescriptae confessionis nullum ne exsolvant; neque fas est, Communionem in alia pia opera commutare, nisi agatur de aegrotis.

13. Visitationemi Basilicarum ne commutent in alia opera, quae ad peragenda paenitens sit alio obligationis propriae dictae titulo adstrictus;

et sciant se conscientiam suam oneraturos si inconsulto aut sine iusta causa paenitentem ex eiusmodi visitationibus exemerint.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die xxvrn mensis Februarii, anno Domini **MDOCCOXxxm.**

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ® S.

T. Teodori, *Secretarius.*

III

DECRETUM

FACULTATES EXTRAORDINARIAE PALAESTINAE CONFESSARIIS ANNO SANCTO VERTENTE CONCEDUNTUR.

Ut iis locis, quae Dominicae Passionis ac Mortis veluti theatrum fuerunt, christifideles queant per proximam Anni Sancti celebrationem uberioribus frui divinae Redemptionis fructibus, Ssmus Dominus Noster Pius, divina Providentia Pp. XI, admotis Sibi precibus annuens, ac postulationi concedens ab infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiore adhibitae, statuere benigne dignatus est ut — praeter indulgentias in eorum favorem vigentes, qui sacra Palaestinae loca pie inviserint — singuli eiusdem regionis confessarii ab Apostolico Delegato, vel per se ipsum vel per Ordinarios deputati, has, quae sequuntur, extraordinarias facultates habeant per Iubilarem annum exercendas:

Possint pro foro conscientiae in actu sacramentalis confessionis et per se ipsi tantum absolvere paenitentes ab omnibus peccatis et censuris Sedi Apostolicae reservatis, imposita paenitentia salutari aliisque iniunctis de iure iniungendis.

Ne absolvant tamen, nisi in adiunctis atque ad praescriptum can. 2254 C. I. C, eos qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter, nisi in adiunctis can. 900, illos qui in casum inciderint Sanctae Sedi reservatum ad normam decreti Sacrae Paenitentiariae Apostolicae die 16 Novembris 1928 (cfr. *Acta Ap. Sedis,* vol. XX, pag. 398); vi cuius decreti tamen, post etiam obtentam absolutionem, obligatio adhuc viget ad Sacram Paenitentiariam recurrendi eiusque mandatis obtemperandi.

Christifideles autem, qui aliqua censura fuerint •nominatim affecti vel uti tales publice renuntiari, nequeant tamdiu hoc beneficio frui, quamdiu in foro externo non satisfecerint prout de iure. Si tamen contumaciam in

foro interno deposuerunt, poterunt, remoto scandalo, in foro sacramentali interim absolvi, cum onere quamprimum se subiiciendi etiam in foro externo ad tramitem iuris. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Paenitentiaria, die xn mensis Ianuarii anno **MDCCCCXXXm.**

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. £8 S.

I. Teodori, *Secretarius,*

IV

DECRETUM

INDULGENTIAE AUGENTUR PIO EXERCITIO ANNEXAE, QUOD FERIA SEXTA AD SACRI AERIS PULSUM PERFICITUR IN MEMORIAM D. N. IESU CHRISTI MORIENTIS.

Summus Pontifex fel. rec. Benedictus XIV, per Apostolicas Litteras in forma Brevi « Ad Passionis » die xm mensis Decembris anno MDCCXXXX datas, iussit singulis feriis sextis hora tertia post meridiem, cura omnium ecclesiarum rectorum totius catholici orbis, aera sacra pulsanda esse in memoriam D. E". Iesu Christi morientis; itemque christifidelibus qui eadem hora quinquies « Pater, Ave », ad mentem Sanctitatis Suae orantes, recitavissent, partialem centum dierum indulgentiam benigne concessit.

Die autem xx huius mensis Sanctissimus D. N. Pius, divina Providentia Pp. XI, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, faustam occasionem nactus maximi extra ordinem Iubilaei ab Se recens indicti, eoque consilio ductus ut fidelium pietatem erga Dominicam Passionem magis magisque augeret, eosque omnes ad eandem recolendam meditandamque excitaret quo potissimum die humani generis Redemptor, in cruce pendens, semetipsum aeterno Patri placationis hostiam obtulit, hoc benigne dilargiri dignatus est, ut scilicet quisquis, ad huius aeris pulsum, feria sexta et quavis hora, secundum locorum consuetudinem (quemadmodum iam p. m. Leo XIII, die xv mensis maii anno MDCCCLXXXVI concesserat) flexis genibus, si commode fieri possit, quinquies « Pater, Ave » recitaverit, adiecta insuper ad Summi Pontificis mentem precatiuncula «Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi etc. » vel alia eiusmodi, has, quae sequuntur, indulgentias lucrari possit: *a)* partialem decem annorum quavis feria sexta, cum 'pium exercitium, quod diximus, saltem corde contrito peregerit; *b)* plenariam, statutis" condicionibus, si per integrum mensem singulis feriis sextis idem exercitium rite perfecerit.

Id vero in perpetuum valiturum absque Apostolicarum informa Brevi Litterarum expeditione; contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die xxx mensis Ianuarii anno MDCCCCXXXIH.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. £ß S.

I. Teodori, *Secretarius.*

V

DECRETUM

DE INDULGENTIIS RECITATIONI ANNEXIS PRECATIONIS « ANGELUS DOMINI Ä VEL ALIUS PRECIS UT INFRA NOTATUR.

Per Apostolicas Litteras in forma brevi *Iniunctae Nobis* die xiv mensis Septembris anno MDCCXXIV datas, Summus Pontifex s. m. Benedictus XIII, pro sua in Deiparam Virginem pietate, ut mortalium animi cum primo diluculo, tum meridiano tempore, tum denique sub vesperam ad eam amoris ergo se converterent, iis omnibus qui qualibet e supra memoratis horis, ad sacri aeris pulsum, positis genibus, precationem « Angelus Domini », tribus adiectis salutationibus angelicis «Ave Maria», pie recitavissent, indulgentias benigne concessit.

Decursu vero temporis, Summi Pontifices p. r. Benedictus XIV, Pius VI, ac Leo XIII concessionem eiusmodi submutarunt, cum ad precem ipsam quod attinet, — pro eadem tempore paschali antiphonam « Regina Caeli » substituendo, aut iis, qui legere non possent vel nescirent, recitationem quinque salutationum angelicarum « Ave Maria » — tum ad modum et ad tempus quod pertinet ipsius recitationis.

In praesens autem Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, eadem pietate incensus ac Decessores Sui erga Immaculatam Virginem Mariam, eoque consilio ductus ut maiorem populi christiani in hac etiam prece recitanda refoveat unitatem, quae idcirco sacratissimo Virginis Cordi grata est, quod cum divinae Redemptionis mysteriis, piaculari hoc anno sollemniter commemorandis, tam arcte coniungitur, in audientia die III huius mensis infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, indulgentias pio huic exercitio annexas augere dignatus est, ea, quae sequuntur, decernens:

Omnes christifideles, qui vel proprio horae momento, quemadmodum per Summum Pontificem Benedictum XIII praescriptum fuerat, vel cum primum postea potuerint, precationem «Angelus Domini » cum statuta

Oratione, aut, pro temporis ratione, antiphonam « Regina caeli » item cum usitata Oratione, aut demum quinque salutationes angélicas « Ave Maria » pie recitaverint, *partialem* decem annorum indulgentiam toties lucrari posse, quoties pium hoc exercitium saltem corde contrito perfecerint, atque *plenariam* indulgentiam statis condicionibus, si id per integrum mensem peregerint.

Praesentibus, absque Apostolicarum Litterarum expeditione, in perpetuum valituris; contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die xx mensis Februarii, anno MDCCCCXXXIII.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

I. Teodori, *Secretarius.*

Vi

DECLARATIO DECRETI

CIRCA INDULGENTIAS « STATIONIBUS » ADNEXAS.

Evulgato Sacrae Paenitentiariae Apostolicae decreto diei 12 Aprilis 1932 *(Acta Apostolicae Sedis,* v. XXIV, p. 248), quo indiscriminatim statuitur *indulgentias,* quas vocant, *stationales* nonnisi visitando diebus et forma praescriptis *stationales ecclesias* lucrari posse, exorta quaestio est an et quomodo in suo robore posthac manere sint dicenda peculiaria indulta in quarumdam piarum associationum aut scapularium de indulgentiis summariis contenta, posse sc. adscriptos praefatas stationales indulgentias in ecclesiis etiam non stationalibus, ceteris paribus, acquirere. Re ad omne dubium auferendum delata Ssmo Domino Nostro Papae per infrascriptum Cardinalem Maiorem Paenitentiarium, Sanctitas Sua in audientia die 20 Ianuarii anni currentis eidem impertita declarandum mandavit peculiaria eiusmodi indulta ita in posterum intelligenda esse ut valeant adscripti indulgentias stationales in ecclesiis etiam non stationalibus, ceteris ad rem clausulis et praescriptionibus ad unguem ser vatis, adipisci tum tantum cum nullae in loco ecclesiae stationales inveniantur. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 25 Februarii 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. © S.

I. Teodori, *Secretarius.*

Annus XXV - Vol. XXV 4 Martii"1983 Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP, XI

CHIROGRAPHUS

AD EMUM P. D. FRANCISCUM TIT. S. M. NOVAE S. R. E. PRESB. CARD. MARCHETTI SELVAGGIANI, VICE SACRA IN URBE ANTISTITEM; DE PIACULARI EXERCITIO VULGO « ORA SANTA » IN HONOREM AGONIAE D. N. I. C. IN HORTO GETHSEMANI, SUB ANNI SANCTI INITIUM PERAGENDO.

PIUS PP. XI

Signor Cardinale,

Tra i sacrosanti misteri dell'umana Redenzione, della quale è imminente la celebrazione diciannoye volte secolare da Noi indetta, uno dei più commoventi per ogni cristiano che non sia insensibile ai dolori del suo Signore, è quello dell'Agonia di Gesù nell'Orto degli Ulivi: quando cioè quél Cuore divino, alla vista spaventosa delle umane iniquità più ancora che dell'espiazione cruenta ch'Egli doveva farne, si degnò di voler provare gli affanni terribili di una acerbissima agonia, di cui il sudore di sangue non fu che l'esterna manifestazione, eloquentissima bensì ma inadeguata in confronto dell'interno martirio: « Tristis est anima mea usque ad mortem ».

Orbene Ci sembra giusto e conveniente che, proprio sulle soglie dell'Anno Santo, una delle prime solenni commemorazioni sia consacrata appunto a questo primo passo cruento del Redentore

nella via della Passione. E siccome per onorare quella santissima Agonia e per risarcire le colpe che ne furono la cagione sogliono le anime devote praticare il pio esercizio dell'Ora Santa nel giovedì che precede il primo venerdì del mese, crediamo che il primo giovedì di Aprile, il quale felicemente coincide col primo giovedì dell'Anno Santo, sia la data più opportuna per questa commemorazione.

Esprimiamo quindi a Lei, Signor Cardinale, il Nostro vivo desiderio che, nel pomeriggio del giorno indicato, giovedì 6 Aprile p. v., nelle chiese che da Lei verranno designate, e all'ora che si crederà più a proposito, si faccia in comune con speciale solennità davanti al Santissimo esposto il pio esercizio dell'Ora Santa secondo il metodo consueto; e, dove si possa, il popolo venga aiutato dalla viva parola di qualche sacro oratore a compenetrarsi sempre meglio dei sentimenti propri di tale commemorazione. E allo scopo di aggiungere l'esempio alla Nostra parola di esortazione e di unire la preghiera del Padre comune a quella dei Suoi figlia abbiamo determinato di recarCi, verso la sera del suddetto giorno, nella Nostra Basilica di S. Pietro e di assistere e partecipare Noi stessi all'Ora Santa, che vi sarà celebrata.

Non dubitiamo, Signor Cardinale, che il Clero e il popolo della Nostra alma Città risponderà con santo fervore al Nostro paterno invito; e in pari tempo confidiamo che tutti i Venerabili Fratelli nell'episcopato cattolico, che ne abbiano la possibilità, seguiranno il Nostro esempio ed esorteranno i loro fedeli ad unirsi 'ai duetti Nostri figli di Roma, a tutti i centri della pia Associazione dell'Ora Santa ed a Noi stessi in questo doveroso e amoroso ricordo delle acerbe pene che il Cuor di Gesù si degnò addossarsi per la salute del genere umano.

Così l'Anno Santo si aprirà con una preghiera espiatoria sollevantesi da tutte le parti della terra verso il cielo, preghiera la quale riunirà nel Cuore divino di Gesù tutti i cuori degli uomini,, di ogni razza, di ogni lingua e nazione, e propizierà, come fiduciosamente speriamo, dalla Divina Maestà la conversione dei peccatori, la perseveranza e la santificazione sempre maggiore dei giusti,.

il sollievo delle tante miserie, che per la crisi odierna incombono su tutto il mondo e la sospirata pacificazione fra tutti i popoli.

Desideriamo inoltre che in tale Ora veramente Santa tutti i fedeli sì uniscano a Noi, pregando secondo le Nostre intenzioni in modo speciale per quei Paesi, dove il nostro amabilissimo Redentore è più oltraggiato, affinchè anch'essi ritornino sull'unica via della salute.

Pieni di fiducia nel Cuore misericordioso di Gesù, Noi accordiamo intanto a Lei, Signor Cardinale, al Nostro diletto Clero e popolo di Roma, e a quanti vorranno ad esso unirsi in questa pia celebrazione, la Benedizione Apostolica.

Dato a Roma presso S. Pietro il giorno 2 Marzo dell'anno 1933 dodicesimo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

JADREN. ET ALIARUM

DE NOVA ARCHIDIOECESIS CIRCUMSCRIPTIONE

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pastorale muniis universam gubernandi Christi Ecclesiam, Romano Pontifici divinitus commissum, illud inter cetera exposcit, ut dioecesium circumscriptiones aliter ordinentur quoties, peimutatis rerum locoitsmque adiunctis, necessarium id vel opportunum evadat. Cum itaque metropolitana Ecclesia Jadrensis, novissime praefinitis politicis finibus, in duas partes divisa sit, quarum una in territorio italico, altera in territorio rugoslavico exstat; cumque eadem de causa ad italicam regnum transierint *CJierso, Lussino* aliaeque minores insulae ad Veglensem dioecesim pertinentes, atque *Lagosta* insula ad dioecesim Ragusinam spectans, quae omnes insulae sub Ordinarii Jadrensis administratione apostolica iam constitutae sunt, Nos.¡ omnibus mature perpensis, atque attento solemnis Conventionis inter Sanctam Sedem et Italiam initae articulo sextodecimOj archidioecesim

Jadrensem aliter constituendam seu circumscribendam decernere censuimus. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse qiiocumque modo praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine, Jadrensem archidioecesim ad eam ipsius territorii partem coarctamus, quae italicae ditioni subest. Servatis autem in urbe Jadrensi cathedra et sede, nec non tum sedi ipsi, tum eiusdem pro tempore Antistitibus titulo archiepiscopali cum omnibus iuribus, privilegiis ac insignibus iure communi inhaerentibus, metropoliticum ius in eius suffraganeas sedes in dalmata regione exstantes supprimimus, eamque archidioecesim Nobis et Sedi Apostolicae immediate subiectam volumus. Alteram vero archidioecesis Jadrensis partem, quae in regno iugoslavico exstat quaeque Ordinario Sebenicensi tamquam Administratori Apostolico ad S. Sedis nutum commissa fuit, ab eadem archidioecesi Jadrensi tum in spiritualibus tum in temporalibus definitive dismembramus; eamque Sebenicensis Ordinarius administrare perget, cum facultatibus episcopo residentiali propriis, donec ab Apostolica Sede aliter provideatur. Insuper quas supra memoravimus *Gherso, Lussino* aliasque minores insulas, sinum Liburnicum prospicientes, a dioecesi Veglensi, itemque *Lagosta* insulam a dioecesi Ragusina avellimus ac separamus, easque Jadrensi archidioecesi in perpetuum adiungimus. Statuimus praeterea ac decernimus ut canonicorum capitulum, prout in archiepiscopali ecclesia Jadrensi nunc exstat, archidioecesis noviter ut supra circumscriptae capitulum archiepiscopale maneat cum iuribus ac privilegiis, oneribus et obligationibus, quae ipsi de iure sunt propria. Quod vero ad clericos peculiariter attinet, qui in insulis Jadrensi archidioecesi aggregatis legitime commorantur ¿ simul ac nova praefata dioecesana circumscriptio ad exsecutionem deducta fuerit, eo ipso eidem archidioecesi Jadrensi adscripti censeantur. Plenum insuper ac directum dominium bonorum omnium ecclesiasticorum, quae in dictae archidioecesis Jadrensis territorio habentur, eidem archidioecesi, eius videlicet mensae archiepiscopali, sive Seminario, sive aliis entibus, suprema Nostra auctoritate attribuimus; bona vero, quae in territorio adsunt hucusque ad Jadrensem archidioecesim pertinente, sed intra regni iugoslavici fines exstante, sub Ordinarii Sebenicensis administratione ad S. Sedis nutum manebunt. Quibus omnibus ut supra dispositis, ad ea omnia exsecutioni mandanda venerabilem fratrem Doimum Munzani, Episcopum titularem Sareptenum et Administratorem Apostolicum archidioecesis Jadrensis, deputamus, eidemque propterea necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet ecclesiasticum virum in dignitate constitutum, cum onere ad Sacram Congregationem Consistorialem infra sex menses, ab his litteris datis

computandos, peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum interest, vel eorum qui sua interesse praesumant, auditi non fuerint ac praemissis non consenserint, etiam si expressa et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse; sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus. Volumus denique ut harum Iiitterarnm transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo ahcuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Iiitteris tribueretur, si originali ter exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus umversalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus vel ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini autem has lutteras Nostras dismembrationis, suppressionis, assignationis, statuti, derogationis, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel eis contraire liceat. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo secundo, die prima mensis Augusti, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Fr. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH
Cancellarius S. R. E.

Fr. R. C. CARD. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi

***Reg. in Cane. Ap., vol XLVI, n. 27. - M.* RiggL**

EPISTOLAE

I

AD E. P. D. EMMANUELEM CAELESTINUM SUHARD, ARCHIEPISCOPUM RHE- • MENSEM, XIV EXEUNTE SAECULO AB OBITU S. REMIGLT.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Nobilissimus ardor, quo te duce isti fideles flagrant incensi, ad memoriam sancti Remigii, tui celeberrimi decessoris, celebrandam, quartodecimo exeunte saeculo ab eius e vita discessu, vestrae simul ac Nostrae in eum venerationi plane optimeque respondet. Non potest enim non esse utrisque periucundum singulares haberi honores splendido illi Ecclesiae ornamento, atque gentis Francorum apostolo, cuius quidem meritis praeclarum tribuit laudis pietatisque testimonium non modo grata aequalium benevolentia, sed perennis quoque admiratio posteritatis, quae in eius honorem tot tamque augusta templa aedificavit. Nonne sanctissimus ille vir, divino quodam consilio, datus regioni vestrae fuisse videtur, ut maximis rebus ad Ecclesiae civilisque societatis bonum, difficillimis sane temporibus, veluti fidus divinae voluntatis administer operam daret? Ipso enim Remigio per septuaginta quattuor annos assiduo Rhemensi Praesule, plures in Gallia barbarorum gentes ad catholicam fidem humanioremque cultum deductae sunt; ipso pariter auspice eodemque ministro, perinsignis Erancorum rex Olodoveus salutari « regenerationis lavacro » ablutus fuit, ac tota simul Gallia, per hoc baptisma quodammodo renovata, «primogenita Ecclesiae filia» facta est; ipso denique auctore fautoreque, dioeceses Rhemensi metropoli obnoxiae, per barbaricam vim iam funditus perturbatae, sunt in integrum restitutae ac denuo feliciterque floruere. Dignum igitur tanti apostoli promeritis atque egregia pietate vestra susceptum est a vobis consilium, quum memoriam felicissimi eius exitus, hoc anno vertente, publicis prosequi honoribus decrevistis: par est enim insignia decora, quae ad Ecclesiae pertinent gloriam, a fidelibus recoli inque lucem proferri clariorem, opportunum etiam hisce temporum adiunctis, quibus oportet fortibus exemplis démisses animos erigere confirmarique, nec minus consentaneum istius urbis dignitati de viro illo gloriari, cuius mortales asservat exsuvias, cuius pastoralis officii curas tam longo temporis intervallo experta est. Nobis autem placet iisdem etiam uti verbis, quibus Leo Pp. XIII, illustris Decessor Noster, decimo quarto saeculo post Clodovei baptisma exeunte, vos

ipsos alloquebatur: « Perutile enimvero praeclarumque fuerit, Galliam catholicam commoveri omnem, atque oculos et studia unanimem convertere tum ad sospitalem Fontem Rhemensem, tamquam ad incunabula augusta religionis suae; tum ad gloriosum Eemigii sepulcrum, velut ad cathedram magistri et pastoris optimi, *verba pacis aeternaeque vitae* adhuc loquentis ».[1] Pergite itaque in incepto fidenter, atque efficite ut, sicut ad gloriam Francorum apostoli quem colitis, ita etiam ad utilitatem atque emolumentum aetatis nostrae res ab illo gestae, commemoratione vestra, reviviscant. Nihil namque aevo nostro utilius et salutarius, quam si ex sancti Eemigii saeculo documentum capiatur, quantum ad publica et privata mala avertenda vel sananda polleat divina Ecclesiae virtus, ubi ipsa suam erga homines opem nullo impedimento queat exercere; et quo magis, silentibus studiis in eam infensis, rationi et aequitati relinquatur locus, eo magis tranquillitati et faustitati civitatum rerumque publicarum consultum esse. Non enim cum mundo et sapientia huius saeculi, sed cum Ecclesia, « columna et firmamento veritatis », est Christus, omnium rerum instaurator, a quo qui defecerunt, quid valeant efficere, quo praecipites ruant, tristis rerum experientia, labes ac detrimenta nostrorum temporum ingentia satis superque docent. In conspectu igitur horum maiorum Nos votis precibusque communem hominum salutem a Deo exposcere non intermittimus, nec profecto dubitamus, quin eadem vos vota in apparandis sollemnibus oblaturi sitis, ut quemadmodum Remigli episcopi consilio, labore, constantia publicorum in Gallia maiorum vis et acerbitas eius aetate resedit, ita adversi Auctus, quibus nunc miserrime iactatur humana societas, sancto illo viro in caelis suffragante, demum conquiescant. Hac spe erecti, omnia fausta ac felicia inceptis vestris ominamur, et apostolicam benedictionem, sincerae caritatis Nostrae pignus, tibi, venerabilis frater, tuisque archidioecesis fidelibus, iisque omnibus, qui in Ehemensem urbem istorum sollemnium gratia conventuri sunt, peramanter in Domino largimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die II mensis Ianuarii, in festo Ssmi Nominis Iesu, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XI

[1] **Litt. ap. *Magni commemoratio eventus,* 8 Ian. 1906.**

II

AD EMUM P. D. CAROLUM IOSEPHUM HENRICUM TIT. S. PRISCAE S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM BINET, ARCHIEPISCOPUM BISUNTINUM, QUEM MITTIT LEGATUM AD SOLEMNIA LOURDENSIA LXXV A MANIFESTATIONE B. M. V. EXEUNTE ANNO.

PIUS PP. XI

Düecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Auspicatus profecto iucundusque ad Nos pervenit nuntius, annua Deiparae sacra ad specum Lourdensem sollemniore pompa mense Februario proximo celebratum iri, septuagesimo quinto exeunte anno, ex^ quo ipsa Immaculata Virgo se illic conspiciendam obtulit. Non enim sine quodam providentis Dei consilio contingere putamus, ut, instante iam iam Anno Sancto, ad divinam Redemptionem peculiari cultu recolendam a Nobis nuper indicto, ab ipsamet Dei Genetrice optima capiantur auspicia. Siquidem augusta Virgo, sine primaeva labe concepta, ideo Christi Mater delecta est, ut redimendi generis humani consors efficeretur; ex quo sane tantam apud Filium gratiam potentiamque adepta est, ut maiorem nec humana nec angelica natura assequi unquam possit. Peropportunum igitur susceptum est consilium singulari apparatu et pompa recolendi tot tamque mirabilia beneficia, quae Magna Virgo ad specum Lourdensem, hoc diuturno temporis spatio, in populum christianum dignata est conferre; huiusmodi enim celebratione, fiducia hominum in Ea reposita magis magisque augebitur, et alia super alia beneficia a Iesu Christo per Eam impetrabuntur. Quod si innumera sunt corporum vitia atque infirmitates, quae divinam exspectant curationem, at multo plures gravioresque animorum exstant aegritudines ac pravitates, quae caelesti indigent sanatione. Quis enim inter fideles summo dolore non afficitur, quum recogitet tot animas Iesu Christi sanguine redemptas, quodam aberrantis saeculi veluti correptas turbine, in interitum eorruere sempiternum? Quare numquam satis curae et studii haberi potest in alenda populorum pietate ac religione erga caelestem Reginam, nihilque est suavius et efficacius, inter huius vitae difficultates, quam supplices tendere palmas ad benignissimam hanc Matrem, eiusque opem, coniunctis undique filiorum studiis, iterum iterumque invocare. Libenti igitur animo petitioni venerabilis fratris Tarbiensis et Lourdensis Episcopi annuentes, ut splendorem et magnificentiam proximorum sollemnium, quae ad cryptamj Lourdensem celebrabuntur, adaugeamus, te,

dilecte fili Noster, sicut antea nuntiari iussimus, Legatum Nostrum deligimus ac renuntiamus, qui sacris ritibus ad Lourdensem specum mense proximo habendis Nostra auctoritate praesideat Exploratum enim habemus te, pro tua erga Deiparam Immaculatam veneratione et observantia, pro tuaque purpurati principis dignitate, fidum disertumque Nostrae personae interpretem adfore, et christianas gentes, tua exortatione et exemplo ineensas, vehementiore in dies animi ardore sese in Mariam fidem tutelamque recepturas. Interea, quo uberior fiat animarum fructus, facultatem tibi damus, ut, sollemni Sacro peracto, benedictionem adstantibus nomine Nostro largiaris, plenam iisdem admissorum veniam proponens, statutis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Divinarum autem conciliatrix gratiarum apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, sollerti Tarbiensi et Lourdensi Episcopo, gregibusque utrique vestrum commissis effusa caritate impertimus.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die xxvm mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XI

ACTA .88. CONGREGATIONUM

SACKA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

20 Ianuarii 1933. — Titulari episcopali Ecclesiae Salonitanae praef e» cit R. D. Franciscum Zapletal, Protonotarium Apostolicum *ad instar*, ac Praepositum Capituli Vygehradensis Pragae, quem deputavit Auxilias rem R. P. D. Caroli Kaspar, Archiepiscopi Pragensis.

27 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Tarnoviensi, R. P. D. Franciscum Lisowski, hactenus Episcopum titularem Mariammitanum.

— Titulari archiepiscopali Ecclesiae Oxyrynchitanae, R. P. D. Leonem Walega, hactenus Episcopum titularem Tlöensem.

3 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Hippenae, R. D. Iosephum Eimerum Ritter, parochum ecclesiae cathedralis Indianapolitanae, quem constituit [Auxiliarem R. P. D. Iosephi Chartrand, Episcopi Indianapolitani.

4 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Tiburtinae, R. D. Dominicum Delia Vedova, Vicarium generalem dioecesis Fulginatensis.

10 Februarii. —• Titulari episcopali Ecclesiae Zephyrensi, R. D. Antonium Eltschkner, canonicum metropolitanae ecclesiae Pragensis, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Caroli Kaspar, Archiepiscopi Pragensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Ulpianensi, R. P. D. Aloisium Zaffarami, hactenus Episcopum Tudertinum.

15 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Mariammitanae, R. D. Iosephum Gawlina, parochum loci *Krolewslca Fiuta*, in dioecesi Katovicensi, deputatum Ordinarium exercitus Poloni.

16 Februarii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Carpathiensi, R. P. D. Stanislaum Gaii, hactenus Episcopum titularem Halicarnassensem.

24 Februarii. — Archiepiscopali Ecclesiae Panamensi, R. P. D. Ioannem Maiztegui Besoitaiturria, hactenus Episcopum Tanaitanum.

SACKA CONGREGATIO CONCILII

MALACITANA

VACATIONUM ET DISTRIBUTIONUM

Die 15 Novembris 1930

SPECIES FACTI. - Canonici ecclesiae cathedralis Malacitanae in Hispania, e Bulla erectionis Innocentii Pp. VIII, ex veteribus statutis et ex consuetudine, per quatuor menses, quolibet anno, ius abessendi a choro vindicabant.

Cum vero Episcopus, ad normam Codicis I. C, vacationes trium tantum mensium permitteret, Capitulum, ad iura sua tuenda, rem S. Sedi detulit.

Tunc Episcopus haec dubia dirimenda proposuit: « 1) utrum residentia et absentia, recreationis causa, canonicorum et beneficiatorum ecclesiae cathedralis Malacitanae, iuxta decretum erectionis ecclesiae et privilegia apostolica, ut in veteribus statutis fiebat, vel ad normam canonis 418 § 1 sit definienda. Et quatenus affirmative ad primum: 2) utrum lex de distributionibus quotidianis et de grossa praebendae sit desumenda ex erectione an ex |iure communi, iuxta canonem 395 C. I. C; 3) an canonici, de quibus in canone 421 § 1 n. 4, percipere possint etiam distributiones quotidianas)).

SYNOPSIS DISCEPTATIONIS. - Tridentini Patres, cap. 12, sess. XXIV *de ref.,* prohibuerunt ne vacationes ultra tres menses protraherentur. Attamen a Concilio Tridentino derogatum non fuit privilegiis fundationum, quibus ultra tres menses canonicis abesse licet, neque statutis a Summo Pontifice confirmatis. Haec in Codice I. C. recepta fuerunt; nam in canone 418 § 1 statuitur: « Reprobata contraria consuetudine, canonici ac beneficiarii quotidiano choro adstricti, possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos, dummodo propriae ecclesiae statuta aut legitima consuetudo servitium diuturnius non requirant ».

Quapropter *consuetudo* abessendi a choro ultra tres menses non tantum fuit a Concilio Tridentino revocata et nunquam a S. Congregatione permissa, sed etiam a Codice I. C. reprobata. Nec iuvat in casu canon 63 § 1, quia possessio, de qua est sermo, debet esse legitima, vel quasi-possessio iuris; quod in casu propter constantem reprobationem nunquam fieri potuit.

Nec ullum *privilegium* e Bulla erectionis Innocentii VIII eruitur, quia hic Pontifex facultatem contulit Archiepiscopo Toletano erigendi Capitula in locis Regni Granatensis. Idem Archiepiscopus, anno 1488 Capitulum ea-

thedrale Malacitanum erigens, haec quidem circa residentiam et servitium chorale disposuit: «volumus... ut omnes et singulae dignitates, canonici et portionarii dictae ecclesiae cathedralis teneantur residere et servire in praedicta ecclesia cathedrali *ad minus per octo menses* continuos aut interpositus ». Non agitur itaque de vero privilegio abessendi per quatuor menses, nam in citata Bulla ne verbum quidem invenitur, quod innuat hanc extraordinariam potestatem in Delegato Archiepiscopo; unde idem Archiepiscopus nullum privilegium concedere poterat, sed munus sibi demandatum tantum explere. Ceterum verba ab eodem adhibita privilegium non innuunt, sed aliquid minimum praestandum: *ad minus.*

Capitulum cathedrale Malacitanum ad ius suum ostendendum, etiam *vetera statuta,* et Bullam Iulii Pp. II citat. Revera hic Pontifex anno 1508 Capitulo Malacitano vacationes « ad instar ecclesiae Hispalensis » concessit; attamen non constat de tempore vacationum, et de modo concessionis Hispalensi ecclesiae factae.

De dubiis circa fructus beneficiorum adnotandum est quod in citato decreto erectionis, detracta quadam fixa portione pro singulis canonicis, omnes fructus tanquam distributiones inter praesentes statuebantur.

Quoad vero duos beneficiatos, quos Episcopus in suo servitio habere potest, in eodem decreto statuitur: « integre percipient fructus tam praebendarum suarum quam etiam distributionum quotidianarum, quae interessentibus et praesentibus distribuuntur ».

Cum mutatae nunc sint conditiones Capitulorum praesertim in Hispania, omnia suadent ut ius commune servetur ad normam canonis 395, sicut in casu duorum beneficiatorum Episcopo inservientium, quia non agebatur de vero privilegio, sed de norma statuta pro eorum remuneratione.

RESOLUTIO. - Propositis itaque ex officio his, quae sequuntur, dubiis in plenario coetu diei 15 Novembris 1930:

I. *An constet de iure Capituli Malacitani ad, quatuor menses vacationum, in casu;* II. *An sustineatur perceptio fructuum praebendae et distributionum, in casu,'* III. *An canonici, de quibus in canone 421 § 1 n. 4, percipere possint etiam distributiones quotidianas, in casu;*

Emi Patres respondendum censuerunt:

Ad I. *Non constare;* Ad H. *Servetur canon 395;* Ad III. *Negative.*

Pacta autem postridie de praemissis Ssmo Dno Nostro Pio div. Prov. Pp. XI relatione per subscriptum S. Congregationis Concilii Secretarium, Sanctitas Sua easdem resolutiones approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

i

[Causae quae in Tribunali Sacrae Eomanae Eotae actae sunt anno 1932, quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva.

I. UTINEN. - IURIUM.

Turnus Rotalis: M. Massimi, Decanus, I. Grazioli, *Ponens,* U. Mannucci.

Promotor Iustitiae: E. Bracci.

Advocati: D. Lazzarato, V. Sacconi.

Dubium: « An sententia rotalis diei 4 Decembris 1929 confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

Sententia diei 4 Ianuarii: «Confirmandam esse sententiam rotalem».

II. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ob intentionem contra bonum prolis.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* F. Guglielmi, H. Quattrocolo.

Vinculi Defensor deputatus: I. Stella.

Advocatus: I). Lazzarato.

Dubium: « An sententia rotalis diei 11 Augusti 1930 confirmanda *vel* infirmanda sit, in casu ».

Sententia diei 11 Ianuarii 1932: « Confirmandam esse sententiam rotalem, seu non constare de matrimonii nullitate ».

III. N. N. - DISPENSATIONIS SUPER RATO.

Turnus Rotalis: F. Guglielmi, *Ponens,* H. Quattrocolo, F. Morano.

Vinculi Defensor deputatus: I. Stella.

Advocatus: A. D Alessandri.

Dubium: « An consilium praestandum sit Ssmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu ».

Sententia diei 20 Ianuarii 1932: «Affirmative».

IV. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus et voluntatis contra bonum fidei.*

Turnus Rotalis: M. Massimi, Decanus, *Ponens,* I. Grazioli, S. Janasik.

Vinculi Defensor: I. Trezzi.

Advocatus: H. Benvignati.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 27 Ianuarii 1932: «Negative».

V. VIENNEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo,\TJ. Mannucci.

Vinculi Defensoris Substitutus: A. C. Conte.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: S. RzewnicM.

Dubium: « An sententia rotalis diei 11 Ianuarii .1930 confirmanda vel infirmanda sit in casu ».

Sententia diei 29 Ianuarii 1932: « Confirmandam esse sententiam rotalem, seu non constare de matrimonii nullitate ».

VI. VIENNEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusam indissolubilitatem.*

Turnus Rotalis: F. Morano, *Ponens,* A. Wynen, G. Heard.

Vinculi Defensor deputatus: I. Brocco.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 30 Ianuarii 1932: «Affirmative».

VII. N. N. - DIFFAMATIONIS seu EXCEPTIONIS DE LITE FINITA.

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* F. Guglielmi, H. Quattrocolo,

Promotor Iustitiae: F. Bracci.

Advocati: A. D'Alessandri, D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de lite finita, in casu ».

Sententia diei 13 Februarii 1932: « Negative ».

VIH. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus atque intentionis contra bonum sacramenti et prolis.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo, U. Mannucci,

Defensor Vinculi deputatus: S. Eomani.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubium: « An sententia rotalis diei 16 Ianuarii 1930 confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

Sententia diei 16 Februarii 1932: «Infirmandam esse sententiam rotalem, seu constare de nullitate matrimonii ».

IX. MAGNO VARADINEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et mekis.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Morano, A. Wynen.

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: F. Fournier.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 23 Februarii 1.932: «Negative».

X. TRANSILVANEEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: F. Guglielmi, *Ponens,* H. Quattrocolo, F. Morano,

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: S. Bzewnicki.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 27 Februarii 1932: « Affirmative ».

XI. BARCINONEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* F. Guglielmi, H. Quattrocolo»

Defensoris Vinculi Substitutus: A. C. Conte.

Advocatus: I. B. Ferrata.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 29 Februarii 1932: « Negative ».

XII. LEODIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo, U.'fMannucci.

Defensor Vinculi deputatus: I. Brocco.

Advocatus: F. Bersani.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 18 Martii 1932: « Negative ».

XIII. "VESTMONASTERIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, G. Heard, *Ponens,* S. Janasik.

Defensor Vinculi deputatus: I. Benedetti.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 23 Martii 1932: «Negative'».

XIV. N.N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex cupite impotentiae viri.*

Turnus Rotalis: U. Mannucci, *Ponens,* A. Jullien, F. Guglielmi,

Vinculi Defensor deputatus: B. Suarez O. P.

Advocatus: H. Benvignati.

Dubium: « I. An constet de nullitate matrimonii, in casu ». « IL An consilium praestandum sit Ssmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato ».

Sententia diei 4 Aprilis 1932: Ad I «Negative». Ad IL «Affirmative ».

XV. ZAGABRIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vie et metus.*

Turnus Rotalis: M. Massimi, Decanus, *Ponens,* G. Heard, S. Janasik.

Vinculi Defensoris Substitutus: A. C. Conte.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubium: « An sententia rotalis diei 5 Februarii 1930 confirmanda vel infirmanda sit. in casu ».

Sententia diei 12 Aprilis 1932: «Confirmandam esse sententiam rotalem; seu non constare de matrimonii nullitate, in casu ».

XVI. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: F. Morano, *Ponens,* A. Wynen, G. Heard.

Vinculi Defensor deputatus: I. Stella.

Advocatus: H. Benvignati.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei .16 Aprilis 1932: «Affirmative».

XVII. MARIANOPOLITANA. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: M. Massimi, Decanus, *Ponens,* I. Grazioli, S. Janasik.

Vinculi Defensor deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubium: «An sententia rotalis diei 11 Martii 1930 confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

Sententia diei 30 Aprilis 1932: «Infirmandam esse sententiam rotalem, seu constare de nullitate matrimonii, in casu ».

XVIII. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defeckis consensus et exclusionis prolis.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, S. Janasik.

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: P. D'Avack.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 12 Maii 1932: « Negative ».

XIX. N. N. - SEPARATIONIS.

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* F. Guglielmi, H. Quattrocolo.

Promotor Iustitiae: F. Bracci.

Advocati: V. Sacconi, A. D'Alessandri.

Dubium: « An et quomodo, cuius ob culpam, quibusque conditionibus locus sit separationi quoad torum et cohabitationem, in casu ».

Sententia diei 13 Maii 1932 « Affirmative, seu locum esse separationi quoad torum et cohabitationem in casu; in perpetuum, ob culpam viri,

ad normam can. 1129-1130; ad tempus, ob culpam viri, ad normam can. 1131: filiis remanentibus penes matrem, ad normam can. 1.132».

XX. X. X. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae viri.*
Turnus Botalis: TT. Mannucci, *Ponens,* A. Jullien, F. Guglielmi.
Defensor Vinculi deputatus: E. Suarez O. P.
Advocatus: V. Sacconi.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 17 Man 1932: «Affirmative».

XXI. NITRIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Morano, A. Wynen.
Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.
Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: O. Bernardini.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 24 Maii 1932: « Affirmative ».

XXII. KATOVIOEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Morano, **A.** Wynen.
Defensor Vinculi deputatus: I. Benedetti.
Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: S. Rzewnicki.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 7 Iunii 1932: « Affirmative ».

XXIII. TRANSILVANIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: F. Guglielmi, *Ponens,* H. Quattrocolo, F. Morano.
Vinculi Defensor deputatus: S. Eomani.
Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: S. Ezewnicki.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 11 Iunii 1932: « Affirmative ».

XXIV. KATOVICEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo, U. Mannucci.
Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.
Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: S. Bzewnicki._
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 17 Iunii 1932: « Negative ».

XXV. ATUREN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capitibus erroris et clandestinitatis.*
Turnus Rotalis: U. Mannucci, *Ponens,* A. Jullien, F. Guglielmi.

Defensor Vinculi: I. Trezzi.

Advocatus: A. Carabini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 20 Iunii 1932: «Negative».

XXVI. STRIGONIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: F. Guglielmi, *Ponens,* H. Quattrocolo, F. Morano.

Defensor Vinculi: I. Trezzi.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: *D.* Lazzarato.

Dubia: I. «An nova eademque gravia argumenta praesto sint pro nova causae propositione, in casu »: II. « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 25 Iunii 1932: Ad I. « Affirmative ». Ad II. «Negative».

XXVII. MECHLINIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Morano, A. Wynen.

Defensoris Vinculi Substitutus: A. C. Conte.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 28 Iunii .1932: « Affirmative ».

XXVIIT. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusam indissolubilitatem.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo, U. Mannucci.

Vinculi Defensoris Substitutus: A. C. Conte.

Advocatus: I. B. Ferrata.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 30 Iunii 1932: «Affirmative».

XXIX. ALTUNEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capitibus clandestinitatis atque consanguinitatis.*

Turnus Rotalis: F. Morano, A. Wynen, G. Heard, *Ponens.*

Defensoris Vinculi Substitutus: A. C. Conte.

Advocatus: A. Carabini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 5 Iulii 1932: « Affirmative ».

XXX. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite affinitatis illicitae^*

Turnus Rotalis: F. Parrillo, *Ponens,* IT. Mannucci, A. Jullien.

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubia: I. « An constet de nullitate matrimonii, in casu ». II. « An consilium praestandum sit Ssmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato ».

Sententia diei 6 Iulii 1932: « Negative ad utrumque ».

XXXI. X. X. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* F. Guglielmi, H. Quattrocolo.

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 9 Iulii 1932: «Affirmative».

XXXII. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Morano, A. Wynen,

Defensor Vinculi: I. Trezzi.

Advocatus: H. Benvignati.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 12 Iulii 1932: «Negative».

XXXIIT. TRANSILVANIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, G. Heard, *Ponens,* S. Janasik.

Vinculi Defensor" deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: S. Bzewnicki.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 14 Iulii 1932: «Negative».

XXXIV. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: F. Morano, *Ponens,* A. Wynen, G. Heard.

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus: L. Legrand.

Dubium: «Ar constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 16 Iulii 1932: « Negative ».

XXXV. CONSTANTINIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *cx capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo, U. Mannucci.

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: F. Fournier.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei .16 Iulii 1932: «Negative».

XXXVI. NICIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, S. Janasik.

Defensor Vinculi deputatus: S. Romani.

Advocatus: C. Giusino.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 23 Iulii 1932: « Affirmative ».

XXXVII. WESTMONASTERIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, H. Quattrocolo, G. Heard, *Ponens.*

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: P. D'Avack.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 25 Iulii 1932: «Affirmative».

XXXVIII. VIENNEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite clandestinitatis.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* P. Parrillo, S. Janasik.

Defensor Vinculi: I. Trezzi.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: I. Stella.

Dubium: «An sententia rotalis diei 2 Maii 1927 confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

Sententia diei 28 Iulii 1932: « Confirmandam esse sententiam rotalem; seu non constare de matrimonii nullitate ».

XXXIX. SECOVIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus ob amentiam viri.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* P. Guglielmi, H. Quattrocolo.

Defensor Vinculi deputatus: I. Benedetti.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: I. « An constet de nullitate matrimonii, in casu ». II. « An consilium praestandum sit Ssmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato ».

Sententia diei 30 Iulii 1932: Ad I. « Negative ». Ad II. « Negative ».

XL. VARSAVIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: F. Morano, A. Wynen, *Ponens,* G. Heard.

Defensor Vinculi: I. Trezzi.

Advocatus: A. Carabini.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 30 Iulii 1932: « Affirmative ».

XLI. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: TT. Mannucci, *Ponens,* A. Jullien, F. Guglielmi.

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus: I. B. Ferrata.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 1 Augusti 1932: « Negative ».

XLII. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus et conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, S. Janasik.

Vinculi Defensor deputatus: E. Suarez, O. P.

Advocatus: H. Benvignati.

Dubium: « An sententia rotalis diei 15 Iunii 1925 confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

Sententia diei 4 Augusti 1932: « Confirmandam esse sententiam rotalem, seu non constare de nullitate matrimonii ».

XLIII. KIELCEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Morano, A. Wynen.

Defensor Vinculi deputatus: I. Benedetti.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: S. Ezewnicki.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 5 Augusti 1932: « Affirmative ».

XLIV. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae viri.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Morano, A. Wynen.

Defensor Vinculi: I. Trezzi.

Advocatus: I. B. Ferrata.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 9 Augusti 1932: « Affirmative ».

XLV. PRATEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite amentiae viri.* INCIDENTIS.

Turnus Rotalis: TT. Mannucci, *Ponens,* A. Jullien, F. Guglielmi.

Defensor vinculi: I. Trezzi.

Advocati: F. Bersani, A. Caparti, A. C. Iemolo.

Sententia diei 10 Augusti 1932: « Confirmandam esse sententiam interlocutoriam Tribunalis Pratensis diei 6 Iunii 1932, qua reiectae sunt praeiudiciales exceptiones de legitimitate personae actoris ad standum in iudicio per curatorem electum ab Ordinario in casu».

XLVI. NEAPOLITANA. - NULLITATIS MATRIMONII *ex eapitevis et metus et conditionis contra substantiam matrimonii.*

Turnus Rotalis: M. Massimi^ Decanus, *Ponens,* I. Grazioli, F. Parrillo.

Defensoris Vinculi Substitutus: A. C. Conte.

Advocatus: N. Patrizi.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 11 Augusti 1932: « Negative ».

XLVII. CASERTANA. - COMPETENTIAE (INCIDENTIS).

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* P. Guglielmi, H. Quattrocolo.

Promotor Iustitiae: P. Bracci.

Advocatus: P. Bersani.

Dubium: « An Tribunal metropolitanum Capuanum competens sit, in casu ».

Sententia diei 17 Octobris 1932: « Affirmative ».

XLVIII. N. N. - POENARUM.

Turnus Rotalis: P. Guglielmi, *Ponens,* H. Quattrocolo, P. Morano.

Promotor Iustitiae: F. Bracci.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: J. Benedetti.

Dubia: I. « An constet reum conventum deliquisse contra sextum decalogi praeceptum, in casu ». Et quatenus affirmative: II. « Quibus poenis coercendus sit, ad normam can. 2359 §3, in casu».

Sententia diei 19 Octobris 1932: Ad I. « Affirmative ». Ad II. « Poenis reus multatur:

a) Prohibitionis a beneficiis omnibus ecclesiasticis recipiendis, per septennium; et suspensionis a ministeriis praedicandi et christifidelium confessiones excipiendi, item per septennium: quo tempore elapso, non admittatur ad beneficia ecclesiastica, ad ministerium sacrae praedicationis et ad confessiones audiendas, nisi, Episcopi prudenti iudicio, indubia emendationis signa dederit, et scandalum sit reparatum;

b) vigilantiae per triennium; data Episcopo facultate praecipiendi ut reus in aliqua religiosa domo per partem eiusdem temporis commoretur».

XLIX. BERYTEN. ET GIBAILEN. - NULLITATIS MATRIMONII e# *capite defectus consensus ob amentiam mulieris.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Morano, A. Wynen,

Defensor Vinculi deputatus: I. Brocco.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu». :

Sententia diei 17 Novembris Í932: « Negative ».

L. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob intentionem contra indissolubilitatem.*

Turnus Rotalis: M. Massimi,Becanus, *Ponens,* I. Grazioli,P.Parrillo.

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 24 Novembris 1932: «Negative».

LI. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo, U. Mannucci.

Defensor Vinculi deputatus: V. Bartoccetti.

Advocatus: H. Benvignati.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 25 Novembris 1932: « Negative ».

L1I: OLOMUCEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: M. Massimi, Decanus, *Ponens,* I. Grazioli, F. Parrillo.

Defensor Vinculi deputatus: I. Benedetti.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: « An sententia rotalis diei 24 Novembris 1930 confirmanda vel infirmanda sit in casu ».

Sententia diei 5 Decembris 1932: « Confirmandam esse sententiam rotalem, seu non constare de matrimonii nullitate ».

LUI. KATOVICEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite clandestinitatis.*

Turnus Rotalis: F. Morano, *Ponens,* A. Wynen, G. Heard.

Defensor Vinculi deputatus: I. Stella.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 6 Decembris 1932: « Negative ».

LIV. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae viri.*

Turnus Rotalis: H. Quattrocolo, *Ponens,* F. Morano, A. Wynen.

Defensor Vinculi deputatus: I. Brocco.

Advocatus: D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 6 Decembris 1932: « Negative ».

<• LY. BERGOMEN. - IURIUM.

Turnus Rotalis: A. Jullien, *Ponens,* F. Guglielmi, H. Quattrocolo.

Promotor Iustitiae: F. Bracci.

Advocati: N. Patrizi, D. Lazzarato.

Dubium: « An et quamnam summam sacerdos Biolghini solvere teneatur sacerdoti Lombardi, in casu? »

Sententia diei 10 Decembris 1932: « Negative, ad primam partem; ad alteram autem, provisum in prima».

LVI. LODZEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus.*

Turnus Rotalis: M. Massimi, Decanus, I. Grazioli, S. Janasik, *Ponens.*

Defensor Vinculi deputatus: I. Benedetti.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: S. Rzewnicki.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii in casu».

Sententia diei 15 Decembris 1932: «Negative».

LVII. SPIREN. - CREDITI.

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, S. Janasik.

Promotor Iustitiae: F. Bracci.

Advocati: D. Lazzarato, S. Rzewnicki.

Dubium: «An et quamnam summam Episcopus Spirensis et aerarium ordinariatus Spirensis solvere teneantur rev. parocho Gulielmo Caroli, in casu ».

Sententia diei 20 Decembris 1932: « Negative, ad primam partem; ad alteram vero, provisum in prima».

LVIII. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus ob exclusionem iuris coniugalis.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, S. Janasik.

Defensor Vinculis deputatus: E. Suarez, O. P.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: D. Lazzarato.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 20 Decembris 1932: « Negative ».

LIX. PORTUEN. ET S. RUFINAE. - CREDITI.

Turnus Rotalis: E. Guglielmi, *Ponens,* H. Quattrocolo, F. Morano.

Promotor Iustitiae: F. Bracci.

Advocati: P. Mottis, B. Pellegrini, F. Bersani, A. D'Alessandri, P. Guidi (ex mandato Tribunalis).

Dubium: I. « An dioecesis Portuen. et S. Rufinae teneatur de credito ex. contractu inito ab Emo Cardinali Antonio Vico, f. r., quatenus eiusdem dioecesis Ordinario, cum Societate « Nannerini-Schiavetti », ad ecclesiam aedificandam in loco « La Storta », in casu ». Et quatenus nega-

tive: II. « An eodem contractu teneantur heredes Emi Card. Vico, f. r., et habentes ab eo causam, in casu ».

Sententia diei 21 Decembris 1932: Ad I. «Negative». Ad II. «Negative ».

LX. TAURINEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite defectus consensus atque vis et metus.*

Turnus Rotalis: U. Mannucci, A. Jullien, *Ponens,* F. Gugfielmí.

Defensor Vinculi deputatus: I. Benedetti.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: C. Astorri.

Dubium: «.An sententia rotalis diei 23 Aprilis 1924 confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

Sententia diei 23 Decembris 1932: « Confirmandam esse sententiam rotalem; seu non constare de matrimonii nullitate ».

II

Causae quae eodem anno 1932 transactae fuerunt, vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.

I. MAZARIEN. - *Incidentis de reiectione libelli,* coram E. P. D. I. Grazioli.

Visis canonibus 1709 § 3,1710 necnon 1625 § 1, 1718 et 1724; attendentes actorem a decreto diei 10 Iulii 1928 intra legitima tempora non appellasse: attendentes quoque quaestionem de assertis damnis contra Iudicem ad Tribunal appellationis non spectare, itemque novum iudicem non esse designandum, deficientibus adiunctis a lege requisitis; Patres, in Turno diei 23 Ianuarii 1932, decreverunt: « Eecursum non esse excipiendum ».

II. COLONIEN. - *Nullitatis matrimonii, ex capite vis ei metus,* coram E. P. D. F. Guglielmi.

Cum E. D. Defensor vinculi penes N. S. T. perpensis etiam résultantes novae instructoriae, declaraverit se recedere ab appellatione interposita adversus sententiam rotalem diei 3 Decembris 1930, quae confir* mavit sententiam die 22 Aprilis 1929, latam a tribunali Coloniensi pro nullitate matrimonii, Ponens decreto diei 4 Februarii 1932 dixit appellationem esse desertam et coniugibus, ad normam can. 1987, ius esse novas nuptias contrahendi.

III. BONONIEN. - *Nullitatis matrimonii ex capite clandestinitatis,* coram B. P. D. F. Morano.

Cum intra tempus a iure praescriptum actrix non sit appellationem prosecuta, eadem appellatio deserta declarata est et acta posita sunt in. Archivo ex decreto Ponentis diei 15 Martii 1932.

IV. VRATISLAVIE3NT. - *Nullitatis matrimonii ex capite clandestinitatis,* coram Excmo P. D. M. Massimi.

Cum B. D. Vinculi Defensor penes N. S. T. declaraverit se non esse appellationem proseçuturum interpositam adversus sententiam rotalem diei 7 Augusti 1931, quae sententiam a Tribunali Vratislaviensis in secunda instantia, die 14 Iunii 1927, latam pro matrimonii nullitate, confirmavit, Excmus Ponens, decreto diei 30 Martii 1932, dixit appellationem desertam et coniugibus ius esse, ad normam can. 1987, novas nuptias ineundi.

V. Augustodunejnt. - *Nullitatis matrimonii èx capite vis et metus,* coram B. P. D. E. Guglielmi.

Vi can. 1736, cum nullus actus per annum positus sit, instantiam esse peremptam declaravit Ponens, die 3 Maii .1932.

VI. N. N. — *Nullitatis matrimonii ex capite conditionis appositae,* coram B. P. D. A. Wynen.

Cum actricis procurator nullum actum iudicialem per annum posuerit, ad normam can. 1736 instantiam esse peremptam atque acta in archivo reponi, B. P.D. Ponens decrevit die 7 Aprilis 1932.

VII. N. X. - *Separationis ob violatam fidem coniugalem,* coram B. P. D¿ A. Jullien.

Attenta coniugum reconciliatione causam in archivo reponendam B. P. D. Ponens mandavit decreto diei 8 Aprilis 1932.

VIII. Sue-RENtina. - *Nullitatis matrimonii ex capite impedimenti ligaminis,* coram B. P. D. F. Parrillo.

Cum a notificatione decreti diei 9 Aprilis 1931 integer annus transierit, neque ullus actus processualis in causa positus fuerit, B. P. D. Ponens die 18 Aprilis 1932, attento can. 1736, peremptam declaravit appellationem, quam actor interposuerat adversus sententiam Ordinarii Surrentini die 20 Iulii 1929 latam in vim can. 1990.

- IX. X. X. - *Nullitatis matrimonii ex capite conditionis contra bonum prolis,* coram B. P. D. I. Grazioli.

- Cum vinculi Defensor X. S. T. ad tramitem can. 1987 pro sua conscientia prosequendam non censuerit appellationem interpositam in causa de qua supra contra sententiam diei 20 Maii anni 1931 Tribunalis Y.

qua confirmata èst sententia a Tribunali X. diei .18 Nov. anno 1930 pro matrimonii nullitate data, B. P. D, Ponens, decreto diei 20 Aprilis 1932 appellationem desertam declaravit itemque coniugibus ius esse ad novas nuptias transeundi.

X. SS. CONCEPTIONIS DE CHILE. - *Iuris funerandi,* coram Excmo P. D. M. Massimi.

Cum nullus actus processualis positus fuerit per annum, instantia, decreto Excmi Ponentis diei 9 Iunii 1932, declarata est perempta, ita ut rotalis sententia, per appellationem oppugnata, in rem iudicatam transierit (can. 1736).

XI. DIVIONEN. - *Nullitatis matrimonii ex capite defectus consensus ex parte viri,* coram B. P. D. H. Quattrocolo.

Cum actor in causa supremum diem obierit, R. P. D. Ponens acta in Archivo reponi iussit decreto diei 18 Iulii .1932.

XII. DE HUARAZ. - *Poenarum,* coram R. P. D. F. Parrillo.

Cum annus iam erfiuxerit, neque ullus actus processualis interpositus fuerit, R. P. D. Ponens, attento can. 1736 appellationem esse desertam declaravit decreto diei 4 Augusti 1932.

XIII. BURDIGALEN. - *Reiectionis libelli,* coram R. P. D. F. Parrillo.

In Turno Rotali diei 5 Augusti 1932, Patres decreverunt: « Libellum ab actore exhibitum die 17 Martii 1932 fuisse legitime ob iudicis incompetentiam, ratione obiecti, reiectum ».

XIV. LISBONEN. - *Nullitatis matrimonii et dispensationis super rato et non consummato, ex capite defectus consensus,* coram R. P. D. A. Wynen.

Cum per biennium nullus actus processualis in hac causa positus fuerit, ad normam can. 1736 instantiam esse peremptam R. P. D. Ponens declaravit die 9 Augusti 1932.

XV. N. N. - *Nullitatis matrimonii ob exclusum bonum prolis,* coram Excmo P. D. M. Massimi.

Cum nullus actus processualis positus fuerit per annum, appellatio declarata est deserta ad normam can. 1736, decreto Excmi Ponentis diei 26 Sept, 1932.

XVI. PARISIEN. - *Nullitatis matrimonii ex capite conditionis appositae,* coram R. P. D. G. Heard.

Cum nullus actus processualis positus fuerit per annum, appellatio tanquam deserta habita est ad normam can. 1736 per decretum Ponentis diei 13 Octobris .1932.

XVII. X. X. - *Restitutionis in integrum et compromissi,* coram Excmo P. D. M. Massimi.

Cum, rebus iamdudum inter partes compositis, nullus actus processualis positus fuerit per annum, appellatio, a Promotore Iustitiae interposita, declarata est — eo audito — deserta (can. 1736) decreto diei 6 Octobris 1932.

XVIII. PAPIEN. - *Diffamationis* coram Excmo P. D. M. Massimi.

Cum nullus actus processualis positus fuerit per annum, appellatio ab actore interposita, declarata est deserta. Transiit igitur in rem iudicatam sententia rotalis diei 1 Augusti 1929, qua definitum est non constare de diffamatione illata a sacerdote Rinaldo Torchio equiti Guillelmo Castelli. Ita decernente Excmo Ponente die 14 Xovembris 1932 .j

XIX. X. X. - *Separationis,* coram R. P. D. I. Grazioli.

Cum die 17 Octobris 1932 patronus partis conventae appellationi renuntiaverit, quam adversus sententiam rotalem diei 13 Martii 1932 interposuerat, contendens eamdem ex parte tantum vim rei iudicatae habere, R. P. D. Ponens renuntiationem admisit decreto diei 14 Xovembris 1932 simulque declaravit et definitioni quaestionis incidentalis locum amplius non esse et rotalem sententiam in rem iudicatam transiisse.

XX. ARIANEN. - *Finium parochialium,* coram R. P. D. P. Morano.

Cum nullus actus processualis per biennium positus fuerit, R. P. D. Ponens, perpenso canone 1736 Codicis iuris canonici et audito R. D. Promotore Iustitiae, decrevit instantiam esse peremptam et ideo mandavit ut acta ponerentur in archivo, die 29 Xovembris 1932.

XXI. ROMANA. - *Nullitas matrimonii ex capite vis et metus,* coram R. P. D. A. JuUien.

Cum nullus actus processualis per annum positus fuerit, ad causam in sede appellationis peragendam, R. P. D. Ponens decrevit die 14 Decembris 1932, instantiam esse peremptam ad normam can. 1736.

XXII. CONSTANTINOPOLITANA. - *Nullitatis matrimonii ex capite conditionis appositae,* coram R. P. D. A. Jullien.

Cum nullus actus processualis fuerit positus per annum, ad causam in appellatione peragendam, R. P. D. Ponens, ad normam can. 1736 decrevit instantiam esse peremptam, die 14 Decembris 1932.

XXIII. SQUILLACEN. - *Pensionis,* coram R. P. D. F. Parrillo.

Cum annus iam efifluxerit ab interposita appellatione, neque ullus actus processualis interpositus fuerit, R. P. D. Ponens, ad normam can. 1736,

instantiam esse peremptam et oppugnatam sententiam transiisse in rem indicatam declaravit decreto diei 19 Decembris 1932.

XXIV. ROMANA. - *Nullitatis matrimonii ob exclusam indissolubilitatem,* coram R. P. D. I. Grazioli.

Cum actrix in causa interpositam appellationem adversus sententiam Vicariatus Urbis diei 12 Iulii 1930 intra tempus a iure statutum prosequuta non sit, R. P. D. Ponens ad tramitem canonis 1736 appellationem desertam declaravit et acta causae in archivo S. Tribunalis reponi iussit decreto diei 19 Decembris 1932.

XXV. ROMANA. - *Nullitatis matrimonii ex capite conditionis appositae,* coram R. P. D. F. Parrillo.

Cum annus iam einuxerit ab appellatione, neque ullus actus processualis interpositus fuerit, R. P. D. Ponens ad normam can. 1736, declaravit instantiam esse peremptam decreto diei 19 Decembris 1932.

XXVI. TIEFRTINA. - *Nullitatis matrimonii ex capite vis et metus,* coram R. P. D. P. Parrillo.

Cum intra biennium ab instantia in hac causa proposita nullus actus processualis positus fuerit, R. P. D. Ponens, ad normam can. 1736, instantiam ipsam peremptam esse declaravit decreto diei 20 Decembris 1932.

XXVII. SPALATEN. - *Proprietatis (Incidentis),* coram R. P. D. F. Parrillo.

Cum annus iam einuxerit, neque ullus actus processualis in hac causa interpositus fuerit, R. P. D. Ponens ad normam can. 1736 appellationem peremptam esse declaravit decreto diei 20 Decembris 1932.

XXVIII. BOIANEN. - CAMPOBASSEN. - *Nullitatis matrimonii (Reiectionis libelli),* coram R. P. D. F. Guglielmi.

Cum nullus actus processualis positus fuerit per annum, ad normam can. 1736 instantia declarata est perempta, ex decreto Ponentis diei 23 Decembris 1932.

XXIX. BAIOCEN. - *Nullitatis matrimonii ob exclusam unitatem,* coram Excmo P. D. M. Massimi.

Cum nullus actus processualis positus fuerit per annum, appellatio ab actrice interposita, adversus sententiam Tribunalis Baiocensis diei 13 Man 1930, declarata est deserta ad normam can. 1736, et acta in archivo posita sunt ex decreto Excmi Ponentis, die 30 Decembris 1932 dato.

III

Citatio edictalis

MEDIOLANEN.

NULLITATIS MATRIMONII (COSTA-MAURER)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Henrici Gualterii Maurer, in causa conventi, eumdem citamus ad comparendum, sive per se, sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma. via delia Dataria, 94) die 24 Aprilis 1933, hora 12, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Henrici Gualterii Maurer curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L. **£8** S. U. Mannucci, *Ponens,*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 24 ianuarii 1933.

Adv. T. Tani, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Henri Walter Maurer, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, via della Dataria, n. 94), le *M* Avril 1933, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas ?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Mr Henri Walter Maurer devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Mercoledì 8 Febbraio, Sua Santità ha ricevuto in solenne Udienza S. E. il Signor EMILIO LORENZO DARD, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario del Principato di Monaco, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 7 Febbraio 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, avanti l'augusta presenza del Santo Padre, ha avuto luogo la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Erui e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Consultori teologi hanno dato il loro voto sul *tuto* per la solenne beatificazione della Venerabile Serva di Dio Vincenza Gerosa, confondatrice delle Suore della Carità della Beata Capitanio di Lo vere, e quindi su due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione della Ven. Serva di Dio Caterina Labouré, religiosa delle Figlie della Carità, miracoli che vengono proposti per la solenne beatificazione della medesima Ven. Serva di Dio.

Martedì, 14 Febbraio 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, innanzi l'augusta presenza dei Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati e Consultori teologi, componenti la stessa S. Congregazione, hanno discusso e dato il loro voto sul dubbio detto del *tuto* per la solenne beatificazione della Ven. Serva di Dio Gemma Galgani, vergine secolare, e su due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione del Ven. Servo di Dio Ginseppe M. Pignatelli, sacerdote professo della Compagnia di Gesù.

Martedì, 21 Febbraio 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali e col voto dei Revmi Prelati Officiali e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione .*Nuova preparatoria* per discutere il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dal Servo di Dio Domenico Savio, giovane secolare.

Sabato, 25 Febbraio 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi all'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* de Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati ed i Consultori teologi, hanno discusso e dato il loro voto dapprima sul dubbio detto del *tuto* per la solenne beatificazione del Ven. Servo di Dio Giuseppe Maria Pignatelli, Sacerdote professo della Compagnia di Gesù e quindi sul dubbio parimenti del *tuto* per la solenne beatificazione della Ven. Serva di Dio Caterina Labouré, dell'Istituto delle Figlie della Carità.

SEGRETERIA DI STATO

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano:

16 Ottobre 1932. Al sig. marchese Edgardo Guerrieri (Italia).
» » » Al sig. marchese Alberto Solaro Dal Borgo (Italia).
» » » A S. E. Francesco Maria Taliani (Italia).

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

lo Ottobre 1932. A S. E. il barone Pompeo Aloisi (Italia).
» » » A S. E. Fulvio Suvich (Italia).

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

14 Ottobre 1932. Al sig. Francesco Jacomoni (Italia^.
» » » Al sig. conte Luigi Arborio Mella di S. Elia (Italia).
» » : Al sig. conte Carlo Macchi di Gellere (Italia).

La Commenda con Placca dell'Ordine dì' S. Gregorio Magno, classe militare:

14 Ottobre 1932. Al sig. N. U. Gastone Rossi Longhi (Italia).

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

16 Ottobre 1932. Al sig. conte Guido Suardi (Italia).
» » » Al sig. D. Umberto Ruffo di Calabria, dei principi di Scilla (Italia).
» » » Al sig. D. Giuseppe Lanza D'Aieta, dei principi di Trabia (Italia).

NECROLOGIO

16 Giugno 1932. Monsig. Alberto Tommaso Daeger, Arcivescovo di Santa Fé (U. S. A.).
15 Dicembre » Monsig. Antonio Zerr, Vescovo tit. di Salona.
28 Gennaio 1933. Monsig. Stanislao Jarlin, Vescovo tit. di Farbeto.
4 Febbraio » Monsig. Guglielmo Rojas y Arrieta, Arcivescovo di Panama.
4 » »• Monsig. Giovanni Batignani, Vescovo di Montepulciano.
8 » » Monsig. Carlo Castelli, Arcivescovo di Fermo.
9 » » Emo Sic Card. ANDREA FRÜHWIRTH, del tit. di S.Lorenzo in Damaso, Cancelliere di S. R. Chiesa.
*18** » » Monsig. Alessandro Garcia Fontcuberta, Vescovo tit. di Antedone.
*22** » » Monsig. Luigi Giuseppe El-Khazen, Arcivescovo tit. di Tolemaide di Fenicia, dei maroniti.
3 Marzo » Monsig. Giuseppe Rovella, Vescovo tit. di Efesto.

* Data **del** telegramma.

Annus XXV - Vol. XXV 16 Martii 1983 Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. xi

SACRUM CONSISTORIUM

i•

CONSISTORIUM SECRETUM

Feria secunda, die xin Martii anno MDCCCCXXXHI, in Palatio Apostolico Vaticano fuit *Consistorium secretum,* cuius acta ex ordine referuntur:

I. - CAMERARIATUS SACRI COLLEGII

Reverendissimus Cardinalis Sincero detulit ac reddidit Perulam Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium Ssmo í)üo Nostro Papae, qui eam tradidit Reverendissimo Cardinali Cerretti pro hoc anno ipsius Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium Camerario.

n. - RELATIO CAUSAE BEATI A. H. FOURNET

Tunc Revmus Cardinalis Praefectus Sacrae Congregationis SS. Rituum, impetrata Beatissimi Patris venia, sermonem habuit de causa Beati Andreae Huberti Fournet, Confessoris, ac recensuit acta quae in causa Beatificationis et Canonizationis eiusdem Beati, Sacra Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admisit et approbavit. Relatione expleta, Ssmus Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivit atque excepit *a,c* deinde Consistorium semipublicum, die 2 Maii celebrandum, indixit.

III. -- ALLOCUTIO SSMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES

Iterum vos, post temporis intervallum, non una de causa praeter communem consuetudinem diuturnum, in hunc sacri Consistorii consessum eonvocatos habemus; atque adeo acta, celebrationes., laeti tristesque eventus, quae, post Consistorium die XXX mensis* Iunii, anno MDCCCCXXX habitum, inciderunt, frequentiora profecto sunt, neque ea possumus nisi presse breviterque attingere

Quodsi in hisce rebus Encyclicas Litteras Constitutionesque* « Casti connubii », « Quadragesimo anno », « Deus scientiarum Dominus » primum obtinere locum putamus, id ea ratione facimus,„ ut summae harum rerum gravitati debitum tribuamus honorem,, utque denuo ex animo Nostro actuosam voluntatem sollicitudinemque expromere liceat, qua incensi impulsique sumus ad domestici convictus sanctitudinem tutandam, ad aequam operariae plebis, condicionem inducendam, ac denique ad amplius vigentiusque^ sacrarum disciplinarum incrementum, pro facultate, provehendum*.

Ac suapte natura in gravioribus Apostolicae Sedis actis eae Conventiones annumerantur, quae idcirco initae sunt, ut Religionis atque Ecclesiae condiciones in Civitatibus ordinentur: prout, pactum, quod *concordatum* vocant, nuperrime cum Badensi Civitate conventum, tertium quidem recentiore hac aetate in Germania actum.

Ex variis ac paene innumeris celebritatibus, in quibus, dati& litteris Nostrisque missis e sacro Ordine vestro Legatis, vel in òlivinum Regem, eucharisticis velis delitescentem, honorem atque* amorem, vel qua filii pietatem debitumque gloriae decus erga magnam Dei Nostrique Matrem participavimus, illarum subit recordatio animum, et Eucharistici nempe Conventus, Dublini habiti,, et LXXV exeuntis anni, ex quo se Lapurdi Immaculata Virgo conspiciendam dedit. Hoc ex oppido, ex prodigiali scilicet eius specu,, Deipara Virgine bene Nobis precante, fere duodecim abhinc annis,, profecti sumus, ut dilectam Nobis Mediolanensem archidioece--

sim, ad breve tempus regendam, susciperemus; ad Dublinensem vero civitatem, non modo litteras Nostras Nostramque Legatum mittere, sed vivam etiam vocem Nostram transfundere datum est; ad Eucbaristicum videlicet illum coetum, quem bine fides ac pietas, illinc ingeniosa ac, pro temporum augustus libéralissima Hibernorum gentis incepta, Nobis quidem carissimae, — hoc est Episcoporum, cleri populique — cum dignum prorsus « Sanctorum Insula », tum in historiae fastis admirabilem effecerunt, quae tot refert, veri nominis gloriam redolentes, Eucharisticus ex omnibus nationibus Conventus.

Praeclaris bisce Catholicae Ecclesiae fastis atque extraordinariis virtutis vigorisque eius documentis, non sine gaudio ac solacio, cotidiana ea respondent vitae laborisque eius incrementa, quae nimirum eo spectant, ut humani generis Eedemptio largius in dies uberius que ad effectum deducatur.

De profectu atque progressione intellegi volumus ecclesiasticarum circumscriptionum, seu in iis regionibus, in quibus dioecesium regimen legitime est constitutum, seu in eis, in quibus Missionales adhuc rem christianam provehunt, quaeque eorumdem opera reguntur; de frugifero agimus consolationeque referto opere tribus illis sacris Consiliis demandato — Consistoriali scilicet Congregationi, Congregationi item Orientali Ecclesiae praepositae, eique, quae propagandae Eidei destinatur; — quod quidem opus, ut omnes norunt, id enititur ut copiosiores postremis hisce temporibus lectosque fructus colligat et mystico Iesu Christi corpori adiiciat atque inserat: infideles nempe ad christianam fidem conversos — ibi procul dubio frequentiores, ubi crebriores sunt sacrorum ex indigenis administri — atque acatholicos et orientalium rituum dissidentes filios, qui, veluti optatissimum ab exilio in patriam reditum facientes, ad Eomanam unitatem se feliciter receperunt. Heic igitur immortales Deo grates agimus; itemque gratum profitemur animum et Orientis Episcopis ceteroque clero, ob apostolicum eorum studium, et, ob collatam concorditer operam, latini ritus Missionalibus religiosisque sororibus, qui in Orientali Ecclesia apostolatus munere funguntur; immortales praesertim grates

agimus, ob actuosam voluntatem, ob christianam animorum fortitudinem, ad strenuum saepenumero heroum morem adaetam, tot carissimis filiis Nostris in unam redeuntibus communis Patris domum.

Ad quod quidem divinae Redemptionis supernaeque vitae •incrementum, adiutricem pretiosamque operam navarunt atque adhuc, assiduitate ardorisque contentione summis laudibus honestandis, navant, non modo Pontificia Opera Missionalia, sed *Catholica* etiam *Actio,* quae numquam praesentior, operosior numquam est, quam quoties Episcoporum ceterique cleri apostolatum participare potest. Haec incepta profecto atque adiutrix opera in catholicorum etiam regionibus christianae vitae fructus edidere non paucos, eosdemque salutíferos atque optimos. Religiosam institutionem dicimus — primam atque prae rebus omnibus necessariam; — quae magis cotidie magisque augetur atque diffunditur, quae in aptiorem cotidie ordinem redigitur, quaeque, etsi non ubique, recens invectis pervulgationis viis rationibusque proficit atque amplificatur. Eucharisticam dicimus pietatem ac vitam, quam largiore diligentioreque frequentatione, alacriore perspicacioreque fervore cum singuli, tum communitates ac populares ordines colunt ac refovent. Crebriorem dicimus atque studiosiorem spiritualium exercitiorum usum, non modo ad sacrorum administros quod attinet, sed etiam ad laicorum hominum multitudinem, eorum nominatim, qui vel disciplinarum studiis se dedunt, vel in fabriles artes incumbunt. Denique increbrescentem dicimus profectum eorum caritatis cértaminúm, quae privatim publice suscipiuntur, quaeque — cum nondum remittat, nedum «öhsidat, oeconomicarum rerum discrimen — et tempestiva admodum videntur, et pulcherrimum praestant christiani afflatus ac spiritus perfectumque documentum.

Neque silentio praeterire possumus, quin immo Nostris laudibus exornare cupimus, Vincentianos illos coetus, quorum plenum *Sb* constitutione saeculum nullum praeconium potest satius luculentiusque celebrare, quam eorum rationaria; quae quidem amplissimam per universum terrarum orbem eorum efficacitatem,

succrescens providentiaeque plenum eorum incrementum atque mirabilem ad animis corporibusque medendum caritatis vigorem patefaciunt. Postulat praeterea paterni gratique animi Nostri voluntas, ut, quae multis locis exstant, caritatis contentiones efferamus ac praedicemus, quae anxiis sollicitisque bortationibus respondentes, a Nobismet ipsis atque adeo a venerabilibus fratribus Episcopis habitis, fere ubique conflantur, ut promptius faciliusque locorum necessitatibus occurrant.

Actionem Catholicam memoravimus; perbrevi, quam fecimus, mentioni, contineri non possumus quin hoc persequendo adiiciamus: non mediocri Nos, eoque intimo, solacio idcirco affici, quod eam videamus ubique gentium institui mirandumque in modum incrementa capere; idque procul dubio ob pastorales Episcoporum curas, quibus sacrorum laicorumque hominum ordines generose obsequuntur. Paene innumerabilia sunt, quae ex omnibus orbis partibus, ne praetermissis quidem sacrarum Missionum regionibus,, continenter accipimus, huius rei testimonia; quibus liquido patet maxima eam et omnibus apostolatus operibus et christianae vitae incolumitati atque profectui adiumenta conferre. Quod quidem ad « meliorum usque charismatum » aemulationem enititur, ad perfectionem, sanctitudinemque ; ad pie operoseque orantis militantisque Ecclesiae vitam participandam; ad multiplicem usque, pro variis locorum rerumque adiunctis, operam navandam^ — eamdemque studiosam usquequaque semper atque sollertem — ut animarum quaestus fiat iteratumque lucrum: earum maxime animarum, quae, vel ob materialistarum deliramenta atque fallacem ethnicorum doctrinam misere decipiuntur, vel ob vulgo inductas rationes, Societatis Religionisque ordini infensissimas, **T**-teterrimum id quidem ulcus, quod deteriores cotidie animis corporibusque continuo minitatur ruinas — transvorsum aguntur.

Iamvero Deus ipsemet, certis datis indiciis, eidem Actioni Catholicae probationis suaeque gratiae causa, dulce leviterque arridere visus est, cum in eam, in varios nempe eius ordines, quam Nos etiam atque etiam in oculis ferimus, arcana lectissimaque largiter effudit ecclesiasticae vocationis semina.

Indidem pronum est, sicubi ea atque interdum angustis adversisque rebus non caret, idcirco a Nobis — non sine incredibili solacio ac gaudio — divini eloquii sententiam districte eidem esse tribuendam, qua animi, aerumnis conflictati, Deoque cari, recreantur: « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te ». [1]

Quodsi pressius etiam cogitationem allocutionemque Nostram ad eam mystici ovilis partem convertamus, quae propius a Nobis abest, haud cunctanter asseverare debemus hanc ipsam maiorem propinquitatem impensius a Nobis operosiusque exquisivisse pastorale studium; eo vel magis quod peculiares diuturnae gravesque augustiae id postulare videbantur, quas ruinae vastitatesque Volturiensi, Anconitanae Senogalliensique regionibus a terrae motu illatae instantioris emciebant potiorisque necessitatis. Atque vos, venerabiles fratres, ad Deo Nobiscum referendas grates adhortamur, qui, insuetis non obstantibus horum temporum difficultatibus, opera, quae suapte natura ad spiritualia maximaque, eademque necessaria, beneficia parienda in posterum destinentur, vel auspicari, vel exsequi magnaque ex parte ad exitum adducere concesserit. De non paucis agimus sacrorum Seminariis, quae maiora vocant, quaeque recens iis aliis ante acta aetate iam exstructus feliciter adiiciuntur; de plurimis agimus sacris ac paroecialibus aedibus, quae ad centum aliis itidem adduntur, quae iam in insulis fuere aut in continenti terra aedificatae; de novis denique paroeciis agimus, quae vel iam erectae, vel in eo sunt ut erigantur; de novis templis atque sacellis, quae in pomerio inque postremis episcopalis Urbis Nostrae partibus, succrescenti populo frequentioribus, excitata iam sunt vel in praesens efficienter apparantur ; de sacra postremo dicimus Apostolica Visitatione, quae in hac eadem Urbe habetur, quaeque — sollicitam dilecto filio Nostro in Romana dioecesi Vicario eiusque adiutoribus conferentibus operam— iamdiu exoptata parit in animosque inducit uberrima beneficia; eidem igitur suisque adiutoribus omnibus gratam libenter significamus voluntatem Nostram.

[1] *Tob.* **XII, 13.**

Ac praeterea grati in B eum hominesque animi Nostri officia •deesse putamus, si studiorum Universitatem Sacro Iesu Cordi -dicatam, itemque incepta duo, quae ad eam attinent, silentio praetereamus. Quorum primum sollemnis est atque annalibus inserenda eius in amplissimam sedem translatio, quam quidem sedem, non sine providentis Dei nutu atque consilio, ibi apparari licuit, ubi sanctissimi illius ingenioque praestantis viri, Ambrosii nempe Ecclesiae Doctoris, memoria sospes adhuc volitat ac veluti •efficiens excitat. Utique translatio eiusmodi — adiutrice divina humanaque ope — ita evenit, ut res prorsus miranda visa fuerit. Neque minus miranda res inceptum alterum Nobis videtur: dies scilicet, studiorum Universitati dicatus, nuperrime, ut nostis, ubique celebratus. Qua in causa, haud parum est et diligentissimae incepti eiusdem ordinationi, et Episcopis ceteroque clero, et eorumdem adiutoribus tribuendum; nihilo secius, si felicissimum superiorum annorum exitum exaequare potuimus — quod pro oeconomicarum rerum condicionibus ubique gentium adhuc in angustias redactis, incredibile prorsus ac praeter omnium facultatem videbatur — id procul dubio ex pia oritur christifidelium «cuiusvis dioecesis, cuiusvis paroeciae, vel humillimae atque pauperrimae, ex eorum sollerti proficiscitur, magnanimaque saepenumero liberalitate. Quamobrem, postquam Deo optimo maximo eordatisque hominibus universis grates ex animo egimus, temperare Nobis non possumus quin Nationi etiam gratulemur, non modo quod idem exitus, in difficillimis rerum adiunctis, satis secundum oeconomicarum eius rationum indicium evadit, sed etiam — quod pluris est — quia certus hoc index exstat tam bene omnes esse animatos, ut, in quovis civium ordine, studiorum Universitatis momentum atque opportunitas et perpendatur omnino, et vel ad veri nominis iacturas faciendas atque incommoda toleranda animos commoveat.

Iamvero, si inde, quod laetum est, faustum auspicium sumere licet in novum annum; tristia non desunt tamen, proh dolor, quin immo affluunt, minarum plena. At quid in praesentia dicamus quod omnes exploratum non habeant, eorumque paene oculis non obverseturl

Illa permanet atque indurescit, anceps, dubia nationum omnium condicio; ob suspiciones trepida; ob adversantia commoda túrbida, anxia; obque non consentaneas ac saepius repugnantes» rationes, quas non aequa atque immodica Ñationalistarum consilia invebunt, requiete carens atque adeo metuenda. Quorum profecto consilia atque proposita, ut niliil aliud magis, verae hominum populorumque fraternae necessitudini prorsus officiant atque obstant, quae solummodo potest, per christianae caritatis praecepta, incitamenta, usum, radices agere suoque humore ali atque- virescere. Caritatis huius virtute atque afflatu compulsi, pacem populis efferre atque praedicare nunquam praetermisimus; atque adventantibus nataliciis Redemptoris sollemnibus, aliquam potuimus, etsi brevem, pacis requiem obtinere. Verumtamen et in veteris et in novi terrarum orbis parte circumstrepunt arma, atque ex cruentatis vastatisque regionibus vox fraterni sanguinis ad caelum clamat.

Permanet, ut diximus, ubique gentium oeconomicarum rerum discrimen, ex quo acerbius tenuiores omnes vexantur: insontes nempe parvuli, veluti primi tenellique huius vitae flores; infirmi aegritudineque affecti; atque vel magis, ob graviora, quae incumbunt, incommoda, aetate grandiores, defessi iam longoque itinere confecti. Spiritualibus externisque in rebus ex eo praeterea connectantur operam atque opifices, quibus non ea tantummodo deest,, quam digne mereri possunt, aequa merces, sed opera etiam ac labor; atque adeo ad coactum otium adiguntur, ex quo hinc pericula proficiscuntur allectationesque, illinc impensae, difficultates sollicitudinesque gignuntur et civili societati universae et iis, quorum eadem officio conformanda tuendaque concreditur. At sunt utique qui ex huiusmodi rerum molestia atque egestate commodum exquirunt, triste equidem commodum atque utilitatem: ii nempe, qui politico, civili religiosoque ordini adversantur. Contra hominum consortionem, contra Religionem sanctissimam, contra denique ipsum Deum hi bellum conflant atque urgent. Novimus- profecto omnes interneciva, quae omnia permiscent, sententiarum eorum deliramenta; ac facinora, vel recens ac nuperrime edita*.

plusquam satis ostendunt adlaborare eos, toto pectore omnibusque viribus, ut incepta sua pravaque consilia ad exitum perducant. Quod iam diu continenterque accidit in immensis, iisdemque infelicissimis, Eussiarum regionibus; quod in Hispania; quod in foederatis Mexici Civitatibus; quod denique in angustioribus amplioribusque mediae Europae Nationibus; id nimio luculentius patefacit quid timendum sit ubicumque invenitur — atque quonam, venerabiles fratres, non advehitur *i* — nefasta eorum doctrinae pervulgatio, nefandius etiam incitamentum.

Tametsi, ad recentiora usque tempora, uni Eomano Pontifici cordi erat gravia pericula denuntiare, quae in christiana civilis cultus instituta fere ubique populorum impendent, qui procul dubio eiusdem christiani cultus beneficiis fruuntur, necessariis prorsus maximaque aestimatione dignis; itidemque haud minus cordi erat praecipua remedia ac munimenta veluti digito demonstrare, quae et suprema sunt germanaque iustitiae caritatisque principia, et primaria immortaliaque praecepta de animarum praestantia, de hominis dignitate, origine ac fine, deque iis, quae eidem intercedunt cum Creatore, Eedemptore, Domino ac Iudice Deo, rationibus peculiarissimis, cumque proximis suis ceterisque rebus omnibus. Quae utique praecepta ac disciplinae in Catholica dumtaxat Ecclesia perfectam assequi possunt explanationem, inviolatam incolumitatem, iaerrantem interpretationem. Quapropter civilis ordinis humanaeque consortionis osores, licet cuiusvis religiosae doctrinae ipsiusque Dei inimicos se iactent — absque Deo, contra Deum ! — Catholicae tamen Eeligioni atque Ecclesiae imprimis, nullaque interposita mora, iniurias inferunt; cum sacrosanctis rebus omnibus profanatione contumeliaque lacessitis, tum caiumniis illatis, atque corrupta ex occulto historiae doctrinaeque fide, tum denique iis, quae in societate universisque nationibus exstant rationibus, commeatibus, commerciis ad pravum usum adductis, tum postremo veri nominis insectationibus vexationibusque instructis atque provectis, quemadmodum in supra memoratis Nationibus contigisse lamentamur. Qua in re, ius iustasque leges vi interdum licentiaque supplent; interdum vero novas leges, quas

iustitia non reprobare non potest, quasi sceleris socias efficiunt atque edunt. Kos igitur, vocem attollentes Nostram, non modo veritatis, iustitiae humanitatisque atque ipsius omnium gentium salutis prosperitatisque causae patrocinan non desistimus neque in posterum intermittemus; sed magis etiam magisque, ut divina tueamur iura, utque liberae hominum conscientiae iura vindieemus, quos universae paternitati Nostrae demandatos habemus, omni prorsus ope elaboraturi sumus. Qua paternitate permoti, Nationes populosque omnes considerent rogamus, ob tot tantaque lamentabihum rerum gesta, ubicumque Ecclesia clam aperte lacessitur, atque eius frugifera sanctitudinisque effectrix opera, ad iuvenes potissimum quod attinet, conflictata praepeditur, necessario ibidem pergravia damna conflari, et animis, et corporibus et fluxis rebus ipsis nocitura.

Nefanda horum Dei inimicorum agendi ratio, quae cotidie magis increscit atque pervulgatur, haec Nobis persequenda innuunt atque suadent, quae omnibus, ipsisquemet utilia fore confidimus. Exploratum habetis, venerabiles fratres, hos cuiusvis ordinis subversores — domestici, inquimus, socialis atque politici — in Deum, in quamlibet religiosam doctrinam, at in catholicam praecipue religionem atque Ecclesiam perpetuos convertunt acerrimosque conatus.

Nonne hinc liquido patet vel ab iisdem Deum religionemque catholicam, tutissima equidem propugnacula ac praevalidam haberi earum rerum omnium munitionem, quas ipsimet oppugnare atque evertere contendunt?

Nullo non tempore, proh dolor, inimici exstitere infitiatoresque Dei, quos, vel cum in imo tantum animo inimicitias atque infitiationes huiusmodi occulunt,[1] Sacrae Litterae stultos insipientesque passim appellant; cum vero Dei Spiritus impios in multigenam turbam coalescere cernit,[2] eorum item molimenta conatusque, Summo Dei Numine caehtus irridente ac dissipante, in irritum cedere conspicit; siquidem creata omnia omnium Creator in suam

1 *Ps.* XIII, 1; LIT, 1.

2 *Sap.*, IV, 3 sqq.

ipse ultionem armabit, universumque terrarum orbem contra insensatos pugnare iubebit.[1]

E c quid mente beic non reputamus quantopere hoc, quod in Deum geritur, bellum, omnium sane impiissimum, originem fontemque calamitatum, cum oeconomicarum tum bellicarum, haberi oporteat, quibus ubique terrarum tam acriter excruciantur homines?

Ad Catholicam Ecclesiam quod attinet, et multa eandem esse ad hunc usque diem perpessam novimus, et multa in posterum quoque passuram esse praevidemus; ipsius namque Conditor praeclarum non modo ei praenuntiant, ac veluti testamento legavit insectationum aerumnarumque tolerandarum principatum, ex Dei nempe, veritatis probitatisque hostibus; verum etiam ad perpetuum ac praeclarum proelium eam instruxit, quod contra infernas potestates errorisque tenebras sit suscipiendum.

At eidem uni spopondit Sponsae suae Christus Dominus se omnibus diebus cum ea esse mansurum, neque unquam adversus eam portas inferi esse praevalituras. Decies enim noviesque revoluta saecula a divina peracta Redemptione promissum id fieri testantur: osores insectatoresque Christi Ecclesiae quovis tempore non defuere; at cunctis circumquaque dilabentibus, ea tantummodo incolumis exstat, sospesque servatur, ac vel laetiore atque firmiore spe fulta in posterum tempus prospicit, etsi acerbioribus in praesens urgetur incommodis.

De eo in primis intellegi volumus, qua cauto ac latenti, qua pervicaci ac indigno, novatorum pervulgationis studio, qui per Italiam universam, Nostri Primatus dicionem, efirenate bacchantur, inque Romam ipsam irrepunt, episcopalis honoris Nostri Sedem atque Urbem. At licet magis heic, quam alibi, ea Christi Donimi verba *Non praevalebunt* vim potestatemque suam obtineant; gravior tamen heic Deo contumèlia, maius rei religiosae animisque infertur detrimentum. Quam ob causam cum Nos ac venerabiles in episcopatu fratres, tum clerus ac christifideles omnes, at ii praecipue qui Actioni Catholicae adsciscuntur, eo officio obstrin-

[1] *Sap.,* **V, 18, 21.**

gimur gravissimo, ut Deo illatas resarciamus iniurias, atque damnis de quibus diximus, exstructo veluti aggere obsistendo, medeamur. Eei denique prospicientes divinamque opem precando conciliantes, sollertem operam navemus nostram, ut ingruentia mala praevertamus, pretiosiorem Urbis Nationisque thesaurum tueamur, quem maiores nostri hereditatem tradiderunt, hoc est fides christianaeque vitae instituta. Memoratum asseclas sibi conciliandi studium aliis obest utilitatibus, aliis etiam officit privatis publicisque bonis, quorum onus ea dumtaxat ratione Nostri officii est suscipere, quatenus in spiritualem illam omnium paternitatem recidit, quam Deus Nobis concredidit.

Nuncium illud deinde significamus, quo Nos necopinantes haud moleste affici non potuimus, ob regiam infantulam acatholico ministro baptizandam oblatam, sacris canonibus[1] violatis, itemque legitimis apertisque pollicitationibus posthabitis, quae Nobis, re penitus cognita, datae fuerant, quasque, tempore prae ceteris sane gravissimo ac sollemni, cum scilicet regales inirentur nuptiae — unde non mediocres Nobis sunt molestiae exortae[2] — regales pariter manus exaraverant atque obsignaverant; eaque omnia, quamvis ne lex quidem, quam *Constitutionalem* vocant, nullam violationibus huiuscemodi causam praeberet. Quas quidem pollicitationes, cum Nosmet, Apostolico adacti munere, condicionem dedissemus, iidemque suscepissent, ut maximi momenti dispensationes permitterentur, haud firmissime confidere non poteramus, quin promissum ea fide exsolveretur, quae augustos viros addecet in primis. At contra est factum. Quapropter cum istiusmodi rei rumor, Bulgariae fines praetergressa, ad alios etiam populos pervenerit, omnibus in admirationem, quam plurimis vero in offensionem adductis, demandati profecto Nobis officii esse ducimus, ne Coetus huius sollemnissimi praetermittamus opportunitatem, quin causae, de qua dicimus, onus, tum coram Deo tum coram hominibus, removeamus a Nobis. Quoniam vero de politica illius Nationis publicorum virorum interposita

[1] Cod. i. c, can. 2319, § 3.

[2] Cfr. sermonem ad Sacrum Collegium et ad Prael. die 24 Dec. 1930 habitum.

auctoritate mentio est facta, quasi de Civitatis commodis ageretur, hoc aduciendo monemus, rem Nos, quae ad religionis conscientiam pertineat, cum regalibus dumtaxat ipsis viris deliberavisse.

Divinum igitur postulat Apostolici magisterii mandatum, ut, ob has magni ponderis causas, probos omnes invitemus, qui diligenter perpendant quantopere tranquillandis confirmandisque animis non modo, verum etiam paci publicaeque incolumitati servandae, inopportuna eiusmodi ac noxia agendi ratio, idcirco adversetur, quod sacrosancta, ab iis qui praesunt, officia violentur. Exploratum equidem habemus ex certissimis documentis in quosnam rei gestae periculum recidat; ac novimus item non modo canonicis poenis sanctionibusque in maerentem matrem non esse Nobis animadvertendum, sed neque eidem renuendam esse Apostolicam Patris Benedictionem. Ipsa enim ab eiusmodi negotio alienam se profitetur, quod omni ex parte, se posthabita, actum est, cuique nec aperte nec tacite assensit. Cum vero quid essent facturi comperisset, non satis ei virium facultatesque inerat, quibus repugnantem sententiam suam significaret.

Quodsi, ut accidit, reponunt — idque aliis suadere enituntur — se communi civium utilitati hac in re consuluisse, Nobis maerentibus divina ea verba in memoriam redigunt, quae quo magis e mente exciderunt, eo digniora sunt, quae a Civitatis praesertim moderatoribus intento studio reputentur: « Iustitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum ».[1]

Iamvero, quandoquidem Maximum hoc, quod nuper indiximus, Iubilaeum, Annique Sancti divinae Eedemptioni recolendae celebratio, eo spectat, idque, caelesti aspirante gratia, efficiet, ut homines, suorum veniam admissorum expiando consecuti, iustitiam impensius exquirant et in suos inducant christianae vitae mores; hac de causa, spe certa tenemur fore ut, — quo potissimum intendimus — piaculare hoc tempus christianos populos universamque hominum societatem ad supernarum rerum studium inprimis excitet animorumque renovationem: ac dein calamitatibus, quibus adhuc premimur, levamentum afferat, immo

[1] *Prov.,* **XIV, 34.**

etiam — quod utinam faxit Deus — finem imponat. Primus, de quo diximus, iubilaris anni fructus — ad superna scilicet animorum elatio atque provectus — vel ex divinae Redemptionis dumtaxat recordatione orietur, dummodo sit in omnium gratos animos revocata; quam quidem Redemptionem Deus ipsemet, homo factus, omniumque virtutum exemplar atque magister, sua morte suoque sanguine consummavit: alterum vero — aerumnarum nempe levamentum — recte facta precationesque, concorditer collata, a miserente Deo impetrabunt; idque, etiamsi necessaria tantummodo consilii lumina, itemque necessariam prorsus animorum concordiam coetibus illis concilient, quae per huius Anni Sancti decursum celebrabuntur, ut oeconomicae totius terrarum orbis rationes rectius componantur, ut ad efficientem militaris apparatus imminutionem animorumque pacationem deveniatur, ut denique aeri alieno, ob belli impensas coacto, prospiciatur. Hac de causa, quemadmodum cotidie Nos deprecaturi sumus, ita homines adhortamur universos, qui Nobiscum una comprecentur. Eo tamen primum spectat precatio Nostra, eo contendant, rogamus, filiorum supplicationes, ut nimirum divinae Redemptionis proposita ac Iesu Christi Servatoris nostri vota feliciter effecta dentur; quae quidem Nostram vestramque, venerabiles fratres, Episcoporum ceterique cleri, atque christianae plebis universae sanctitatem totis viribus assequendam postulant. Spem sustinent fidemque Nostram, ut ex sententia res cedant, plurima, eademque pia, saecularia sollemnia, quae vel superiore anno celebrata sunt, vel hoc eodem, non sine Providentis Dei nutu, celebrabuntur, quasi si festivo gaudio, sanctisque operibus atque inceptis, maximam hanc, quam auspicatur! sumus, Redemptionis f austitatem exornare percupiant. Ac magis magisque pretiosa ea venerabilium beatorumque Servorum Dei corona fidem Nostram adauget, quos, Anno Sancto vertente, aut maioribus aut maximis honoribus honestabimus.

Hi enim beatitatis sanctitudinisque viri ut perfecti sunt lectissimique divinae Reparationis fructus, ita, procul dubio, benigni erunt praesentesque patroni, qui suis precibus deprecationes nostras validiores efficient.

IV. — DEPUTATIO TRIUM CARDINALIUM AD PORTAS SANCTAS APERIENDAS

Mos est, ut nostis, Anno Sancto initium fieri ab aperiendis Basilicarum Patriarchalium Portis, sacro nempe sollemnique ritu, quo latius iis omnibus Ecclesiae thesauri patefacti declarantur, quotquot, paenitendi expiandique voluntate permoti, indicti Iubilaei Maximi beneficiis frui exoptant. Quapropter Kalendis Aprilibus, e decessorum Nostrorum instituto atque exemplo, Sanctam Basilicae Vaticanae Portam Nosmet ipsi, Deo favente, aperiemus. Ut autem id ipsum ad reliquas Patriarchales Basilicas eodem die eademque hora fieri possit, auctoritate Dei omnipotentis, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra Legatos Nostros deligimus ac renuntiamus venerabiles fratres Nostros Ianuarium S. E. E. Cardinalem di Belmonte, Episcopum Ostiensem et Albanensem, eumdemque Sacri Collegii Decanum, qui Portam Sanctam Basilicae Sancti Pauli nomine Nostro aperiat; item Franciscum S. E. E. Cardinalem Marchetti Selvaggiani, sacra vice Urbis Antistitem ac Basilicae Lateranensis Archipresbyterum, qui Sanctam eiusdem Basilicae Portam nomine Nostro aperiat; denique Bonaventuram S. E. E. Cardinalem Cerretti, Basilicae Liberianae Archipresbyterum, qui Portam Sanctam eiusdem Basilicae nomine nostro aperiat. In nomine Pa 83 tris, et Fi £g Iii, et Spiritus Sancti. Amen.

Legatis vero hisce Nostris facultatem facimus, iis omnibus, qui sacro ritui intererunt, auctoritate Nostra benedicendi, plena iisdem proposita commissorum venia, statis condicionibus lucranda.

V. ~ CONFIRMATIO PATRIARCHARUM ARMENI ET MARONITAE

Praeterea, ut auctoritatem interponamus Nostram gemina causa postulat, quae ad illustres duas Orientis Ecclesias pertinet, ad Ecclesiam scilicet Ciliciae Armenorum et ad Antiochenam Maronitarum.

Cum enim anno MDCCCCXXXI venerabilis frater Paulus Petrus Terzian, Ciliciae Armenorum Patriarcha, ob provectam aetatem,

se amplissimo hoc munere abdicavisset, eodem ritu Episcopi, legitimam Synodum celebrantes, in eius locum venerabilem fratrem subiecerunt Avedim Arpiarían, Archiepiscopum titulo Anazarbensem Armenorum, cui nomen est inditum Avedis Petrus. Subinde cum Episcopi, qui ad suffragia ferenda coiverant, tum Patriarcha renuntiatus, litteras ad Nos dederunt officii plenas et catholicam religionem redolentes, quibus, re exposita, petebant ut peractam electionem ratam confirmatamque haberemus. Totius cognitionem negotii permisimus, ut moris est, venerabilibus fratribus Nostris S. E. E. Cardinalibus e sacro Consilio Orientali Ecclesiae praeposito; qui, deliberatione habita, Episcoporum illorum precibus annuendum censuerunt. De lectissimo enim Praesule agitur, qui, apostolico studio flagrans, ita in concreditis sibi ante acta aetate gravissimis muneribus obeundis se gessit, ut bonorum omnium aestimationem Nostramque benevolentiam non uno nomine sibi conciliaverit. Quapropter futurum confidimus — quod ex animo ominamur — *ut* Armenorum Ecclesia, eo rectore ac moderatore, feliciora cotidie incrementa capiat. Eius igitur electionem seu postulationem in Patriarcham Ciliciae Armenorum probandam ratamque habendam statuimus, eumdemque sacro Pallio de corpore beati Petri sumpto ornandum indicavimus.

Itaque auctoritate Dei omnipotentis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, electionem seu postulationem ab Episcopis Armenis factam de persona venerabilis fratris Avedis Petii Arpiarían confirmatam ratamque habemus; eumque ab archiepiscopatu titulo Anazarbènsi ad patriarchalem Ciliciae Ecclesiam Armenorum evehimus et promovemus, atque Patriarcham ac Pastorem eiusdem Ecclesiae, ut in decreto et schedulis consistorialibus significabitur, constituimus et declaramus, contrariis quibuslibet non obstantibus. In nomine Patris £g et Eilii **£8** et Spiritus**£8** Sancti. Amen.

Ad Antiochenam autem Maronitarum Ecclesiam quod attinet, nostis profecto venerabilem fratrem Eham Petrum Huayek, huius Ecclesiae Patriarcham, anno MDCCCCXXXI in pace Christi

quievisse; quem quidem, pastorali studio ceterisque virtutibus praestantem, ut sui omnes ita Nosmet ipsi comparavimus. Paucis post obitum diebus, Maronitarum Episcoporum coacta Synodus, consentientibus omnium suffragiis, Patriarcham dixit venerabilem fratrem Antonium Arida Archiepiscopum Tripohtanum Maronitarum, qui sibi Antonio Petro nomen imposuit. Mox Episcopi, legitima hac Synodo celebrata, oficiosas ad Nos dederunt litteras, quibus rogabant ut actam electionem auctoritate Nostra confirmaremus. Id ipsum per epistulam, facta etiam catholicae fidei professione, Patriarcha novensilis demisse petiit.

Hanc quoque causam detulimus, ut decuit, venerabilibus fratribus Nostris Cardinalibus e sacro Consilio Orientalis Ecclesiae negotiis moderandis; qui, re diligenter deliberata, postulationi huic concedendum autumarunt. Iamvero ad hanc sententiam amplectendam probandamque animum Nobis inclinant cognitae delecti Patriarchae virtutes, amplissimo huic pastorali muneri consentaneae. Quae quidem virtutum laudes tum praesertim enituere, cum is per diuturnum annorum spatium Tripolitanam archidioecesim regeret; quapropter dubitari non potest quin universa Maronitarum Ecclesia, in praesens sollerti gubernationi suae concredita, magis in dies magisque floreat: quod Nos a divino Pastorum Principe instanter adprecamur. Eum igitur in Patriarcham Antiochenum Maronitarum confirmare, eumdemque sacro Pallio, de beati Petri sepulchro sumpto, decorare decernimus.

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, electionem seu postulationem confirmamus ratamque habemus a venerabilibus fratribus Episcopis Maronitis factam de persona venerabilis fratris Antonii Arida, eumque, a vinculo absolutum, quo archidioecesi Tripolitanae Maronitarum adstrictus ad hunc diem tenebatur, Patriarcham Ecclesiae Antiochenae Maronitarum declaramus ac renuntiamus, prout in decreto et schedulis consistorialibus significabitur; contrariis quibuslibet non obstantibus. In Nomine Patris £g et Filii £g et Spiritus **£8** Sancti. Amen.

VI. - CREATIO ET PUBLICATIO PATRUM CARDINALIUM

Denique ad vos, venerabiles fratres, cura cogitationeque conversa, ut aliqua saltem ex parte amplissimum Ordinem vestrum suppleamus, qui, recentiore hoc temporis intervallo, non paucas fecit illustrium hominum iaeturas, consilium cepimus sex lectissimo s viros ad Romanae Purpurae dignitatem provehendi, quos vel perhonorificae apud exteras gentes legationes obitae, vel diligens episcopalis perfunctio muneris valde Nobis commendant, dignosque faciunt, qui in Ecclesiae^ Senatum|adsciscantur.

Hifsunt:

ANGELUS MAMA DOLCI, Archiepiscopus tit. Püerapolitanus in Syria, Noster jin Romania Nuntius Apostolicus;

PETRUS FÜMASONI-BIONDI, Archiepiscopus tit. Docleaensis,. Noster in Foederatis Americae Civitatibus Delegatus Apostolicus!

MATJRILÏUS FOSSATI, Archiepiscopus Taurinensis;

BOBERICUS VILLENEUVE, Archiepiscopus; Quebecensis;

ELIAS DALLA COSTA, Archiepiscopus Florentinus;

THEODORUS INNITZER, Archiepiscopus Vindobonensis.

Praeter hos, qui nominati sunt, adlegere in Collegium vestrum decrevimus praestantes alios viros duos; quos tamen in pectore reservamus.

Quid vobis videtur?

Itaque, auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, creamus et publicamus Sanctae Romanae* Ecclesiae Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum

ANGELUM MARIAM DOLCI,

PETRUM FUMASONI-BIONDI,

MAURILIUM FOSSATI,

RODERICUM VILLENEUVE,

ELIAM DALLA COSTA,

THEODORTJM INNLTZER.

Item duos alios, ut supra diximus, Cardinales creamus et in pectore reservamus, quandocumque arbitrio Nostro renuntiandos.

Cum omnibus dispensationibus, derogationibus ac clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris £ß et Filii £g et Spiritus £g Sancti. Amen.

Iam nihil aliud reliquum est, nisi ut viduatis Ecclesiis consulamus.

VU. - PROVISIO ECCLESIARUM

Ex aula Consistoriali egresso Bevmo Cardinali Baggiani, Ssmus ad officium *Cancellarii* Sanctae Bomanae Ecclesiae, cui perpetuo exstat unita Ecclesia Sancti Laurentii in Damaso, assumpsit eumdem Bevmum Thomam Pium Episcopum Portuensem et Sanctae Eufinae S. E. E. Cardinalem Boggiani, qui deinde rediit in aulam Consistorialem.

Tum Eevmus Cardinalis Sincero, retenta in Commendam, ad nutum Sanctitatis Suae, diaconia Sancti Georgii in Velabro, optavit ecclesiam suburbicariam Praenestinam; quo facto exivit ex aula. Ssmus, panditam optionem benigno favore prosecutus, providit *Ecclesiae Praenestinae* de Bevmo Aloisio S. E. E. Presbytero Cardinali Sincero; qui iterum ingressus in aulam Consistorialem suum locum petiit penultimum inter Cardinales ordinis episcopalis.

Similiter Eevmus Cardinalis Cerretti, retento in Commendam, ad nutum Sanctitatis Suae, titulo Sanctae Caeciliae, optavit Ecclesiam suburbicariam *Veliternam,* quam eodem ritu Beatissimus Pater providit de Revmo Bonaventura S. B. E. Presbytero Cardinali Cerretti.

Eo iterum aulam ingresso et sedente ultimo inter Cardinales ordinis episcopalis, Eevmus Cardinalis Mori, Diaconus sancti Nicolai in Carcere Tulliano, optavit ad Ordinem presbyteralem: quam optionem Sanctissimus benigno favore prosequens, elevavit pro hac vice diaconiam sancti Mcolai in Carcere Tulliano in titulum presbyteralem.

Deinde Ssmus sequentium Ecclesiarum propositionem peragere dignatus est, nimirum:

Archiepiscopali titulari Ecclesiae Antiochenae in Pisidia praefecit B. D. Philippum Bernardini, Antistitem Urbanum, quem deputavit Delegatum Apostolicum in Australasia.

Cathedrali JScelesiae de Tulancingo, B. P. D. Aloisium Altamirano Buhies, hactenus Episcopum Huajuapamensem.

Cathedralibus invicem perpetuo unitis Ecclesiis Aeserniensi et Venar franae, R. D. Petrum Tesami, Urbanum Antistitem ac praepositum-parochum loci *Correggio* in dioecesi Regiensi Aemiliae.

Cathedralibus invicem perpetuo initis Ecclesiis Pistoriensi et Pratensi, R. D. Iosephum Debernardi, praepositum-parochum loci *Volpiano* in archidioecesi Taurinensi.

Cathedrali Ecclesiae Acerrarum, R. D. Nicolaum Capasso, Seminarii Aversani Rectorem.

Cathedrali Ecclesiae Albae Pompeiensis, R. D. Aloisium Grassi, sodalem Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Apostoli.

Titulari episcopali Ecclesiae Tianeae, R. D. Aloisium Martinelli, Protonotarium Apostolicum *ad instar,* quem constituit Auxiliarem Reverendissimi Thomae Pii, Episcopi Portuensis et Sanctae Rufinae, S. R. E. Cardinalis Boggiani.

Insuper enunciavit se -per Apostolicas ..sub' piombo; Litter^8;.^ccl©|iae--- suburbicariae *Ostiensi* iam praefecisse Reverendissimum Cardinalem Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Albanensem, Decanum S. Collegii, qui proinde eamdem dioecesim Albanensem Ostiensi cumulavit.

Itemque alios per Apostolicas sub plumbo Litteras iam renunciatos sacrorum Antistites publicavit, videlicet:

ARCHIEPISCOPOS:

Vratislaviensem, Adulphum S. R. E. Card. Bertram, per elevationem sedis ad metropolitanam.

Catanensem, Carmelum Patanè, iam Archiepiscopum Hydruntinum.

Cyrrhensem, Ferdinandum Eiandaca, iam Episcopum Pactensem.

Bhusiensem, Ioannem Mondami, iam Episcopum Synaitanum.

Paderbornensem, Gasparem Klein, per elevationem sedis ad metropolitanam.

Milwauhiensem, Samuelem Striteli, iam Episcopum Toletanum in America.

Nicopsitanum, Ioannem Poggenburg, Episcopum Monasteriensem, nuper vita functum.

Hydruntinum, Cornelium Sebastianum Cuce arollo, iam Episcopum Bollensen).

Synnadensem, Iosephum Belisarium Santistevan, Episcopum Sanctae Crucis de Sierra, nuper vita functum.

Seleuciensem in Isauria, Iulianum Gulielmum Conan, iam Archiepiscopum Portus Principis.

ßüyensem, Antonium Iulianum ÎTowowiejski, Episcopum Plocensem.

Taurinensem, Maurilium Possati, iam Archiepiscopum Turritanum.

Brysiensem, Carolum Mariam Alaphridum de Cormont, iam Episcopum Aturensem.

Rhemensem, Emmanuelem Caelestinum Suhard, iam Episcopum Baioeensem et Lexoviensem.

Darensem. Aloisium Fantozzi, iam Episcopum Verulanum, nuper vita functum.

Tutritanum, Archangelum Mazzotti.

Theatinum, cum administratione perpetua dioecesis Vastensis, Iosephum Venturi, iam Episcopum Calliensem et Pergulanum,

Aquilanum, Gaudentium Mannelli., iam Episcopum Anagninum.

Methymnaeum, Aemilium Lisson, iam Archiepiscopum Limanum.

Salaminensem, Leonem Petrum Kierkels, Delegatum Apostolicum in Indiis Orientalibus.

Thess alonicensem, Iosephum Bossino, Visitatorem Ordinarium Seminariorum Italiae.

Anasarthensem, Ioannem Irenaeum loffily, iam Archiepiscopum Belemensem de Para.

A neonitanum, cum adnexo titulo Ecclesiae Numanensis, Marium Giardini, iam Archiepiscopum Edessenum.

Mitylenensem, Ernestum. Sena de Oliveira, Auxiliarem Emi P. D. Emmanuelis S. B. E. Card. Gonçalves Cerejeira, Patriarchae Lisbonensis.

Rossanensem, Dominicum Marsiglia.

Tyriensem, Aegidium Lari, Delegatum Apostolicum in Persia.

Sipontinum, cum administratione perpetua dioecesis VeM-anae, Andream Cesarano.

Belemensem de Para, Antonium Lustosa, iam Episcopum Corumbensem.

Rhedonensem, Renatum Miguen, iam Episcopum Montis Pessulani.

Amasenum, Franciscum JCordaë, iam Archiepiscopum Pragensem.

Aniinoitanum, Aloisium Benziger, iam Episcopum Quilonensem.

Sanati Iacobi de Chile, Horatium Campillo.

Aquensem, Emmanuelem Coste, iam Episcopum Careassonensem.

Turonensem, Ludovicum Gaillard, iam Episcopum Meldensem.

Synnadensem, Iacobum Ghio, iam Archiepiscopum Urbinatensem.

Pragensem, Carolum KaSpar, iam Episcopum Reginae Gradecensis.

Aeginensem, Franciscum Sedej, iam Archiepiscopum Goritiensem et Gradiscanum, nuper vita functum.

Sancti Pauli de Minnesota, Ioannem Gregorium Murray, iam Episcopum Portlandensem.

Quebecensem, Rodericum Villeneuve, iam Episcopum Gravelburgensem.

Florentinum, Eliam Dalla Costa, iam, Episcopum Patavinam.

Edessenum, Aloisium Centoz, Nuntium Apostolicum in Bolivia.

Aeginensem, Ioannem Mitty, iam Episcopum Lacus Salsi, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Eduardi Hanna, Archiepiscopi Sancti Erancisci in California.

Pisanum, Gabrielem Vettori, iam Episcopum Pistoriensem et Pratensem.

Beroeensem, Moysem Coelho, iam Episcopum Cajazeirasensem, Coadiutorem cum iure futurae ^successionis R. P. D. Adaucti Aurelii de Miranda Henriques, Archiepiscopi Parahybensis.

Phasianum, Ivanium Pamkervirtis, Ordinarium fidelium Syromalankarensium, ritus Antiocheni, regionis Malabaricae, quae ad meridiem fluminis Pampae vergit.

Antiochenum in Pisidia, Gustav am Matteoni, iam Episcopum Grossetanum et Soanensem-Pitilianensem, Coadiutorem cum iure successionis, qui iam successit, bo. me. Prosperi Scaccia, Archiepiscopi Senensis.

Leucademem^ebrwxi Chatems, iam Episcopum Mvernensem.

Urbinatensem, Antonium Tani.

Friburgensem, Conradum Gröber, iam Episcopum Misnensem.

Trivandrensem ritus Antiocheni, nuper erecta archidioecesi, Ivanium Pamkervirtis, iam Archiepiscopum Phasianum.

Bhyzaeanum, Tiberium Salazar, iam Episcopum Manizalensem, Coadiutorem cum iure futurae successionis, R. P. D. Emmanuelis Iosephi Cayzedo y Cuero, Archiepiscopi Medellensis.

Oxyrynchitanum, Antonium Benedictum Martins Junior, iam Episcopum Brigantiensem, Coadiutorem cum iure successionis, qui iam successit, *ho.* m. Emmanuelis Yieira de Mattos, Archiepiscopi Bracarensis.

Senonensem, Mauritium Feltin, iam Episcopum Trecensem.

Vindobonensem, Theodorum Innitzer.

Macrensem in Biwdope, Iosephum Bottaro, iam Archiepiscopum Bonaerensem.

Bonaërensem, Iacobum Aloisium Copello, iam Episcopum Aulonitanum.

Goyasensem, Emmanuelem Gomes de Oliveira, per elevationem sedis ad metropolitanam.

Gdbulensem, Iosephum Attipetty, Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Angeli Mariae Perez y Cecilia, Archiepiscopi Verapolitani.

Soteropolitanum, Oliveirum Mariam de Buri ort de Civrac de Lorge, iam Episcopum Pictaviensem.

Oxyrynchitanum, Leonem Walçga, iam Episcopum Tlöensem.

Garpathiensem, Stanislaum Gaii, iam Episcopum Halicarnassensem.

Panamensem, Ioannem] MaizteguijBesoitaiturria, iam Episcopum Tanaitanum.

EPISCOPOS:

de Iquique, noviter erecta dioecesi, Carolum Labbè Marquez, iam Episcopum Bidensem.

TMbaritanum, Chidanè Mariam Cassa, Ordinarium pro catholicis indigenis ritus aethiopici in Erythraea.

JEcclesiensem, Ioannem Pirastru.

Lampsacenum, Franciscum Liou-King-Wen, Vicarium Apostolicum de Fenyang.

Circesiensem, Ioannem Cuvelier, primum Vicarium Apostolicum de Matadi.

Charystiensem, Ignatium Canazei, Vicarium Apostolicum de Shiunchow.

Troadensem, Bernardum Dembek, Auxiliarem R. P. D. Stanislai Kostka liukomski, Episcopi Lomzensis.

Anglonensem-Tursiensem, Dominicum Petroni.

Aliphanum, Aloisium Noviello.

Melpliiensem et Rapollensem, Aloisium BellAversana.

Great-Ormensem, Edvinum O'Hara.

Trebennatensem et Praelatum « nullius » de Bono Iesu de Piauhy, innocentium Lopez Santamaria.

JEbroicensem, Alfonsum Gaudron.

* *Sancti Deodati,* Augustinum Marmotin.

Riopretensem, Libanium Lafayette.

Berolinensem, noviter erecta dioecesi, Christianum Schreiber, iam Episcopum Misnensem.

Sandomiriensem, Vlodimirum Bronislaum lasinski.

Sancti Galli, Aloisium Seheiwiler.

Varmiensem, Maximilianus Kaller.

Pastopolitanum, Hippolytum Agudelo.

Katovicensem, Stanislaum Adamski.

Alairinum, Marium Toccabelli.

Augustinum Vindelicorum, Iosephum Kumpfmüller.

Civitatis Castellana», Hortanum et Gallesinum, Sanctinum Margaría.

Timisoarensem, noviter erecta dioecesi, AugustinunrPacha, iam Episcopum Lebediensem.

Sätmariensem et Magno-Varadinensem Latinorum, Stephanum Fiedler.

Maramuresensem, ritus graeci-rumeni, noviter erecta dioecesi, Alexandrum Rusu.

Vallitanum, Franciscum Xaverium Bini, Vicarium Apostolicum de Kartum.

Nuorensem, Iosephum Cogoni.

Ciiharizenum, Augustinum Boy, iam Episcopum Coimbaturensem.

Bolivaremem, Albertum Ordoñez, iam Episcopum Ibarrensem.

Synaitanum. Ioannem Van Cauwenbergh, Auxiliarem Emi P. D. Iosephi Ernesti S. E. E. Cardinalis Van Roey, Archiepiscopi Mechliniensis.

Nanceiensem, Stephanum Iosephum Hurault, iam fEpiscopum Vivariensem.

Atrebatensem, Henricum Dutoit.

Bosanensem in Arabia, Ioannem Henricum Tihen, iam Episcopum Denyeriensem.

Gartennitanum, Bertholdum Bühl, Vicarium Apostolicum de Chiquitos.

Misnensem, Conradum Gröber.

Venusinum, Aloisium Bell'Aversana, Episcopum Melphiensem et Eapollensem, propter unionem dioeceseos in personam cum dioecesibus Melphiensi et Eapollensi.

Groensem, Chrysanthum Luque, iam Auxiliarem bo. me. Eduardi Maldonato Calvo, Episcopi Tunquensis.

Lebediensem, Nicolaum Czarneckij.

Thasiensem, Franciscum **'Wall,** Auxiliarem P. P. D. Eduardi Iosephi Byrne, Archiepiscopi Dublinensis.

Guernavacensem, Franciscum Gonzalez, iam Episcopum Campecorensem.

Ilheosensem, Eduardum Iosephum ^Herberhold, iam Episcopum Hermopolitanum**.1**

Aquisgr(mensem, nuper restituta dioecesi, Iosephum Vogt.

Saneti Ludovici Potosiensis, Gulielmum Tritsehler.

Buspensem, Aldeum Desmarais, Auxiliarem E. P. D."Fabiani Zoelli Decelles, Episcopi Sancti Hyacinthi.

Garolinapolitanum, Iosephum O'Suliivan.

Agathopolitanum, Iosephum Mariétan, iam Episcopum Bethleemitanum et Abbatem « nullius » Sancti Mauritii Agaunensis.

Gurzensem, Emmanuelem Ferrreira da Silva, Auxiliarem B. P. D. Theotonii Vieira de Castro, Archiepiscopi Goani et Patriarchae Indiarum Orientalium.

ßiniandensem, Franciscum Xaverium Lauzirica Torralba, Auxiliarem R. P. D. Prudentii Melo y Alcalde, Archiepiscopi] Valentini.

KumbaTconamensem, Petrum Eayappa.

Colophoniensem, Mathiam Ioannem Sola y Farrell, Vicarium Apostolicum de Bluefields.

Ubazensem, Astonem Chichester, primum Vicarium Apostolicum de Salisbury.

Drusilianensem, Iosephum Klemann, primum Vicarium Apostolicum Magni Namaqualand.

Fidentmum; Marium Vianello.

Verulanum, Franciscum De Filippis.

de Vijayapuram, noviter erecta dioecesi, Bonaventuram Ioannem Vincentium Arana Goigoras.

Cratiensem, Iosephum Chow, Vicarium Apostolicum de Pao-ting-fu.

Egugensem, Bonifacium Yeung, Auxiliarem E. P. D. Antonii Petri Ioannis Fourquet, Vicarii Apostolici de Canton.

Leucenum et Praelatum « nullius » Saneti Iosephi de Alto Toeantins, Florentinum Simonem Garriga.

Hierissensem, Theodorum Eugenin, Administratorem Apostolicum territorii de Valdivia, in dioecesi Sancti Caroli de Ancud.

Andriensem, Ferdinandum Bernardi.

¡Sarsinatensem, Theodorum Pallaroni.

Denveriensem, Urbanum Ioannem Vehr.

Toletanum in America, Carolum Alter.

Renensem, noviter erecta dioecesi, Thomam Gorman.

Nevensem, Patritium Iosephum Farrelly, Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Ioannis Carroll, Episcopi Lismorensis.

Leopolitanum, Aemilium Cecco, Vicarium Apostolicum de Napo.

de Conceptione et de Chaco, noviter erecta dioecesi, Aemilium Sosa Gaona.

Anagninum, Attilium Adinolfì, iam .Episcopum Triventinum.

Mangalorensem, Victorem Rosarium Fernandes.

Thevestinum, Aristidem Araujo Porto, Coadiutorem eum iure futurae successionis R. P. D. Ioannis Antonii Pimenta, Episcopi Montisclarensis.

Brietinoriensem, Franciscum Gardini.

Vatarbensem, Ioannem da Silva Campos Neves, Auxiliarem Emi R. P. Emmanuelis S. R. E. Cardinalis Goncalves Cerejeira, Patriarchae Lisbonensi.

Silandensem, Iacobum Albertum Duffy, iam Episcopum Insulae Grandis,

Coehabambensem, Thomam Aspe.

Wilcanniensem, Thomam Martinum Fox.

Aimerensem, Pium Maturinum Le Ruyet.

de PukuoTca, Albertum Breton.

Tacapitanum, Ioannem Baptistam Gorordo, iam Episcopum Nominis Iesu seu Caebuanum.

Cattiensem et Pergulanum, Philippum Mantini, iam Episcopum Bosanensem.

Ucculensem, Alfonsum Verwimp, primum Vicarium Apostolicum de Kisantu.

Thmuisanum, Petrum Fallaize, Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Gabrielis Breynat, Vicarii Apostolici de Mackenzie.

Sebastopolitanum, Iacobum Eoche, iam Episcopum Bossensem, Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Eoberti Browne, Episcopi Cloynensis.

Mutilensem, Maximilianum Massimiïiani.

Nazianzenum, Augustinum Mancinelli, Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Antonii Mariae Iannotta, Episcopi Aquinatensis, Sorani et Pontiscurvi.

Londonense. Ioannem Thomam Kidd, iam Episcopum Calgariensem.

Pharsalium, Eomulum Genuardi, Auxiliarem Emi P. D. Aloisii S. E. E. Cardinalis Lavitrano, Archiepiscopi Panormitani.

Mediensem,. Franciscum Barda, Auxiliarem E. P. D. Anatolii Nowak, Episcopi Premisliensis Latinorum.

Uzitensem, Candidum Dominicum Moro, Vicarium Apostolicum de Cyrenaica.

Hermop olii ann m, Fulgentia m Franciscum Lazzati, Vicarium Apostolicum de Mogadiscio, nuper vita functum.

Traianopolitanum in Phrygia, Augustinum Laera, iam Episcopum Castellanetensem.

Jabotlcaballensem, noviter erecta dioecesi, Antonium Augustum de Assis, iam Archiepiscopum Berytensem, servato titulo Archiepiscopi ad personam.

Sanctae Mariae, Antonium Eeis.

Gratensem, Franciscum de Assis Pires.

Asculanum in Apulia et Ceriniolensem, Victorinm Consigliere.

Castellanetensem, Franciscum Potenza.

Baiocensem et Lexoviensem. Franciscum Picaud, iam fEpiscopum Erythraeum.

Aturensem, Clementem Mathieu.

Forosemproniensem, Amadaeum Polidori.

Pactensem, Antonium Mantiero.

Conversanensem, Dominicum Argnani.

Bosanensem, Nicolaum Frazioli.

Triventinum, Ioannem Giorgis.

Vivariensem, Petrum Burieux.

de Villarica, noviter erecta dioecesi, Augustinum Rodríguez.

Brunensem, Iosephum Kupka, iam Episcopum Adräenum.

Reginae Gradecensis, Mauritium Picha.

Litomericensem, Antonium Weber.

Geramensem, Antonium Valentem de Fonseca, Auxiliarem R.. P. D. Ioannis Evangelistae de Lima Vidal, Archiepiscopi-Episcopi Villaeregalensis.

Elewthernemem, Innocentium Verriet, Vicarium Apostolicum Curacaënsem.

Gampecorensem, Aloisium Guizar.

Adräenum, Leonem Desmedt, Vicarium Apostolicum de Ningsia.

Petinessensem, Gasparem Schotte, Vicarium Apostolicum de Mngsia.

Hadrumetinum, Carolum Be, Vicarium Apostolicum de Nyeri.

Mosynopolitamim, Renatum Graffin, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P.D. Francisci Xaverii Vogt, Vicarii Apostolici de Yaounde.

Gastoriensem, Benvenutum Ioachimum Alcaide y Bueso, Vicarium Apostolicum Goajirensem.

Ftolemaidensem in Phoenicia, Arsenium Turquetil, Vicarium. Apostolicum de Hudson.

Aversanum, Carmelum Cesarano, iam Archiepiscopum-Episcopum Campaniensem, servato titulo Archiepiscopi ad personam.

Nyssenum, Hadrianum Bernareggi, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Aloisii Mariae Marelli, Episcopi Bergomensis.

Gli]ioniensem, Gulielmum Lee.

Ibarrensem, Alexandrum Pasquel.

Insulae Grandis, Stanislaum Bona.

Miletopolitanum, Ambrosium Iacobum Moriarty, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Hugonis Singleton, Episcopi Salopiensis.

Tiniensem, Leopoldum Buteler, Auxiliarem R. P, *D.* Firmini Lafitte, Episcopi Cordubensis in America.

Antipyrgensem, Ioannem Tchang, primum Vicarium Apostolicum de Ohaoshien.

Sanctoriensem, Timotheum Georgium Raymuhdos.

Coimbaturensem, Ludovicum Iosephum Tournier.

Rockhamptonensem, Romualdum Hayes.

Mallotanum, Georgium Weld, Yicarium Apostolicum Guyanae Anglicae.

Agrigentinum, Ioannem Baptistam Peruzzo, iam Episcopum Oppidensem.

Calyndensem, Franciscum de Pietro, iam Episcopum Acerrarum.

Aspendiensem, Alfonsum Mariam Ferroni, Vicarium Apostolicum de Laohokow.

Terracinensem, Setinum et Privernensem, Pium Leonardum IsTavarra, iam Episcopum Eugubinum.

Matagalpensem, Alexandrum Gonzales.

Patavinum, Carolum Agostini.

Cardicensem, Gulielmum Lemmens, Coadiutorem cum iure successionis, quiiam successit, bo. m'e.Làurentfî Sctöijneii, Episcopi Buremondensis.

Erythraeum, Gulielmum Stockums, Auxiliarem Emi P. D. Caroli Iosephi S. E. E. Cardinalis Schulte, Archiepiscopi Coloniensis.!

Aradensem, Theophilum Kalapurakal, Ordinarium fidelium Syromalankarensium, ritus Antiocheni, Malabaricae regionis quae in fluminis Pampae plagam septentrionalem spectat.

Sancti Severini cum Administratione perpetua dioecesis Treiensis, Petrum Tagliapietra.

CoHonensem, Iosephum Franciolini.

Tarquiniensem et Centumcellarum, Aloisium Drago.

Milevitanum, Ioannem de Hemptinne, primum|Vicarium Apostolicum de Katanga.

Uzipparitanum, Ioannem Heiïernan, Vicarium Apostolicum Zanzibariensem.

I *Phocaeensem,* Aloisium Scortegagna, Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Benedicti Pauli Alves de Souza, Episcopi Spiritus Sancti.

Eugubinum, Beniaminum Ubaldi.

PapMenSem, Laurentium Mathiam Vincenz, Coadiutorem cum iure successionis, qui iam successit, bo. me. Georgii Schmid de Grüneck, Episcopi Curiensis.

Oppidensem, Nicolaum Colangelo.

Angolensem et Gongensem, Moysem Alves de Pinho.

Pomariensem, Paulum Andren, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Caroli de Gorostarzu, Vicarii Apostolici de Yunnanfu. Ille tamen ante susceptam consecrationem munere se abdicavit, quam renunciationem Beatissimus Pater admisit.

Furnitanum, Iulianum Mariam E ouailles, Vicarium Apostolicum Insularum Tahiti.

Munkaesiensem, ritus graeco-rutheni, Alexandrum Stoyka.

Tloensem, Leonem Walçga, iam Episcopum Tarnoviensem.

Par mensem, Evasium Colli, iam Episcopum Jaciensem.

Collensem, Franciscum Niccoli.

Manehesteriensem, Ioannem Baptistam Petersen, iam Episcopum Hippenum.

Nottinghamensem, Ioannem Franciscum MacNulty.

Portlandensem, Iosephum McCarthy.

Bidensem, Iacobum McFadden, Auxiliarem B. P. B. Iosephi Schremhs, Episcopi Clevelandensis.

Astemem, Humbertom Bossi, iam Episcopum Segusiensem.

Montis Pessulani, Gabrielem Brunhes.

Gardieensem, Aloisium Lapierre, primum Vicarium Apostolicum de Szeping-kai.

Galgariensem, Petrum Iosephum Monahan.

Lamenum, Eduardum Myers, Auxiliarem Emi P. D. Francisci S. B. E. Cardinalis Bourne, Archiepiscopi Westmonasteriensis.

Tiruvallensem, ritus Antiocheni, nuper erecta dioecesi, Theophilum Kalapurakal, iam Episcopum Aradensem.

Gratianopolitanum, Dionysium Varroukas, Ordinarium pro fidelibus ritus byzantini intra fines ditionis Turcicae Euroneae.

Cotennensem, Eugenium Artaraz Emaldi, Vicarium Apostolicum de Bac-Ninh.

Zaparenum, Pacificum lulium Vanni, Vicarium Apostolicum de Sianfu.

Turuzitanum, Maturinum Mariam Le Mailloux, primum Vicarium Apostolicum de Donala.

Germanicopolitanum, Franciscum Joosten, primum Vicarium Apostolicum de Tatungfu.

Segusiemem, Humbertum Ugliengo.

Sancti Marci et Bisinianensem, Demetrium Moscato.

Soanensem-Pitilianensem, Stanislaum Hamilcarem Battistelli.

Lystrensem et Praelatum « nullius » Altamurensem et Aquavivensem, Dominicum Dell'Aquila.

Seniensem, cum administratione perpetua dioecesis Modrussensis, Ioannem Starëevic.

Locus Salsi, Iacobum Kearne/y.

Relenopolitanum in Bithynia, Ioannem Baptistam Ressia, iam Episcopum Montis Begaus in Pedemonte.

Arcensem, lordanum Corsini, iam Episcopum Guastallensem.

Pinskensem, Casimirum Bukraba.

Seljensem, Iacobum Mangers, Vicarium Apostolicum de Oslo.

Oornensem, Mathiam Leonardum Trudonem Brans, primum Vicarium Apostolicum de Padang.

Augustanum, Franciscum Imberti.

Nominis Iesu seu Gaebuanum, Gabrielem Beyes.

Silensem, Franciscum Spellman, Auxiliarem Emi P. D. Gulielmi S. R. E. Cardinalis O'Conneli, Archiepiscopi Bostoniensi.

Algizensem, Carolum Carmelum de Vasconcellos, Auxiliarem E. P. D. loachimi Silverii de Souza, Archiepiscopi Adamantini.

Jaciensem, Salvatorem Eusso.

Valentinensem, Camillum Pie, iam Episcopum Vapicensem.

Meldensem, Fridericum Lamy.

Vapicensem, Augustum Bonnabel.

Nivernensem, Patritium FJynn.

Petrocoricensem, Georgium Louis.

Carcassonensem, Ioannem Pays.

Verbianum, Aemilium Barthès, Auxiliarem B. P. D.fPetri Caelestini Cézérac, Archiepiscopi Albiensis.

Betheleemitanum et Abbatem « nullius » Sancti Mauritii Agaunensis, Bernardum Burquier.

Tunguensem,, Chrysanthum Luque, iam Episcopum Croensem.

Eistettensem, Conradum von Preysing.

Misnensem, Petrum Legge.

Drepanensem, Ferdinandum Bieca.

Marcianensem, Vincentium Castellanos y Nuñez, iam Episcopum de Tulancingo.

Guastallensem, Iacobum Zañrani.

Grossetanum, Paulum Galeazzi.

Oampaniensem, Petrum Capizzi.

Petrolinensem, Idilium Soares.

Croensem, Ioannem Bernardum MacGinley, iam Episcopum Montereyensem-Fresnensem.

Mantis Regalis in Pedemonte, Sebastianum Briacca.

Brigantiensem, Aloisium Antonium de Almeida.

Sanctae Fidei in America, Nicolaum Fasolino.

Catamarcensem, Vincentium Peira.

Casiotanum, Augustinum Baumànn, Auxiliarem B. P. D. Gasparis Klein, Archiepiscopi Paderbornensis.

Dionysiensem, Antonium Lippolis iam Episcopum TTxentinum.

Foroliviensem, Iosephum Bolla.

Gravelburgensem, Arthurum Melanson.

Dausarenum, Franciscum Gomez de Santiago, Coadiutorem cum iure futurae successionis B. P. D. (qui iam successit, bo. me.) Alexandri Garcia Fontcuberta, Vicarii Apostolici de Haiphong.

Vasadenscm, Iosephum Byrne, Vicarium Nostrum Kilinia-Njaro.

Coronensem, Eduardum van Goethem, primum Vicarium Apostolicum de Coquilhatville.

Pomariensem, Hubertum Paulissen, Vicarium Apostolicum de Kumasi.

Alexandrinum in Luisiana, Danielem Desmond.

Thaumacensem, Aemilium Bar ilion, iam Episcopum Malacensem.

Paphiensem, Iosephum Fan, Vicarium Apostolicum de Tsining.

Aradensem, Petrum Mariam Gourtay, Vicarium Apostolicum Guyana© gallicae.

Gadarensem, Martialem Petrum Mariam Jannin, primum Vicarium Apostolicum de Kontum.

Sozopolitanum, Ioannem Baptistam Tong, Coadiutorem cum iure futurae successionis B. P. D. Ioannis Petri Alexandri Marcou, Vicarii Apostolici de Phat Diem.

Aulonitanum, Ioannem Lazzart, Coadiutorem cum iure futurae successionis B. P. D. Francisci Lazari Seguin, Vicarii Apostolici de Kweiyang.

Salonensem, Franciscum Zapletal, Auxiliarem B. P. D. Caroli KaSpar, Archiepiscopi Pragensis.

Tarnoviensem, Franciscum Lisowski, iam Episcopum Mariammitanum.

Ventimiliensem, Augustinum Bousset.

Hippenum, Iosephum Eimerum Bitter, Auxiliarem B. P. D. Iosephi Chartrand, Episcopi Indianapolitani.

Tiburtinum, Dominicum Della Vedova.

ZJlpianensem, Aloisium Zaffarami, iam Episcopum Tudertinum.

Zephyrensem, Antonium Eltschkner, Auxiliarem B. P. D. Caroli Kaapar, Archiepiscopi Pragensis.

Mariammitanum, Iosephum Gawlina.

PRAELATUM :

Schneidemühlensem, praelatura « nullius » noviter erecta, Franciscum Hartz.

Denique Sanctissimus confirmasse Se dixit ratasque habuissse electione canonice factas:

R. P. D. Isaaci Koudabache, ad Ecclesiam archiepiscopalem *Urmiensem Chaldaeorum,* cui in personam unita est Ecclesia cathedralis *ßalmasiensis.*

B. P. D. Habib Naassani, ad Ecclesiam archiepiscopalem *Aleppensem Syrorum.*

B. P. D. Pauli Salmas, ad Ecclesiam archiepiscopalem de *Trans Jordania,* ritus graeci-melchitici, nuper erectam.

B. P. D. Gabrielis Nabaa, ad Ecclesiam cathedralem *Sidoniensem Melchitarum.*

VITI. - PRAESTATIO IURAMENTI AC POSTULATIO PALLII

Provisione Ecclesiarum peracta, Rmi Cardinales Boggiani, Cancellarius S. B. E., Sincero, Episcopus Praenestinus et Cerretti, Episcopus Veliternus iuramentum de more singuli praestiterunt.

Accedens demum Patriarcha Ecclesiae Ciliciae Armenorum Pallium de corpore Beati Apostoli Petri instanter, instantius, instantissime postulavit. Postea, per legitimum procuratorem, facta est postulatio Pallii pro Ecclesia patriarchali Antiochena Maronitarum.

II

CONSISTORIUM PUBLICUM

Feria Y, die 16 Martii 1933, in navi Ss. Processi et Martiniani Basilicae Vaticanae, publicum fuit Consistorium pro Canonizatione Beati Andreae Huberti Fournet, presbyteri saecularis, fundatoris Filiarum Crucis, vulgo « Sororum S. Andreae ». Praestita itaque a Emis DD. Cardinalibus Summo Pontifici obedientia, D. Augustinus Schmid, sacrae Consistorialis Aulae Advocatus retulit vitam, virtutes et miracula Beati Andreae Huberti Fournet, atque pro illius Canonizatione de more institit.

E. P. D. Antonius Bacci, Apostolicarum httërarum ad Principes Secretarius, stans a sinistro pontificii Solii latere, cappa indutus, D. Advocato in genua provoluto Sanctitatis Suae nomine his verbis respondit:

« Si Beatissimus Pater summo semper afficitur gaudio, cum alicui ex Ecclesiae filiis sanctorum caelitum honores decernere licet, at piaculari hoc anno, cum sollemnia undevicies saecularia agantur humani generis Eedemptionis, multo quidem vehementius laetatur.

Nihil enim opportunius videtur, quam ut, christianae virtutis heroibus in totius orbis luce collocatis omnibusque in exemplum propositis, animadvertant homines exploratumque habeant ut per saeculorum decursum divinae gratiae rivuli, profuso a Iesu Christo sanguine manantes, non exaruerunt, ita sanctitudinis ornamentum et decus Catholicae Ecclesiae numquam defuisse, numquam esse in posterum defutura. Quemadmodum enim agrorum glebae ac caespites, solis luce collustrata eiusque calore tepefacta, germina fioresque educunt, variosque fructus maturant, ita mortalium animi, si evangelicae doctrinae iubar religiose in se colligant, si divinae caritatis ardorem actuose refoveant, facere non possunt quin ad perfectissimae vitae apicem totis viribus contendant.

Ad peculiarem vero causam quod attinet, quam vos digne diserteque perorando dixistis, aliud etiam est cur Sanctitas Sua Beato Andreae Huberto Fournet summos triumphantis Ecclesiae honores decernere aveat; siquidem de eximio viro agitur, qui turbulentissimis temporibus per aspera

ad ardua procedens ita christianis virtutibus, mutabilibus factis a Deo comprobatis, excelluit, ut in se non modo, sed in ceteris etiam expressam Iesu Christi imaginem referre eniteretur.

Quapropter si, eius gloria legitime consecrata atque adaucta, ad eum imitandum colendumque Apostolica auctoritate invitentur omnes, non parum inde utilitatis non haurire iidem non poterunt.

Mhilo setius hoc tanti ponderis negotio, quod cum inerranti Iesu Christi Vicarii magisterio coniungitur, usque adeo Summus Pontifex supersedendum putat, donec in Consistorio *semipublico,* quod vocant, Patres Cardinales omnesque, quotquot conventuri sunt, Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, servato Eomanae Ecclesiae instituto ac more, sententiam rogaverit.

Atque interea ut sibi a Spiritu Sancto Paraclyto caelestia lumina impetrent, Christi fideles adhortatur universos.

Hoc, Sanctissimi D. ÎT. nomine ad orationes vestras respondendum habui, ut concredito mihi muneri satisfacerem».

Deinde Sanctissimus D. Pius Pp. XI sollemniter imposuit Galerum rubrum Pontificalem Emis et Emis DD. Cardinalibus:

ANGELO MARIAE DOLCI,

PETRO FUMASONI BIONDI,

MAURILIO FOSSATI,

RODERICO VILLENEUVE,

ELIAE DALLA COSTA,

THEODORO INNITZER.

Interim per Advocatum Sacri Consistorii Ioannem Guasco pro tertia vice peroratio fiebat Causae Servi Dei Dominici Savio, adolescentis ex Oratorio Salesiano Beati Ioannis Bosco.

III

COÎsTSISTOBIIIM SEOBETUM

Publico peracto Consistorio, habitum est in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani, *Consistorium secretum* in quo, postquam Beatissimus Pater os supradictis novis Cardinalibus, ut de more, clausisset, sequentes proposuit Ecclesias.

I. — .PROVISIO ECCLESIARUM

Metropolitanae Ecclesiae Firmanae praefecit B. P. D. Herculem Attuoni, hactenus Episcopum titularem Caesariensem Philippi.

Archiepiscopali Ecclesiae Iadrensi, B. P. D. Petrum Doimum Munzani, hactenus Episcopum titularem Sareptenum.

Cathedrali Ecclesiae JBovensi, B. D. Iosephum Cognata, e Pia Societate Salesiana Beati Ioannis Bosco.

Cathedrali Ecclesiae Zamboangensi, B. P. Aloisium del Bosario, e Societate Iesu.

Cathedrali Ecclesiae Cagayanae, nuper erectae, B. P. Iacobum Hayes, e Societate Iesu.

Titulari episcopali Ecclesiae Tanaitanae, B. D. Iosephum Ts'oei, deputatum primum Vicarium Apostolicum de Yungnien.

Titulari episcopali Ecclesiae Tloënsi, B. D. Matthaeum Ly-iun-ho, deputatum primum Vicarium Apostolicum de Yachow.

Titulari episcopali Ecclesiae Pharbaethitanae, B. D. Hiacynthum Gaudentium Stanchi, O. F. M., deputatum Vicarium Apostolicum de Changsa.

Archiabbatiae nullius *Sancti Martini in Monte Pannoniae,* B. P. Chrysostomum Kelemen, O. S. B.

n. - ORIS APERITIO ET TITULORUM ASSIGNATIO

Post haec Beatissimus Pater os aperuit novensilibus Cardinalibus, ut in Consistoriis, Congregationibus, aliisque coetibus et functionibus cardinalitiis suas iam valeant proferre sententias, eisque tradidit anillos, singulisque assignavit

ANGELO MARIAE DOLCI, *Titulum Sanctae Mariae de Victoria.*

PETRO FUMASONI BIONDI, *Titulum Sanctae Crucis in Hierusalem.*

MAURILIO FOSSATI, *Titulum Sancti Marcelli,*

B ODE RICO VILLENEUVE, *Titulum Sanctae Mariae Angelorum in* ***TJiermis.***

ELIAE DALLA COSTA, *Titulum Sancti Marci.*

THEODORO JNNITZER, *Titulum Sancti Chrysogoni.*

III. - POSTULATIO PALLIORUM

Tum Revmus Cardinalis Granito di Belmonte, Sacri Collegii Cardinalium Decanus, postulavit Pallium pro cathedrali Ecclesia *Ostiensi;* Revmus Cardinalis de Faulhaber, nomine et vice Cardinalis Bertram po-

stulavit Pallium pro Ecclesia *Vratislaviensi,* nuper in metropolitanam erecta; Revmus Cardinalis Fossati, postulavit Pallium pro metropolitana Ecclesia *Taurinensi-,* et similiter Revmus Cardinalis Villeneuve, pro Ecclesia metropolitana *Quebecensi;* Revmus Cardinalis Dalla Costa, pro metropolitana Ecclesia *Florentina-,* Revmus Cardinalis Innitzer, pro metropolitana Ecclesia *Vindobonensi.*

Deinde personaliter institerunt pro Pallio, Antistites dati Ecclesiis archiepiscopalibus *Hydruntinae, Turritanae, Theatinae, Aguilanae, Anconitanae, Sipontinae, Bonaerensi, Firmanae,* atque episcopali Ecclesiae *Anagninae* ex privilegio.

Per procuratores vero postulatio facta est pro Ecclesiis archiepiscopalibus: *Catanensi, Paderbornensi* (per elevationem sedis), *Milwaukiensi, Portus Principis* (per successionem), *Rhemensi, Hàlifaœiensi* (per successionem), *Rossanensi, Belemensi de Para, Rliedonensi, Sancti Iacobi de Chile, Aquensi, Turonensi, Vancuveriensi* (per successionem), *Pragensi, Sancti Pauli de Minnesota, Pisana, TJrbinaiensi, Friburgensi, Senonensi, Senensi* (per successionem), *Bracharensi* (per successionem), *Goyasensi* (per elevationem sedis), *Panamensi, Iadrensi,* itemque, ex privilegio, pro episcopali Ecclesia *Varmiensi.*

ACTA 88, CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

DE CONSISTORIO AD EXQUIRENDA SUFFRAGIA PRO CANONIZATIONE BEATI A. H. FOURNET.

In Consistorio, subsignata die habito in palatio Apostolico Vaticano, Ssmus Dominus noster Pius div. Prov. Pp. XI die secunda mensis Maii p. f. Consistorium semipublicum fieri decrevit, in quo exquiret Episcoporum sententiam pro canonizatione Beati Andreae Huberti Fournet, sacerdotis saecularis, fundatoris Congregationis Filiarum a Cruce. Quapropter Ssmus Dnus praescribit ut omnes Antistites, qui sunt intra centesimum ab Urbe lapidem, si possint, Romam tempestive petant, praefato Consistorio intersint, suffragium suum edituri ; et solemni canonizationi, si in eodem Consistorio indicta fuerit, adsistant suo tempore. Ceteros vero Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos et Abbates *nullius* de his quae supra memoravimus certiores reddit, laetus quidem si qui ad eumdem finem romanum iter suscipere valeant. líe autem frequentibus itineribus nimium graventur Ordinarii locorum, Sanctitas Sua benigne indulget ut qui sive occasione Consistorii Romam convenerint sive praefatis solemniis adfuerint, proxima vice ab obligatione sacra Limina visitandi eximantur.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 13 Martii 1933.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Seeretis.*

L. $ S.

V. Santoro, *Adsessor.*

MONITUM

Rmi Archiepiscopi et Episcopi qui, iuxta praecedens Sacrae Congregationis Consistorialis convocationis decretum, Romae semipublico Consistorio pro Canonizatione vel sacris Canonizationis Solemniis intererunt, quamprimum Adsessori Sacrae Congregationis Consistorialis *{Palazzo della Cancelleria, Piazza della Cancelleria, 1 - Boma-116)* et subscripto Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto *(Piazza Capranica, 98 - Roma-120)* per epistolam significent quo circiter die venturi sunt, ut Praesulum numerus opportune cognoscatur, et ipsi schedulas et intimationes pro Consistorio vel Canonizatione tempestive accipere possint.

Ne vero Apostolici cursores in schedularum distributione ancipites haereant de Episcoporum domiciliis, oportet ut ipsi Archiepiscopi et Episcopi in scriptis eumdem Caeremoniarum Praefectum de suo quisque domicilio certiorem faciant.

Iidem Antistites secum défèrent vestes praelatitias laneas violaceas, cum mantelleto pariter laneo violacei coloris, biretum, rochetum et cappam laneam violaceam sine pellibus armellineis pro Consistorio; quibus vero cappae praesto non sint, ex benignitate Sanctissimi Domini nostri Papae, ad Consistorium fas erit accedere indutos mantelleto supra rochetum.

Pro sacris vero Canonizationis Solemniis, Praesules défèrent amictum, mitram ex linea tela alba et unum pluviale simplex ex lamina aurea *rubra* sin minus ex serico damasceno coloris *rubri.*

Antistites autem Cardinalitia dignitate praefulgentes, vestes cardinalitias *rubei* coloris et cappam *violaceam* sine pellibus armellineis pro Consistorio habebunt. Pro Solemniis autem Canonizationis induent calceos rúbeos, amictum, planetam *rubram* opere phrygio aureo distinctam, mitram serico-damascenam. Cappellani caudatarii induent vestem sericam violaceam cum crocea lanea violacei pariter coloris, cum superpelliceo et vimpa.

Praesules ad Ordines vel Congregationes religiosas pertinentes quoad rochetum et qualitatem ac colorem vestium, consuetum morem servabunt.

A die I Maii e cappis Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium, Episcoporum et officialium Curiae tollentur pelles armellineae, et Cardinales ac Antistites aliique de capella, domo vel familia Pontificis, ad Ordines vel religiosas Congregationes non pertinentes, vestes séricas induent.

Romae, die 16 Martii 1933.

De mandato Ssmi D. N. Papae.

L. * S.

CAROLUS RBSPIGHI,

Protonot.* *Ap.*, *Caerem. Praefectus,

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

CONGREGAZIONÍ ASSEGNATE AI NUOVI CARDINALI

Con biglietti della Segreteria di Stato del 16 corr., la Santità di Nostro Signore si è benignamente degnata di assegnare: all'Eolo Signor Cardinale Angelo Maria Dolci le Sacre Congregazioni : *per la Chiesa Orientale, dei Miti e degli Affari Ecclesiastici Straordinari;* all'Eiïio Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, le Sacre Congregazioni: *Concistoriale, per la Chiesa Orientale e dei Seminari e delle Università degli Studi;* all'Emo Sig. Cardinale Maurilio Fossati, Arcivescovo di Torino, le Sacre Congregazioni: *dei Sacramenti, del Concilio e dei Religiosi;* all'Eolo Signor Cardinale Rodrigo Villeneuve, Arcivescovo di Québec, le Sacre Congregazioni: *dei Sacramenti, de Propaganda Fide e della Reverenda Fabbrica di S. Pietro;* all'Emo Signor Cardinale Elia dalla Costa, Arcivescovo di Firenze, le Sacre Congregazioni: *del Concilio, dei Religiosi e dei Seminari e delle Università degli Studi;* all'Eolo Signor Cardinale Teodoro Innitzer, Arcivescovo di Vienna, le Sacre Congregazioni: *per la Chiesa Orientale, de Propaganda Bidè e Cerimoniale.*

Con Biglietto della Segreteria di Stato, in data 16 Marzo, la Santità di Nostro Signore si è benignamente degnata di nominare *Prefetto della Sacra Congregazione de Propaganda Fide* l'Emo e Rmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi.

Annus XXV - Vol. XXV **1 Anrilis 1933** **Num. 6**

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

MAEIANNEN. ET GOYASEN.

DE MARIANNENSIS ECCLESIASTICAE PROVINCIAE DISMEMBRATIONE, NOVAE PROVINCIAE GOYASENSIS ERECTIONE, ET GOYASENSIS SEDIS AD METROPOLITANAM ELEVATIONE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae in faciliorem ecclesiarum gubernationem quaeque in maius cedant dominici gregis bonum, ea semper Romani Pontifices suprema sua auctoritate decernenda curaverunt. Iamvero cum ecclesiastica provincia Mariannensis latissime pateat, ab Apostolica Sede expostulatum est ut in aliquot suffraganearum dioecesium utilitatem, eius territorium divideretur novaque exinde erigeretur ecclesiastica provincia. Nos itaque, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum consilio, atque habito favorabili voto venerabilium fratrum Benedicti Aloisi Masella, Archiepiscopi titularis Caesariensis in Mauretania, in Brasiliana Republica Nuntii Apostolici, et Helvetia Gomes de Oliveira, Archiepiscopi Mariannensis, omnibus mature perpensis, oblatis precibus annuere statuimus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine a metropolitico iure archiepiscopalis Ecclesiae Mariannensis Goyasensem et Portus Nationalis dioeceses nec non praelaturas *nullius* S. Ioseph de Alto Toeantins, Jatahiensem, Bananalensem eximimus

ac subtrahimus, easque in novam ecclesiasticam provinciam Goyasensem nunc pandam constituimus. Cathedralem insuper Ecclesiam Goyasensem^ a metropolitico iure Mariannensis Ecclesiae ita solutam, ad metropolitanae ecclesiae fastigium et dignitatem, una simul cum eius canonicorum Capitulo, metropolitano denominando, extollimus, cum omnibus iuribus, privilegiis et praerogativis, quibus ceterae metropolitanae ecclesiae earumque capitula iure communi vel legitima consuetudine in Brasiliana Republica fruuntur. Novae autem huius Goyasensis archidioecesis eiusque pro tempore Archiepiscoporum metropolitico iuri tanquam suffraganeas subicimus quas supra diximus Portus Nationalis dioecesim et. praelaturas *nullius* S. Ioseph de Alto Tocantins, Jatahiensem et Bananalensem. Goyasensibus praeterea pro tempore Archiepiscopis omnia concedimus iura, insignia, privilegia et honores, quibus ceteri Archiepiscopi in America Latina ad iuris normam et iuxta legitimas consuetudines fruuntur et gaudent, praecipue vero ius intra fines suae provinciae Crucem ante se. ferendi et Pallium adhibendi, quo tamen uti poterunt postquam illud ins. Sacro Consistorio rite expostulatum et obtentum fuerit. Item ipsos pro* tempore Archiepiscopos iisdem adstringimus oneribus et obligationibus; quibus ceteri Archiepiscopi iure communi adstringuntur. Nobis denique et Apostolicae Sedi facultatem reservamus ecclesiasticam hanc provinciam aliter circumscribendi quovis modo et tempore, quoties id in Domino expedire visum fuerit. Ad haec autem exsecutioni mandanda praefatum venerabilem fratrem Benedictum Aloisi Masella, in Brasiliana Bepublica Nuntium Nostrum, deputamus eique necessarias et opportunas tribuimus, facultates tum omnes dirimendi controversias in exsecutionis actu quomodolibet orituras, tum subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem intra sex menses ab his Litteris, datis computandos authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque* nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio* seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato* defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse; sed eas, tanquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ei obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere;, et si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et» decernimus. Non obstantibus, quatenus opus, sit, regulis in synodalibus,» provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus»

vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibus* vis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis- Volumus autem et mandamus ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notam publici subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur si originaliter exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, evectionis, subiectionis, mandati, statuti, derogationis et voluntatis Nostrae infringere aut iis contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo secundo, die decima octava mensis Novembris, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH
Cancellarius **S.** *B. E.*

Fr. R. C. Card. ROSSI
a Secretis S. C. Consistorialis.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi

Beg. in Cane. Ap., vol. XLVI, n. 65. **- M. Riggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

ORDO S. HIERONYMI CONGR. B. PETRI DE PISIS SUPPRIMITUR

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter instituta, quae ad animorum christifidelium bonum fovendum catholica Ecclesia vigilanti studio continentique sedulitate excitanda, sustinenda, tuendaque curat, praecipuum fere locum tenent Congregationes religiosorum sive Ordines, qui, ornamentum ac praesidium religionis, temporibus iam ab antiquis floruere quavis aetate, hodieque florent.

At vero tum ob temporum iniurias vel vicissitudines vel mutatas condiciones, tum etiam ob humanam fragilitatem rerumque hominum imbecillitatem, ex Ordinibus eisdem et Congregationibus aliquando e pristino vigore decidere atque imminuta vel nulla esse auctoritate

quaedam praeteritis iam temporibus visa sunt, ac nunc quoque videri possunt. Adversis hisce casibus admoti Romani Pontifices, quibus sane totius Ecclesiae regimen commissum est, vel reformare vel, uti ex pluribus historicis documentis liquet, supprimere etiam sive penitus evellere, cum id necessitas vel opportunitas postularent, quandam e religiosis familiis ad proprii statuti vel Regulae fines adipiscendos minus aptam, minime dubitarunt, ut ita tum Ecclesiae universae bono ac tranquillitati, ipsiusque instituti religiosae vitae decori et tutamento consulerent, tum denique socialium rerum opportunitatem aliquando prosequerentur.

Nostrorum itaque Decessorum ut vestigia premamus in pastorale munus Nobis divinitus commissum iugiter intenti, cum Ordinis S. Hieronymi Congr. Beati Petri de Pisis res ac negotia Nos instanter admonuerint ut opportuna ea praestaremus, quae ad sodalium eiusdem Congregationis nec non christifidelium bonum intenderent, Sacrae Congregationi Sodalium Religiosorum negotiis praepositae, aliisque viris rerum huiusmodi peritissimis in Domino commisimus ut tandem quid in hac re decernendum vidèrent. Ordo enim ille, qui religiosae perfectionis cupidus suarumque regularum tenacissimus iam optima christifidelibus exempla exhibuit, nunc e quindecim tantum sacerdotibus et quattuor laicis in septem distributio domos est constitutus, adeo ut in eodem nihil amplius regularis disciplinae haberi possit. Pluribus quidem ab annis Decessores Nostri rec. mem., metuentes ut idem S. Hieronymi Ordo fuerit adhuc vitalis, iterum atque iterum opera peculiari tum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, tum Sacrae Congregationis Religiosorum negotiis praepositae, tum denique Apostolicorum Visitatorum, Ordinem ipsum ad antiquam regularem vitam rursus reducere et satis vigore imbuere, sed frustra, tentarunt. Nos propterea, Sacra denuo audita Congregatione Religiosorum Sodalium negotiis praeposita, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce .Litteris ea quae sequuntur decernenda statuimus. Nimirum I) Ordinem memoratum Sancti Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis ex nunc de iure supprimimus atque extinguimus; atque omnes, qui ad eumdem pertinent, a religiosis votis quibuslibet sive sollemnibus sive simplicibus, quibus ex eiusdem Ordinis titulo obstricti sint, ex nunc dispensamus et sic dispensatos eosdem de facto habere volumus. Aspirantes autem vel studentes vel postulantes aut novitios omnes, si qui exstent, pariter ex nunc dimissos declaramus et ad suas cuiusque domos remittimus. II) Omnibus deinceps maneat interdicta delatio habitus eiusdem Ordinis suppressi; sacerdotes vero iam eidem Ordini adscripti in posterum modestam vestem

«lericis saecularibus communem induant. III) Omnes et singulae domus, residentiae et cuiusque generis bona, quae ad Ordinem sic per Nos extinctum pertinuerint, ex nunc deferantur ad Sanctam Sedem, quae ad normam can. 493-494 Codicis iuris canonici de eisdem suo tempore disponet. IV) Interea Ordinarii locorum nomine Sanctae Sedis possessionem capiant domorum atque ecclesiarum una cum sacra supellectili, rerum omnisque generis bonorum ut supra, quae ubique locorum exsistant, deque illorum statu rationem reddant buie Sanctae Sedi. Provideant tamen Ordinarii ipsi ne Dei cultus vel animorum christifidelium cura aliquid detrimenti capiant. V) Volumus autem ut soluti Ordinis sodalium sustentationi, fructibus bonorum, quae ad Sanctam Sedem sunt ut supra devoluta, quantum fieri potest, provideatur; tributis singulis, qui vel ratione aetatis vel defectu sanitatis minime idonei ad munera explenda videantur, annuis reditibus a Delegato Apostolicae Sedis determinandis. VI) Ea vero omnia»,, quae hisce Litteris apostolicis Nostris statuimus, exsecutioni mandanda, committimus venerabili fratri Lucae Hermenegildo Pasetto Episcopo titulari Geritano, qui opportuniore modo, per subdelegatum etiam, providebit ut sacerdotes eiusdem Ordinis per Nos suppressi, qui apti sint, per benévolos Ordinarios vel dioecesi alicui incardinentur vel sine incardinatione licentiam sacerdotalia officia et ministeria exercendi obtinere possint. VII) Cum igitur praefatus Ordo S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis hisce Litteris Apostolicis Nostris, ad omnes effectus legis, ex integro suppressus extinctusque sit habendus, nullo modo in posterum nec sub qualibet specie vel praetextu vitam aboliti Ordinis nemini instaurare liceat: neaue ulla ratione ac titulo postulantes vel novitios a quocumque in posterum admittantur.

Haec statuimus, mandamus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare et permanere, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, quarum etiam specialis mentio in suppressionibus perpetuis fieri debet, ceterisque in contrariis quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur* quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XH** mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

E, Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD E. P. D. IOANNEM EVÀNGELISTAM DE LIMA VIDAL, ARCHIEPISCOPUM EPISCOPUM VILLAREGALENSEM, DE LUSITANA SOCIETATE CATHOLICIS MISSIONIBUS PROVEHENDIS.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Suavi sane cum gaudio comperimus primos ex ista Lusitana Societate catholicis missionibus provehendis alumnos, germen novellum laete in spem Ecclesiae subcrescens, post peractum tirocinii cursum solemne iusiurandum mox esse daturos. In isto enim, quamvis exiguo, numero iuvenum, qui primi Societati ipsi a Nobis exoptatae promotaeque adscribuntur, primum placet manipulum agnoscere inter magnanima clericorum laicorumque agmina, qui, nihil aliud quaerentes nisi regnum Dei inter infideles amplificandum, Missionibus sacris apostolorum studio et alacritate sese in perpetuum dedicabunt. Quare nos plane confidimus, non modo regnum Christi dilatatum iri, sed novo etiam splendore auctam fore istius gloriam Lusitanae nationis, cui summae ac perenni laudi tribuitur viam fidei civilique cultui propagando per oceanum aperuisse, cuiusque exploratores illi in audacibus navigationibus ineundis hoc primum sibi proponebant, sacrosanctam crucem illic erigere, ubi hoc humanae signum redemptionis nondum illuxerat. Nos autem pristinam gloriam renovandam censemus per novam istam Societatem, cuius opera ac sedulitate non dubitamus, quin in amplissimis quoque Lusitaniae coloniis christianorum multiplicentur agmina, sicut in aliis regionibus similium societatum studio et labore iam dudum factum esse videmus. Tantam vero laetitiam, tantasque spes a Nobis conceptas tibi primum, venerabilis frater, significare voluimus, qui, in Societate Lusitana pro Missionibus instituenda, et es mentem Nostram recte interpretatus et voluntatem fideliter exsecutus. Quum enim tibi maxime semper cordi fuissent collegia ad Missiones promovendas iam instituta, quae nunc Societatis novae exstare debent fundamentum, quasi vetus truncus, in quem nova sit stirps inserenda, quumque tu peramplae Angolensi dioecesi sacrorum Antistes praefuisses, maximam de gravibus earum regionum necessitatibus cognitionem tibi experiendo comparasti. Illud tamen Nobis, tam difficile munus tibi committentibus, praecipuam

attulit fiduciam optatis Nostris te egregie responsurum, quod eximiam pietatem, constantiam sollertiamque tuam in operando iam diu noveramus. Quae quidem laudes in obeundo munere, tibi duos ante annos demandato, maxime effuïsere, elarioresque etiam factae sunt per illam observantiam ac devotionem, quas Sanctae Sedi semper exhibuisti, praesertim quum studia Nostra per Apostolicum Nuntium tibi cognita fuerunt. Neque vero pauca, neque leviora te perpeti opus fuit: plures quoque gravesque labores tibi in tribus domibus regendis apud oppida *Tomar, Sernache* et *(Jucujaes* ferendi sunt. Iure autem optimo tecum laudis consortes esse volumus, quotquot sunt gloriosi tui laboris socii et participes, inter quos non modo exstant duo isti fortes peritique missionales, quos ad te Ipsi Nos misimus, verum etiam ceteri, quos tu quidem in praefatis domibus •elegisti, vel, episcopis tam laudabiliter consentientibus, ex eorum dioecesibus abduxisti. Quapropter Nobis pergratum contingit singulis istis sacerdotibus edicere, eos temetipsum secutos Nobis profecto paruisse, eosdemque, sicut te, venerabilis frater, de Ecclesia deque missionibus Lusitanis bene et egregie méritos esse. Complectentes praeterea cogitatione et animo pulcram istam iuventam, cui paterne moderaris, Nobis placet spem, in quam devenimus, declarare, singulos omnes a Deo vocatos in nobili proposito consilioque suscepto divina gratia fideliter permansuros. Denique ad eos alumnos, qui sacro iurisiurandi vinculo adstringi Societati contendunt, convertentes oculos, meritas Deo grates agimus et habemus, quod in animis eorum sensus tam generosos tamque nobiles infudit. Vota autem paterna facimus, ut huiusmodi ipsorum animi affectus altiores in dies ac vividiores fiant, idque exemplar feliciter consequantur, quod divinus Redemptor omnibus suis administris proposuit per illa verba: « sal terrae et lux mundi ». Hisce votis animique sensibus, in auspicium caelestium munerum, inque Nostrae caritatis signum, tibi, venerabilis frater, operis tui sociis, trium collegiorum pro Missionibus sodalibus, cunctisque nascentis Societatis benefactoribus et adiutoribus, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxiv mensis Octobris in festo Sancti Raphaelis Archangeli, anno MDCCCCXXXH, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XI

II

AD R. P. FERDINANDUM NAPOLI, CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM A S. PAULO PRAEPOSITUM GENERALEM, QUARTO ABEUNTE SAECULO AB ORDINIS APPROBATIONE.

PIUS PP. XI

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Suavi quodam iucunditatis sensu nuper comperimus te tuosque Congregationis a S. Paulo* sodales centenaria apparare sollemnia in diem 18 huius mensis, quarto abeunte saeculo, postquam Clemens VII f. r. Decessor Noster istum Ordinem adprobavit. Beneficia enim a Deo accepta sollemni commemoratione recolere et maiorum gesta ad exemplum revocare, proprium est nec parva nec angusta sentientis animi; optimo igitur consilio tot religiosae familiae vestrae laudes et decora, tam longo aetatum cursu fulgentia, grata repetere memoria et aemulari aeque studetis. Nemo sane ignorat Congregationem a S. Paulo ideo a sanctissimo viro Antonio Maria Zaccaria conditam fuisse, ut cum ceteris clericorum regularium Ordinibus magnopere conferret ad morum reformationem, quam paulo post Concilium Tridentinum perficiendam curavit. Huic vero nobilissimo fini assequendo nihil visum est conditori vestro eiusque sociis opportunius, quam Paulum Apostolum patronum et exemplar seligere, eiusque de Iesu crucifixo doctrinam fideliter amplecti et late in populum penitusque evulgare. Ita, auspice sancto Paulo, societas vestra ab urbe Mediolanensi in Italiam aliasque nationes propagata est, eiusque sodales patres Barnabitae, qui nuncupantur, verbi Dei praedicationi instantes, recessus spirituales sacrasque in populo expeditiones foventes, cultum Deo debitum, per triduanam praesertim Eucharistiae adorationem, promoverunt, et Sacramentorum usum, praeter sui temporis consuetudinem, frequentiorem reddidere. Quapropter idem patres ab ipsis sacrorum Antistitibus ad paroecias et clericorum Seminaria moderanda non raro quaesiti sunt. Hanc autem peculiarem sibi laudem inter ceteras compararunt, quod eximiam quandam urbanitatem ac lenitatem in alendis erudiendisque adulescentibus prae se tulerunt; quam quidem virtutem eiusque salutares fructus ipsi admirati sunt sanctissimi viri Carolus Borromaeus et Franciscus Salesius, et palam exhibuerunt plures e collegiis Barnabitarum alumni, qui de Ecclesia et patria, bene meriti sunt. Neque sancti Pauli, patroni vestri, aemulandi studium jninus enituit in infidelibus evangelizandis, quos per dissitas quoque ter-

ras, praesertim in Asia, nullis laboribus et periculis parcentes, sodales vestri quaesiverunt; quod quidem animarum studium ad coniunctionem quoque populi Norvegiensis et Bussici cum Ecclesia catholica fovendam, non parum exacuit. Longum autem est omnia persequi istius Ordinis promerita; sed praeter ea, quae breviter memoravimus, hoc adiicere Nobis placet, plures e vestra societate viros exstitisse, qui vitae sanctitate, honoribus, muneribus, scientiis, litteris, rebusque gestis claruerint; nec defuisse, qui tentandis naturae viribus, caelique praesertim legibus dimetiendis operam dederint, inter quos recenti exstat memoria P. Franciscus Denza, rerum physicarum peritissimus, quem Decessor Noster f. r. Leo XIII Vaticanae speculae praefecit, ut per eum in partem veniret mirabilis illius operis, quo totius caeli imago per tabulas photographicas luculenter refe^-retur. Haec quidem omnia memorantes et praeclaram erga Apostolicam Sedem istius Ordinis fidelitatem probe noscentes, saecularia sollemnia proxima faustis felicibusque prosequimur votis, libenterque hac utimur opportunitate, ut paternae Nostrae erga te, dilecte fili, tuosque sodales benevolentiae sensus, hisce litteris, testemur. Dum autem meritas Deo grates vobiscum agimus et habemus ob tanta beneficia societati vestrae conlata, omnes istius Congregationis sodales vehementer hortamur, ut ex hac quater saecularis eventi faustitate sumant vires et animos ad maiora et ampliora in rei religiosae et civilis bonum prosequenda. Auspicium vero caelestium munerum, quae vobis a Deo enixe adprecamur, praecipuaeque caritatis Nostrae pignus, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, cunctaeque Congregationis, cui praees, sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Februarii, anno **MDCCCCXxxiii,** Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DE GUAYANA

DIVISIONIS ET ERECTIONIS PRAEFECTURAE APOSTOLICAE «DE ALTO ORINOCO»

DECRETUM

Quo melius pleniusque consuleretur spiritualibus necessitatibus fidelium, qui degunt in regione vulgo « Amazonas » et in territorio paroeciae « La Urbana », intra fines dioecesis de Guayana in Venezuelana Republica, supplices preces ad Apostolicam Sedem porrectae sunt, ut nova praefectura apostolica ibi constitueretur.

Quapropter Sanctissimus Dominus Noster Pius div. Prov. PP. XI, instante R. P. D. Apostolico Nuntio penes Venezuelanam Rempublicam, habitisque secundis suffragiis Episcopi de Guayana, hoc praesenti Consistoriali decreto, memoratum territorium a dioecesi de Guayana separat et in praefecturam apostolicam « De Alto Orinoco » nuncupandam erigit, quae ad normam iuris, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide plane subiicietur.

Huius vero apostolicae praefecturae territorium ita circumscribetur: ad septentrionem et septentrionem-orientem ab iisdem finibus politicis Status *Bolivar* iuxta ripam dexteram fluminis *Orinoco* usque ad continentem rivi *Chaviripa* cum eodem flumine *Orinoco,* et a memorato confluente iuxta ripam sinistram rivi *Chaviripa* usque ad eius fontes; ac dein per lineam rectam pertingentem ad *Serrania Guamapi;* ad meridiem-orientem et meridiem ab iisdem finibus ac exsistunt politice inter regionem «Amazonas», in Republica Venezuelana, et Rempublicam Brasilianam; ad occasum ab eodem limite exsistente inter memoratam regionem « Amazonas » et Rempublicam Columbianam.

Quibus super rebus SSmus Dominus Noster edi iussit praesens Consistoriale decretum perinde valiturum ac si desuper Litterae sub anulo Piscatoris expeditae forent. Ad cuius exsecutionem vero R. P. D. Fernandum Cento Archiepiscopum Seleuciensem in Syria, Apostolicum Nuntium

in Venezuelana Republica, deputare dignatus est, eidem necessarias et opportunas tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum; onere tamen eidem imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem mittendi, intra sex menses a praesentibus litteris acceptis, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 5 mensis Februarii anni 1.932.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis.*

L. © S.

V. Santoro, *Adsessor.*

II

DESIGNATIO ORDINARII PRO APPELLATIONE

Iuxta can. 1.594 § 2 Codicis iuris canonici, pro appellatione Exmus et Revmus Dnus Archiepiscopus Goanus designavit Ordinarium S. Thomae de Meliapor.

Quam designationem Sacra Congregatio Consistorialis die 8 Martii 1933 approbavit.

SACRA, CONGREGATIO CONCILII

GALLIPOLITAÎTA

FUNERUM

Die 24 Maii et 15 Novembris 1930

SPECIES PACTI. - Die 28 Augusti 1928 parochi civitatis Gallipolitanae penes hanc S. Congregationem conquesti sunt quod generatim sui parochiani, post obitum, « sono trasportati per l'esequie a chiesa che non è mai quella della propria parrocchia; gli ascritti a confraternite vanno alla chiesa della propria confraternita, e per i non ascritti a confraternite la famiglia paga un tanto, qui detto *offerta,* a una confraternita, e il defunto è accolto per l'esequie nella chiesa di detta confraternita. Nell'uno e nell'altro caso il parroco non ha altro da fare che benedire la salma e accom-

pagnarla alla chiesa dove han luogo le esequie; e per questa *associatio cadaveris* ha solo un meschmissimo compenso e nulla ha *(portio paroecialis)* per il suo diritto e dovere di esequie violato ».

Quapropter duae circa funera proponebantur quaestiones, quarum altera ad electionem refertur ecclesiae funerantis cum adnexo iure exsequias in eadem persolvendi, altera solutionem spectat portionis paroecialis, proprio defuncti parocho debitae.

Quoad primum, in civitate Gallipolitana praxis viguit, vi cuius si quis, dum in vivis est, alicui ex confraternitatibus ibi exstantibus sese adscribit, ipso facto ecclesiam funerantem hac adscriptione se elegisse praesumitur. Idipsum censetur, si quis ex heredibus, etsi nullo praehabito expresso mandato, certam pecuniae summam solvendo, quae *offerta* dicitur, alicui confraternitati defunctum adscribit.

In utroque autem casu, itemque quando funera a Capitulo in ecclesia cathedrali peraguntur, proprio defuncti parocho non solvitur portio paroecialis contra praescriptum canonis 1236 § 1 C I. C, sed oblatio fit admodum modica.

Censent proinde parochi corrigendas esse huiusmodi consuetudines ad normam iuris communis sive ratione vinculi spiritualis quo fideles paroeciae devinciuntur, sive ratione quoque rei oeconomicae.

Confraternitates e contrario easdem confirmandas esse putant, utpote in Codice I. C. expresse non reprobatas, atque usque nunc ab Ordinario toleratas. Ee enim vera, eligere ecclesiam sui funeris unicuique licere Codex statuit in canone 1223 § 1, idque sive per se, sive per alium fieri potest, cui legitimum mandatum quisque dederit (can. 1226 § 2). Cum vero haec electio necessario importet ius funerandi, quae res sunt inter se connexae, nihil in hac re innovandum esse contendunt, attenta etiam legitima consuetudine.

Et idem sentiendum de adscriptione defunctorum iisdem confraternitatibus. Yel enim agitur de defunctis qui antea propinquis et familiaribus hoc mandatum commiserunt, et nemo dixerit hanc electionem, ad normam citati canonis 1226 § 1, legitimam non esse. Si vero agitur de ceteris pro quibus arbitrario ab heredibus haec electio facta est, succurrit praesumptio, qua coniici potest hanc fuisse defunctorum voluntatem, quam heredes ipsi interpretati sunt atque ad effectum demandarunt.

Denegant tandem eaedem confraternitates parocho solvendam esse his in casibus portionem paroecialem, ab immemorabili nunquam solutam.

Quem morem sequitur et Capitulum cathedrale in funeribus ab eo persolutis, provocans ad diuturnam consuetudinem a condito Capitulo, a saeculo nempe xv usque nunc servatam, atque hac ratione innixum,

quod iisdem funeribus aliqua confraternitas semper interest, quae portionem paroecialem seu oblationem parocho persolvit.

AD IUS VESO QUOD ATTINET, perpendenda in primis sunt praescripta Codicis in subiecta materia. Iamvero « ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex iure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam legitime elegerit » (can. .1216 § 1). Et « ecclesiam funeris... quis eligere potest per se vel per alium cui legitimum mandatum dederit; factamque electionem aut mandati concessionem quolibet legitimo modo probare licet » (can. 1226 § .1). Attamen «ut electio ecclesiae funeris valeat, cadat necesse est vel in ecclesiam paroecialem, vel in ecclesiam regularium..., vel in aliam ecclesiam funerandi iure praeditam» (can. 1225).

Quapropter ex facto adscriptionis alicui confraternitati non sequitur necessario eiusdem confraternitatis ecclesiae pro funere legitima electio; sunt enim adscriptio et electio res quae necessario non cohaerent; nec confraternitates omnes, qua tales, iure funerandi sunt praeditae (Cfr. Ferraris, *Bibl. can.,* v. *Confraternitates,* art. V).

At, in casibus peculiaribus, si hoc iure ecclesiae confraternitatum potiuntur, et ex receptis loci usu ac consuetudine confratres omnes in propria funerantur ecclesia, iure arguitur eosdem, eo ipso quo alicui confraternitati nomen dant, ecclesiam sui funeris designasse. Et hoc satis est, ut ad normam citati canonis legitimo modo electa probetur ecclesia funeris.

Funerandi autem ius multipliciter acquiri potest, S. Sedis nempe aut Ordinarii concessione, legitima consuetudine et praescriptione. «Cum autem haec consuetudo, animadvertit S. Bota in una *Mediolanen. — Iuris funerandi (A. A. 8.,* 1914, p. 556), mixta sit praescriptioni, quippe quae laedat iura tertii, planum est in ea requiri etiam conditiones praescriptionis ». Quod si in casu de quo agitur, omnes istae conditiones non inveniantur, adest tamen aliqua Episcopi concessio, siquidem, prout asseritur, plures Episcopi hanc praxim, funerandi nempe in ecclesiis confraternitatum, tolerari permiserunt. Qua admissa legitima praxi, roboratur quoque argumentum, quo fideles ex ipsa adscriptione alicui confraternitati ecclesiam funerantem elegisse praesumuntur.

Aliter sentiendum est, si de adscriptione defunctorum res sit, ab heredibus proprio marte peracta. Ius enim eligendi ecclesiam funeris, ex citato canone .1226 § 1, ad unum defunctum, non ad heredes pertinet, nisi legitimum mandatum acceperint; salva tamen contraria consuetudine, quae quominus submoveri possit nihil vetat, attentis laesione iuris parochorum, nec non incommodis inde facile orituris.

Quod denique attinet ad solutionem portionis paroecialis, in canone 1236 § 1 statuitur: «Salvo iure particulari, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, proprio defuncti parocho debetur portio paroecialis, excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat ». Ad quam denegandam, in casu, contraria immemorabilis consuetudo affertur.

Plura, ut notum est, in praescriptione et in consuetudine praescriptiva requiruntur, praesertim in iis quae habent tractum successivum. Ad rem in *Dianen. —Iuris funerandi (A. A. S.,* 1921, pag. 534 sq.) haec leguntur: « Ad hoc ut intret praescriptio in habentibus tractum successivum, necessaria est *petitio, repulsa* et *aequieseentia* petentis; in casu agitur profecto de re habente tractum successivum, quum Capitulum teneatur toties dare portionem canonicam quoties funerat alienos: itaque probandum esset a Capitulo se cum effectu denegasse portionem petenti: quod minime praestat, cum immo testibus evincere contendat: *ch'egli non ha pagato mai la quarta funerale, e che mai dal parroco fu richiesta...* ». Ideoque in casu haec Sacra Congregatio non constare edixit de iure Capituli portionem paroecialem non solvendi.

Quae ad casum de quo agitur aptando, cum moderatores confraternitatum portionem paroecialem asserant nunquam solutam fuisse, nec unquam a parocho fuisse petitam, deest petitio, repulsa et aequieseentia petentis; quapropter praescriptio vel consuetudo praescriptiva nihil operatur. Nec eadem portio censeri potest suffecta ab oblatione illa quae a confraternitatibus parocho solvitur, attenta eiusdem exiguitate, nec non portionis paroecialis natura, quae, ut praescribitur in canone 1237 § 1, « detrahi debet ex omnibus et solis emolumentis, quae statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa dioecesana ».

RESOLUTIO. - His omnibus perpensis, in plenariis comitiis huius Sacrae Congregationis, diebus 24 Maii et Io Novembris 1930 habitis, proposita sunt enodanda haec dubia:

I. *An sustineatur consuetudo quoad adscriptionem confraternitati sive vivorum per se, sive defunctorum per heredes, cum adnexo iure funerario^ in casu;*

II. *An parocho defuncti debeatur portio paroecialis a rectoribus confraternitatum vel a Capitulo cathedrali, in casu.*

Porro Emi Patres responderunt:

Ad I. *Ordinarius utatur iure suo ad normam canonis 5 Codicis I. C*, et ad mentem.*

Ad II. *Affirmative.*

Facta autem de praemissis Ssmo Dno Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per Secretarium huius Sacrae Congregationis in audientiis dierum 31 Maii et 17 Novembris 1930, Sanctitas Sua easdem resolutiones approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

i

BRIXIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI VINCENTIAE GERO S **A** ALTERIUS FUNDATRICIS SORORUM A CARITATE IN OPPIDO LUERE BRIXIENSIS DIOECESIS.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto *procedi possit ad sollemnem praedictae Venerabilis Beatificationem.*

«Necesse est, scribit S. Gregorius Magnus, ut, cum virtutum nobis oopia blanditur, ad infirma sua mentis oculus redeat, seseque salubriter deorsum premat; nec recta quae egit, sed quae agere neglexit, aspiciat: ut dum cor ex memoria infirmitatis atteritur, apud humilitatis auctorem robustius in virtute solidetur » *(Reg. Past.,* p. iv). Id mirifice in Yen. Vincentia Gerosa elucet, cuius sanctitatis lineamenta profundissimae humilitatis nota praecipue nobilitantur.

Divina praeveniente gratia, inde ab ineunte aetate ad superna innocentissimae puellae animus ferebatur; et licet parentum negotiis gerendis sollers incumberet, illibatae puritatis et candidissimae simplicitatis salutare mundo effulsit exemplum. Qua vero aestuabat caritate in Deum, eadem in proximum ferebatur; atque puellas pietate excolere, et per honestas reereationes ab animae discrimine arcere studiose satagebat. Quum vero animo altiora appeteret, providentis Dei consilio factum est, ut B. Bartholomaea Capitanio, quae in eodem pago Luere sanctitatis laude florebat,. eam sibi sociam et adiutricem in nova condenda Sororum a Caritate Congregatione adiunxerit. Cui arduo operi prosequendo, praesertim post praematuram Beatae Fundatricis mortem, quo successu adlaboraverit, Instituti, sub eius ductu, mirabilis propagatio et copiosissimi salutis fructus percepti apertissime demonstrant. Sed mirabilius illud est quod, quum omnium virtutum fulgeret exemplo, tantaque prudentia ac fecunda opero-

sitate Congregationem regeret ac promoveret, non aliter se aestimari volebat, quam omnium novissimam. Unde antistitam vocari nullimode patiebatur, sed seniorem tantum: viîissimis quibusque officiis, tamquam sibi propriis, laetabatur, atque- in Instituto administrando consilii expertem se reputans, Sorores consulebat, earumque consilium suo praeferebat, et ab omnibus se nihili haberi omni studio nitebatur. Sed incassum. Quo enim magis se despici conabatur, eo magis sanctitatis splendor non solum Sororum, sed et externorum oculos percellebat. Quod evidentiore modo patuit post eius pretiosum obitum, qui die 28 Iunii a. 1847 evenit; Deo sic disponente ut, quae pro eius amore humanos honores semper despexerat, ampliore gloria vel in hoc mundo extolleretur, et quae, in prosequendo et perficiendo opere a B. Bartholomaea Capitanio incepto, tam insignis evaserat, paribus cum eadem Beatorum honoribus decoraretur.

Adornatis itaque tum Ordinaria tum Apostolica auctoritate processibus, servatisque de iure servandis, de virtutibus primum, de miraculis postea in hac Sacra Congregatione disceptatum est.

Yen. Vincentiae Gerosa virtutes heroicas fuisse, die 24 Iulii a. 1927 decretum fuit.

Item de duobus miraculis a Deo ad eius intercessionem patratis constare die 22 Ianuam hoc eodem anno fuit pariter decretum.

Approbatis itaque tum heroicis virtutibus, tum miraculis, ut ad Beatificationem procedi posset, discutiendum supererai dubium: *An, stante approbatione virtutum et duorum miraeulorum,* tuto *procedi possit ad sollemnem praedictae Venerabilis beatificationem.*

Dubium hoc in Generalibus Sacrae huius Congregationis comitiis, die 7 mensis huius coram Ssmo Domino nostro habitis, Emus Cardinalis Caietanus Bisleti, causae Ponens seu Belator, proposuit.

Emi Cardinales, Officiales Praelati et PP. Consultores unanimiter in affirmativam convenerunt responsionem. Quam Beatissimus Pater benigne excepit: caeleste tamen lumen impetraturus, adstantes omnes ut secum preces coram Deo effunderent, est hortatus.

Sententiam Suam pandere quum decrevisset, hanc selegit diem, 13 Februarii mensis, postridie decirmprimi anniversarii Suae in Summum Pontificem coronationis. Quapropter ad Se Brnos Cardinales Camillum Laurenti S. B. C Praefectum et Caietanum Bisleti, causae Ponentem seu Belatorem, nec non B. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem, meque infrascriptum Secretarium advocari mandavit, et, Sacratissimo Eucharistico Sacrificio pientissime litato, iisdem adstantibus pronunciavit: tuto *procedi posse ad sollemnem Venerabilis Vincentiae Gerosa Beatifica» tionem.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. B. C. referri; litterasque Apostolicas sub anulo Piscatoris, de sollemnibus Beatificationis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis, expediri mandavit.

Die 13 Februarii, anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. S.

A. Carinci, */Secretarius.*

II

PARISIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI CATHARINAE LABOURÉ E SOCIETATE PUELLARUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Venerabilis Catharinae Labouré nomen, quod, dum ea in terris ageret, diu sub humilitatis modio delituerat, notum postea atque earum Ecclesiae iampridem fecit prodigiosi, quod dicitur, numismatis passim per orbem salutaris divulgata devotio, cui promovendae instrumentum Immaculata Virgo Catharinam adhibere dignata est.

Genuina S. Vincentii a Paulo filia, in Societate Puellarum a Caritate ab eo condita, tota laboriosissimae caritatis exercitiis, per fere integrum religiosae vitae decursum incubuit in hospitio pro pauperibus senibus Parisiis, ubi die 31 Decembris mensis anno 1876 in Domino quievit.

Eius vitam, pauperum servitio nobilem, heroicis floruisse virtutibus decreto Sacrae huius Congregationis, die 19 Iulii anno 1931, declaratum est.

Verum et miraculorum gloria hanc humilem virginem Deus illustravit. Ex pluribus, quae eius intercessioni tribuuntur gratiae, duas sanationes diligentissimi actores elegerunt, quae veri miraculi notas praeseferre visae sunt.

Prior sanatio Augustae Taurinorum contigit. Marius Zeme, miles, quatuor circiter supra viginti annos natus, sub vespere diei tertiae Decembris mensis anno 1928 lectica vectus ad princeps militum nosocomium fuit deductus, ubi extremae Unctionis munitus fuit sacramento: statimque gravissimae chirurgicae operationi suppositus. Dissecto abdomine, operantes chirurgi et assistentes medici peritonite acuta purulenta diffusa

Marium affectum esse suis ipsi oculis viderunt, manibusque contrectaverunt, lethalem prorsus aegroti statum iudicarunt, omnemque fere praecisam esse recuperandae sanitatis spem. Insequenti die quarta sacro viatico» is fuit confortatus et per totam diem quintam in eisdem immo et peioribus conditionibus versatus est, ita ut mortem ei imminere medici iudicaverint.

Effusis precibus, infirmi mater pro filii sui sanitate obtinenda B. M. V. deprecabatur; eamdem omnes non paucae, quo quot infirmorum in nosocomio degentium curae Filiae a caritate adducebantur, invocabant, explicita tamen apposita miraculosi signi petitione in sanctitatis dilectae fidelisque Ancillae suae, Catharinae, testimonium. Ante diei sextae Decembris mensis diluculum preces exauditae sunt, et Marius sanatus.

Medici paucas post horas summam, qua capti fuerant, admirationem stuporemque continere non potuerunt, quum tantam, praeter omnem exspectationem, factam esse mutationem repperierunt, quantam huiusmodi peritonitis omnium ostendebat plena symptomatum cessatio: ideoque miraculum agnoscere non detrectaverunt, uti postea in iudicio sub iuramenti religione confirmarunt.

Duo physici periti sanationis perfectionem perstare in iudicio deponunt^

Tres a Sacra Congregatione adlecti periti diagnosim, prognosim, miraculum et ipsi fatentur.

Tolosae altera evenit miraculosa sanatio.

Ioannes Bibet puer sexennis Pottiano morbo cervicali, radiographici®) quoque tabulis comprobato, inde a Iulio mense anno 1929 fuit affectus uti tres curantes medici in iudicio deponunt. Qui morbus omnibus adhibitis curis et medica-minibus restitit, quin immo in peius ruit.

Quum itaque incassum curationes cederent, puer, eius parentes, avia efc frater nec non Filiae a Caritate die 19 Novembris anni eiusdem novendiales¿ instituerunt preces pro sanatione a B. Maria Y. a numismate miraculosa per Ven. Catharinae intercessionem obtinenda, pueruli pectori de Venerabilis reliquiis particula apposita.

Die 26 mensis eiusdem, de mane hora 10, puer matrem vocat, quae accurrit eumque perfecte sanatum invenit. Sanationem per restitutionem in integrum, prout, radiographica experimenta demonstrarunt, curantes; medici confirmaverunt, qui eam praeter naturae ordinem evenisse fatentur. Physici periti sanationem perseverare testantur.

Tres periti a Sacra Congregatione deputati diagnosim et prognosim curantium medicorum confirmant, et divino miraculo sanationem tribuunt-

Servatis itaque omnibus de iure servandis, coram Brno Cardinali Alexandro Verde, causae Ponente seu Belatore, antepraeparatoria die 10 Maii

mensis elapso anno habita sunt comitia, quibus Praeparatoria die 12 Decembris successere. Congregatio tandem Generalis coram Ssmo D. N. Pie* Papa XI die 7 mensis huius coacta fuit, in qua Emus Cardinalis Ponens*, seu Eelator dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet in casui et ad effectum de quo agitur.* Emi Cardinales, Officiales Praelati et PP. Consultores suum unusquisque pro sua conscientia protulit suffragium. Beatissimus vero Pater preces effundere hortatus est, ut Sibi maioris luminis gratia a Deo daretur; iudicium interim pronuntiare distulit.;

Feriam hanc secundam post Septuagesimam, 13 Februarii mensis, quae decimi secundi anni Summi Pontificatus Sui fere initium feliciter auspicatur, ut Suam proferret sententiam, delegit. Arcessiri itaque mandavit; Brnos Cardinales Camillum Laurenti S. R. C. Praefectum, et Alexandrum Verde, causae Ponentem seu Relatorem, nec non R. P. Salvatorem Natueei, Fidei Promotorem Generalem, meque infrascriptum Secretarium, Sacraque devotissime litata Hostia, hisce adstantibus edixit: *Constare de duobus miraculis, Venerabili Catharina Laboure' intercedente, a Deo patratis,* scilicet: *Instantaneae perfectaeque sanationis tum* I° *Marii Zeme a gravissima peritonite purulenta, acuta diffusa; tum* 2° *pueri Ioannis Bibet a gravissimo Fot* tiano morbo cervicali.*

Hoc decretum promulgari et in acta S. R. C. referri mandavit.

Die 13 Februarii, anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. © S.

A. Carinci, *Secretarius**

III

LUCEN. IN ITALIA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI GEMMAE GALGANO VIRGINIS SAECULARIS. i

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto *procedi possit ad sollemnem praedictae Venerabilis Beatificationem.*

Ea est Venerabilis Gemmae Galgani praecipua ac solida gloria, quam sibi ipsi generoso animo appetebat Apostolus: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi (Gal.,* VI, 14). Ex hoc vero recolendae Dominicae Passionis flagrantissimo studio, quod inde a tenerrima aetate virginalem eius animam pie permoverat, nobilissimae quaeque, tamquan&

divina scaturigine, effluxere virtutes. Quas inter commemorare nunc iuvat innocentis animae mtidissimum puritatis decus et fervidissimae caritatis ardorem.

Qua quidem succrescente in dies flamma caritatis, pissima virgo, multis simul Cruci Domini confixa doloribus, tamquam acceptissimum Deo holocaustum in odorem suavitatis exarsit. Quod si eius brevis simul ac vexatae vitae adiuncta haud sivere ut eius internae caritatis impetus actuosiori opera in proximorum salutem exterius prodiret, at quis dicat quot suis álammescentibus caritate precibus, doloribus ac gemitibus Deo animas lucrifecerit sive ut perseverarent in bono sive ut converterentur a malo? Illud enim est altissimum vitae contemplativae in Ecclesia officium, ut quo coniunctior Deo anima adhaeserit, eo efficacioris orationis auxilio Ecclesiam iuvet, et uberiori meritorum copia locupletet. Verum et illud perstat cunctis spectabile vitae exemplum, quo Jmmilis haec puella dilafeenti in vanitatem mundo *Iesum* praedicaverit *et hunc Crucifixum.* Eragilis corporis viribus brevi consumptis, quinto supra vicesimum anno vix explet, Lucae in urbe, vocanti in caelum Sponso, collucente lampade, obviam exivit die 11 Aprilis anno Domini 1903.

Suavissimus eius sanctitatis odor late effusus statim est. Quare in Lucensi Curia, Ordinaria auctoritate super sanctitatis fama, super scriptis et super non cultu mature constructi sunt processus. Apud Sacram hanc Congregationem de causa introducenda disceptatum est, eiusque favorabile votum Benedictus XV fel. rec. benigne excepit, Suaque manu Commissionem Introductionis causae die 28 Aprilis anno 1920 signavit. Apostolicus super virtutibus processus Pisis fuit confectus. Interim decreta sive super approbatione scriptorum sive super servatis Urbanianis decretis de cultu Servis Dei non exhibendo, fuerunt edita. Virtutum heroicitas die 29 Novembris mensis anno Domini 1931, Ssmo Domino Nostro probante, fuit recognita.

Die vero 5 Februarii mensis anno 1933 duas sanationes Servae Dei intercessione obtentas vera esse miracula eadem auctoritate fuit decretum.

Ut autem ad sollemnem Beatificationem procedi posset, discutiendum ¡supererat dubium: *An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione,* tuto *procedi possit ad sollemnem praedictae Venerabilis Beatificationem.* Dubium hoc Emus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Beimonte Episcopus Ostien. et Albanen., causae Ponens seu Belator, in Generalibus Sacrae huius Congregationis comitiis die 14 mensis huius, coram Ssmo D. N. Pio Papa XI habitis, proposuit. Emi Cardinales, Officiales S. B. C. Praelati et Patres Consultores in affirmativam sententiam unanimes concessere. Attamen Beatissimus Pater, effusas iam antea preces

voluit ab iis qui aderant ingeminari, et interim suum distulit proferre iudicium.

Dominicam diem banc in Sexagesima, 19 Februarii, felici instinctu elegit, ut Suam proferret sententiam. Etenim Venerabilis Gemma, cuius vita, dum in terris degebat, fuit *abscondita cum Christo in Deo,* etsi apostolicos labores, aerumnas, carceres, naufragia non pertulit, uti in hodierna liturgia legitur, sollicitudine tamen totius Ecclesiae in suo corde angebatur, enixas iugesque effundens preces et *semper mortificationem Iesu in corpore* suo circumferens (2 *Cor.,* 4,10). Semen itaque, a Domino eius animae mandatum, cecidit in terram *bonam, et fructum* attulit *in patientia.*

Arcessiri idcirco mandavit Rmos Cardinales Camillum Laurenti, S. E. C Praefectum, et Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Ostien. et Albanen., causae Relatorem, nec non R. P. Salvatorem Natucci,. Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium, Sacraque Hostia religiosissime litata, iisque adstantibus, pronuntiavit: tuto *procedi posse ad Venerabilis Gemmae Galgani Beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. R. C. referri, nec non Apostolicas Litteras sub anulo Piscatoris de sollemnibus Beatificationis, in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis, expediri mandavit»

Die 19 Februarii, anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. © S.

A. Carinci, *Secretarius.*

IV

ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI IOSEPHI MARIAE PIGNATELLI SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Inter insigniores viros, quos miserentis Dei Providentia sub decimioctavi saeculi finem et deciminoni initium in suae Ecclesiae fulcimen et ornamentum suscitavit, merito Ven. Iosephus Maria Pignatelli accensendus. Ex dynaste Antonio et marchionissa Francisca Moncayo, sanguinis nobilitate et christianis virtutibus clarissimis, anno 1737 Caesaraugustae

in Hispania is ortum duxit. Mature Societatem Iesu est ingressus, in qua legiferi patris Ignatii spiritu repletus, mira virtutum omnium specimina dedit. Iniqua lege ex Hispaniae regno pulsis anno 1767 sodalibus, noluit indulto sponte oblato frui, sed eorum sortis particeps fieri maluit. Tenerrima caritate confratribus in itineribus et in variis exsilii stationibus maximo fuit auxilio et solaniini.

Invicto animi robore et summa dexteritate eosdem ab insidiis et omne genus vexationibus, quantum ei datum erat, liberare nisus est: quin immo Ignatianae Societatis formam illibatam servare, novosque alumnos fovere et ad religiosas virtutes informare omni studio adlaboravit. Nec satis: post Societatis Iesu suppressionem, ad saecularem clerum adactus, Ferrariae et Bononiae sacerdotalibus virtutibus mire effulsit. Tum Colorni in Parmensi ditione et Neapoli, Pontificio indulto, dilectae Societatis domos instauravit, tum in hac Alma Urbe, ubi die 15 Novembris mensis anno 1811 sanctam obivit mortem.

Heroicis virtutibus Servum Dei fulsisse VIH kalendas Apriles anno 1917, Benedicti XV fel. rec. auctoritate, ab hac Sacra Congregatione decretum est.

Ex multis, quae eius intercessioni tribuuntur, signis, sollertes actores duas delegerunt sanationes, quae veris miraculis accensendae visae sunt. Apostolica auctoritate processus Barcinone et Ebusi constructi sunt, pro quorum iuridica vi die 4 Maii anno 1931 editum est decretum.

Barcinone prior evenit miraculosa sanatio. Maria Bertha Guiu Martínez peritonaeali tuberculosi afficiebatur, uti chirurgus, duplicem laparatomiam annis 1925 et 1927 operatus, oculis vidit, manibusque contrectavit. Tuberculosis postea pulmones quoque infecit. Quare infaustam prognosim curantes medici ediderant, quam alter ex ipsis eodem sanationis mane, die 21 Novembris anno 1928, confirmavit. Verum, Venerabili Iosepho Pignatelli unice invocato, Maria Bertha in instanti, ab omnibus sive pulmonum, sive abdominalibus morbis perfecte sanata est, et in bona recuperata valetudine perseveravit; quod quidem, organici morbi natura perpensa, nonnisi miraculo tribui potest; in quam sententiam tum tres curantes medici, tum tres ab H. S. C. adlecti periti unanimiter conveniunt.

Ebusi in Balearibus, in S. Cristophori monasterio Maria ab Assumptione, Canonissa Regularis Ordinis S. Augustini, in saeculo Antonia Palau Torres, arthritismo laborabat: qui vehementius sub gravis lithiasis renalis forma prodivit, eamque quatuordecim saltem per annos acerbe vexavit.

Insanabilem fuisse, omnibus perpensis aegrotae adiunctis, morbum hunc duo curantes medici edixerunt. Atqui postquam Venerabilis Iosephi Pignatelli patrocinium invocasset, Soror Maria extemplo die 29 Martii

anno .1928 a renali lithiasi et ab omnibus arthritismi consectariis, quibus afflictabatur, perfecte et constanter sanata est.

Miraculum curantes medici, miraculum tres periti a Sacra Congregatione deputati conclamant.

Servato itaque iuris ordine, de his sanationibus apud Emum Cardinalem Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Ostien. et Albanen., causae Ponentem seu Relatorem, in Antepraeparatoria Congregatione die 5 Aprilis mensis anno 1932, deinde in Praeparatoria ad Vaticanas Aedes die 22 subsequentis Novembris coram Rmis Sacri huius Coetus Cardinalibus, disceptatum est. Denique Generalis Congregatio die 14 vertentis Februarii coram Ssmo D. N. Pio Papa XI coacta est, in qua Rmus Cardinalis Relator dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati et Patres S. R. C. Consultores suum, pro sua conscientia, edidere suffragium, quod Beatissimus Pater benigne excepit. Preces Se effudisse dixit, eas tamen ingeminari et ab iis qui aderant, est hortatus, antequam quid de re iudicaret Ipse aperiret.

Supremam Suam editurus sententiam, diem hanc 19 Februarii mensis, Dominicam in Sexagesima, elegit. Opportunum sane consilium. Venerabilis enim Iosephus, uti iam Beatus Paulus Apostolus, multa in animarum salutem patravit, multaque est perpessus: ipseque fuit semen mortificatum, quod *in bonam cecidit terram et fructum centuplum* suo tempore attulit, Societatis Iesu nempe restaurationem, quae tres post annos a Pio VII ea. me., universo catholico orbe plaudente, perfecta est.

Accitis itaque ad Se Rmis Cardinalibus Camillo Laurenti, S. R. C. Praefecto et Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopo Ostien. et Albanen., causae Relatore, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, meque infrascripto Secretario, sacris pientissime operatus, Summus Pontifex edixit: *Constare de duobus miraculis, Venerabili Iosepho Pignatelli intercedente, a Deo patratis;* videlicet: *Instantaneae perfectaeque sanationis* I. *Mariae Berthae Guiu Martinez a tuberculosi pulmonari cum tuberculosi abdominali coniuncta,* necnon: II. *Sororis Mariae ab Assumptione a lithiasi renali.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. R. C. referri mandavit: die 19 Februarii anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

Ii. © S .

A. Carinci, *Secretarius.*

V

Die 27 Februarii

S. GABBIBLIS A VIRGINE PERDOLENTE

CONFESSORIS

Lectio IX legenda iuxta Rubricas

Gabriel, Assisii in Umbria natus, et Franciscus ob Seraphici civis; memoriam vocatus, egregiam animi indolem ostendit. Adoléscens, quum miserentis Dei munere, eum ad perfectiorem vitam jamdúdum invitantis,,, in morbum incidisset, saeculi vanitatem fastidire cepit. Institutum Clericorum a Passióne ampléctens, Gabriel a Virgine Perdolénte maluit appellari ad ejusdem gaudiórum et dolorum memoriam perpetuo recolendam. Ipsam omni obsequii genere percólere, praesertim confectam afflictámque Jesu cruciátibus tam dolenter contemplan solebat, ut vim lacrimárum profunderet. Illibátum virginitátis florem retinuit, et suae sodalitatis asperitate usus, plane mundo crucifixus, unice Deo vixit. Ita brevem vitae cursum omnium virtutum exercitatione conficiens, caritatis incèndio **ve**rius quam vi morbi consumptus, divinaeque Matris ope recreatus, ad Superos evolavit anno millesimo octingentesimo sexagésimo secundo. Eum deinceps Pius Papa Decimus beatorum, Benedictus vero Decimusquintus Sanctorum número accensuit, et Pius Undecimus eius Officium et Missam ad universam Ecclesiam extendere dignatus est.

URBIS ET OBBIS

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI, referente infrascripto Domino Cardinali, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptam lectionem contractam, in festi S. Gabrielis a Virgine Per dolente commemoratione recitandam, rite re vis am approbavit et benigne concessit: servatis de cetero rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Martii 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. © S.

A. Carinci, *Secretarius**.

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

DECRETUM

INSTITUTUM INTERNATIONALE A S. ANSELMO, DE UREE, PONTIFICII TITULO INSIGNITUR.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. XI, referente infrascripto Sacrae huius Congregationis Praefecto, precibus Hlmi ac Emi D. Fidelis De Stotzingen, Abbatis Primatis Ordinis S. Benedicti atque Instituti Internationalis S. Anselmi de Urbe Magni Cancellarii, benigne libenterque annuens, mandare dignatus est ut idem Institutum, in quo S. Theologiae, Iuris canonici, Philosophiae florent Facultates, titulo *Pontificii* exornetur.

Datum Romae, ex aedibus S. Callisti, die xv mensis Ianuarii, in festo S. Mauri Abbatis, anno MDCCCCXXXIII.

C. Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. © S.

E. Rumni, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM. ÞE INDULGENTIIS)

I

DECRETUM

DE FACULTATIBUS INDULGENTIAS PIIS OPERIBUS AUT DEVOTIONIS OBIECTIS ADNECTENDI DEQUE AN ALO GIS QUIBUSDAM INDULTIS, TANTUM DIRECTE A SACRA PAENITENTIARIA IN POSTERUM CONCEDENDIS.

Consilium suum persequens rei sacrarum Indulgentiarum reformandae, cohaerenter cum iam latis identidem hunc in finem postremis hisce temporibus similibus dispositionibus, Sacra Paenitentiaria Apostolica, quo melius ordinentur facultates Indulgentias adnectendi piis quibusdam operibus aut devotionis obiectis et alia quaedam analoga indulta, quibus privati sacerdotes saepe saepius donari postulant, de expresso mandato Ssmi Domini Nostri, sequentia statuit ac decernit:

Concessiones omnes et singulae, piis fidelium associationibus cuiuscumque nominis vel naturae, etsi forte sacerdotibus tantum constantibus, quovis loco aut tempore seu modo vel titulo hucusque factae, largiendi privatis sacerdotibus facultates et indulta quae sequuntur, nempe benedicendi devotionis obiecta eisque Indulgentias Apostolicas aut Sanctae Birgittae, ut aiunt, adnectendi — benedicendi coronas easque (quamque pro suo modo) Indulgentiis ditandi — benedicendi crucifixos ad lucrandas Indulgentias pio Viae Crucis exercitio pro legitime impeditis adnexas necnon ad plenariam in mortis articulo Indulgentiam acquirendam — impertiendi benedictionem papalem in fine concionum —• concedendi indultum, quod dicunt, altaris privilegiati personalis, praesenti Decreto revocantur, abrogantur atque omnino abolentur ita ut ab huius ipsius Decreti evulgationis die omni prorsus vi careant omnique efficacia destituantur.

Qui, igitur, sacerdotes hac vel illa ex supra recensitis facultatibus aut hoc vel illo ex supra memoratis indultis posthac augeri cupiant, nonnisi

directe atque immediate a Sacra Paenitentiaria desideratam gratiam se obtinere posse sciant, oblatis toties quoties peculiaribus proprii Ordinarii ad rem litteris commendatitiis.

Quod vero ad privilegia attinet quibusdam Ordinibus vel Congregationibus religiosis concessa benedicendi coronas easque ditandi Indulgentiis — adnectendi crucifixis Indulgentias Viae Crucis, in aliquibus rerum adiunctis etiam absque stationum percursu lucrifaciendas — stationes Viae Crucis erigendi, haec ipsis manent, ea tamen lege ut in posterum membra eorumdem Ordinum vel Congregationum uti eisdem valeant tantum personaliter, non autem ita ut ea concedere quoque possint aliis sacerdotibus ad eosdem Ordines vel Congregationes non pertinentibus: hi enim omnes facultates, usui talium privilegiorum necessarias, tantummodo a Sacra Paenitentiaria, modo superius indicato, obtinere poterunt.

Contrariis quibuscumque, etiam peculiari atque individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Eomae, ex aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 20 Martii 1933. -

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. © S.

I. Teodori, *Secretarius.*

Il

DECRETUM

PIUM EXERCITIUM, QUOD « HORAM SANCTAM » VOCANT, INDULGENTIIS DITATUR.

Iam diu invectum est largius que in christianum populum inductum pium illud precandi genus, quod vulgo « Horam Sanctam » vocant, quodque eo potissimum spectat, ut Iesu Christi Passionem et Mortem in fidelium animos revocet et ad flagrantissimum eius amorem, quo ductus divinam Eucharistiam suae Passionis memoriam instituit, meditandum colendumque ita eos excitet, ut sua ceterorumque hominum admissa eluant atque expient.

Quapropter Ssmus D. N. Pius div. Prov. XI, cum indictum haud ita pridem Annum Sanctum, undevicesimo exeunte saeculo a peracta humani generis Redemptione, non alio modo auspicari exoptat, quam sollemnem eiusmodi celebrationem supplicationemque in Vaticana Basilica participando, tum hanc opportunitatem nactus, in audientia infra scripto Cardi-

nali Paenitentiario Maiori die xvm mensis Martii anno **MDCcccxxxm** con-©essa, id ipsum piacnlare exercitium indulgentiis, quae sequuntur, ditare dignatus est:

1. *plenaria* christifidelibus omnibus, qui, rite confessi ac sacra Synaxi refecti, in quovis templo aut publico vel, pro legitime utentibus, semipublico oratorio, pium hoc exercitium per integram Horam participaverint itemque ad intentionem Suam oraverint;

2. *partiali* vero *decem annorum* iis qui, saltem corde contrito, publice vel privatim hoc peregerint.

Praesentibus, absque Apostolicarum Litterarum expeditione, in perpetuum valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 21 Martii 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. % S.

I. Teodori, *Secretarius»*

III

DECRETUM

INDULGENTIA DITATUR INVOCATIO QUAEDAM AD SS. REDEMPTOREM

Die 23 Martii 1933

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, in Audientia infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, benigne elargiri dignatus est Indulgentiam partialem trecentorum dierum, a christifidelibus lucrandam quoties invocationem « Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti » saltem corde contrito recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. © S.

I. Teodori, *Secretarius,*

IV

DUBIA

CIECA FACULTATES CONFESSARIIS PEREGRINIS CONCESSAS ANNO VERTENTE GENERALIS MAXIMI QUE IUBILAEI.

Sacra Paenitentiaria ad proposita dubia, quae sequuntur:

Ad futuram rei memoriam. — Expostulavit a Nobis Delegatus Apostolicus Noster in Congo Belgico, nomine tum Ordinarii apostolici Novae Antuerpiae vicariatus, quem Patres ex Instituto de Scheut moderantur, tum Ordinarii praefecturae apostolicae de Ubanghi belga, Ordinis Capuccinorum sodalibus commissae, ut fines inter missiones easdem statutos, nunc immutare dignemur. Nos autem ex dicta immutatione plurima in rem religiosam bona eventura fore censentes, conlatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Bomanae Ecclesiae Cardinalibus, qui rebus explendis Sacrae de Propaganda Fide Congregationis praepositi sunt, omnibusque rei momentis attento seduloque studio perpensis, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore ita inter vicariatum Novae Antuerpiae et praefecturam apostolicam de Ubanghi belga fines statuimus, ut deinceps sic constituantur, nempe: linea quae, devortium aquarum fluminum *Dua* et *Ebola* sequens, incipit a dextero eorum confluenti; dein *Libala* usque ad amnis *Bombolo* ostium; huius vero amnis *Bombolo* cursus usque ad eius scaturigines; linea postea recta ab eisdem scaturiginibus ad confluentiam fluminum *Gbandele* et *Gbabete,* et ab hac confluentia ad fontes fluminis *Kpu,* huius autem fluminis cursus usque ad ostium *Euhune* fluminis; alia dein linea usque ad fontes fluminis *Kele* et ab ipsis fontibus ad scaturigines fluminis *Fen-li;* cursus dicti fluminis *Fen-li* pariter ac fluminis *Lua-Vindi* usque ad ostia fluminis *Guy a;* huius cursus usque ad ostium fluminis *Dibango;* atque hoc postea flumen usque ad eiusdem scaturigines; dein linea versus locum dorso propiorem, quod est inter flumina *Mbari* et *Mbanga;* dorsum denique huiusmodi usque ad dexterum innuentem fluminis *Wolo,* quod ad *Mbari* flumen affluit.

Haec statuimus, praecipimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus

super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvm m. Iulii an. MDCCCCXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status-*

II

ECCLESIA CATHEDRALIS SYDNEYENSIS AD BASILICAE MINORIS DIGNITATEM EVEHITUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter potiores sacras aedes, quibus nobilitatur archidioecesis Sydneyensis in Australia, accenseri merito potest ecclesia cathedralis eiusdem archidioecesis, quae Deo in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae et christianorum Auxiliatricis dicata est. Haec cathedralis ecclesia Sanctae Mariae, apud civitatem Sydneyensem sita, fundata fuit stipe undique corrogata, opem ferente etiam civili gubernio, anno Domini millesimo octingentesimo vicesimo secundo, ut prima et unica ecclesia catholica latini ritus in universo Australiae territorio, per primum regionis illius missionarium bo: me: Ioannem Iosephum Therry. Sed anno MDCCCLXV illud aedificium igne penitus consumptum fuit. Continuo a primo Archiepiscopo Ioanne Beda Polding dirutum templum iterum aedificari coeptum est, et sub Archiepiscopis Vaughan et Moran sacri huius aedificii exstructio continuata est, ita ut anno MDCCCCV insignibus Sanctorum relliquiis ibi conditis, sollemniter Deo quiverit dicari. Praesens autem Archiepiscopus, afíabris additis ornamentis, opus mirifice perfecit, adeo. ut cathedralis Sydneyensis dignissima sedes exstiterit deciminoni internationalis Eucharistici Congressus anno MDCCCCXXVIII sollemni pompa apud praedictam civitatem habiti. Sacra ipsa aedes religiosa supellectile abundat. Adiacet templo Archiepiscopi residentia, quocum octo sacerdotes cohabitant ad servitium divinum omni, quo par est, decore in cathedrali ipsa ecclesia assidue praestandum; nec congruis reditibus eadem sacra aedes caret, praesertim ex conspicuis fidelium oblationibus ad divini cultus splendorem in ecclesiasticis sollemnitatibus iugi studio servandum. Haec animo repetentes, cum venerabilis frater Michael Kelly, hodiernus Archiepiscopus Sydneyensis, Nos enixis precibus flagitaverit, ut enunciatam ecclesiam archidioeceseos sibi commissae cathedralem ad dignitatem Basilicae minoris evehere dignemur: hasque preces

cumulet atque ornet amplissimum suffragium Purpurati Sanctae Bomanae Ecclesiae Patris Congregationi de Propaganda Fide Praefecti, Nos votis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum, ecclesiam cathedralem archidioeceseos Sydneyensis Deo sacram in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae et christianorum Auxiliatricis ad titulum Basilicae minoris dignitatemque evehimus, cum omnibus honoribus ac privilegiis eidem titulo adnexis.

Haec largimur, statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, nunc et in posterum perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate quavis, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Augusti, an. MDCCCCXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. P**ACELLI,** *a Secretis Status.*

III

ECCLESIA B. M. V. DE BONO SUCCURSU PROPE CIVITATEM S. NABORIS IN DIOECESI METEN SI BASILICAE MINORIS TITULO ET PRIVILEGIIS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat in dioecesi Metensi prope, civitatem Sancti Naboris vulgo *Saint-Avola* nuncupatam, templum conspicuis artis operibus excultum sub titulo B. Mariae Virginis de Bono Succursu, eo in loco conditum ubi prostabat vetustissimum sacellum cui filii Sancti Benedicti Naborensis abbatiae olim inserviebant. Cum fideles totius fim> timae regionis illuc frequenti concursu convenirent, antiquam et vetustis^-simam Deiparae statuam ut venerarentur, eiusdem abbatiae sumptibus, saeculo decimo septimo vertente, nova et pulchrior inibi surrexit ecclesia, quae tamen sequenti saeculo exeunte penitus eversa fuit. Nec ideo cessit populi devotio, nam saepius per opaca noctis silentia, clam fideles collapsi templi ruinas inviserunt non sine vitae discrimine, animae potius quam corporis boni ac salutis solliciti. Saeculi vero decimi nom initiis statuami, quam piae mulieres a suprema iactura ereptam, vigili amore servaverant

ac custodierant, denuo fideles collocandam curavere in novo sacello, exiguo tamen ac tenui cultu exornato. Increscente vero in dies feliciter peregrinationum numero, cum memoratum sacellum impar esset omnino peregre confluentium fidelium turbae continendae, bo: me: Augustus Lemire, olim ad Sancti laboris parochus, ad fovendam atque amplificandam christiani populi erga Deiparam Virginem pietatem, adprobante Episcopo Metensi, anno **MDCCCLXXXX**, templi, quod in praesens exstat, fundamenta iecit, et suffultus largitionibus ac muneribus fidelium, immane opus consummavit. Templum sane structurae mole et operibus artis mirandum, ad illud architecturae genus spectat, quod a *Benascentia* appellatur, et in loco edito fundatum, quinque turribus munitum tholoque maximo ornatum, longe lateque prospicitur et quasi specula in. sublimi posita, subter iacentes agros tuetur. Neque interius minori cultu renidet; in parietibus enim vitreisque imaginibus magna arte depictis^ potentia, benignitas ac misericordia Virginis celebratur, templique narratur historia. Quattuor insuper altaribus pollet, quorum in maiore asservatur inclyta Virginis statua, quam supra memoravimus. Adiacent etiam quattuor sacella: unum Sacratissimo Iesu Cordi, alterum Sacrae Familiae, tertium Sancto Sebastiano martyri, quartum denique SS. Quatuordecim Auxiliatoribus dicatum. Crypta autem perampla continet altare unum sub titulo B. Mariae Virginis animas in purgatorio igne detentas excipientis. Tandem in circuita templi quatuordecim conspiciuntur aediculae concinnae, singulae singulis Viae Crucis, sive Calvariae, stationibus dicatae. Non solum ex omnibus dioecesis Metensis regionibus, sed e finitimis quoque provinciis, praesertim quotannis mense Maio, et praecipuis B. Mariae Virginis festis diebus, innumera ad hoc templum fidelium turmae peregre conveniunt ac non raro tria vel etiam quinque peregrinorum millia certis diebus huc confluunt, qui recitatione Ssmi Rosarii, piis religiosis concentibus, aliisque sacris supplicationibus benignissimae Matris caelestis, gratiarum omnium apud Deum sequestrae, opem implorant, vel pro acceptis beneficiis gratias agunt laudesque eius devoto gratoque animo concinunt. His omnibus rite perpensis, hodiernus Episcopus Metensium humiles enixasque Nobis adhibuit preces, ut dictum sanctuarium ad Basilicae minoris dignitatem evehere dignaremur, addens sibi spem esse prope certam, futurum ut ipsum templum, nova hac dignitate per Nos insignitum, magis ac magis evadat cultus Deiparae debiti centrum ac fidei morumque christianorum arx inespugnabilis. Haec animo repetentes, cum adiectas preces cumulet atque ornet gravissimum suffragium dilecti filii Nostri Camilli Sacrae Romae Ecclesiae Cardinalis Laurenti, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti, iisdem annuendum benigne existimavimus; ideoque motu proprio

atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum, ecclesiam Beatae Mariae Virgini sub titulo de Bono Succursu dicatam, prope civitatem Sancti Naboris, intra dioecesis Metensis fines, ad dignitatem et honorem Basilicae minoris evehimus, cum omnibus privilegiis eidem titulo convenientibus.

Porro haec statuimus atque edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxxi *m.* Augusti, anno **MDCCCCXXXII**, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. **PACELLI,** *a Secretis Status.*

IV

SANCTUARIUM B. M. V. IN CAELUM ASSUMPTAE VULGO « TA PINU » DIOECESIS GAUDISIENSIS, BASILICAE MINORIS HONORIBUS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Beiert ad Nos venerabilis frater Gaudisiensium Episcopus, intra limites loci *Garbi* nuncupati in dioecesi sua, sanctuarium exstare, quod vulgo *Ta Pinu* vocatur. Ipsum quidem sanctuarium iam saeculo decimo septimo exstructum est loco antiquioris sub Beatissimae Mariae in caelum Assumptae titulo sacrae aedis, quae ob diuturnae bella inter Equités Sancti Ioannis Hierosolymitani et Mahumetanos multum iniuriae atque etiam ruinam passa erat. Prope vero eiusdem sanctuarii absidem post annum **MDCCCLXXXVH** aliud magnificum templum iterum exaedificatum est, Gaudisiensis Episcopi omniumque civium tum Oaudisiensium tum Melitensium cura, grati animi causa erga Sanctam Dei Genetricem, cum Beatissima Virgo sospita civitatem Gaudisiensem servavit immunem a terribili lue, quae totam Melitensem insulam anno eodem **MDCCCLXXXVII** vastavit. Continenti propterea pietate christifideles non modo e Gaudisiensium civitate, sed e tota Melitensi insula templum Mariale praedictum celebrant; ibique, religiosis functionibus frequentes adstantes, peculiari modo Beatam Mariam Virginem titulo in caelum

Assumptam venerantur. Nunc autem cum Gaudisiensem Episcopus, clero populique dioecesis suae vota Nobis amplissime commendane, Nos enixe rogaverit, ut ipsum novum templum seu sanctuarium Gaudisiensi Beatae Mariae Vkginis Nostrae Dominae *Ta Pinu* in caelum Assumptae,-molis amplitudine et conspicuis artis operibus perinsigne, nec non pietatis religionisque civium sollemne monumentum, titulo Basilicae minoris de benignitate Nostra apostob'ca condecorare dignaremur: Nos, ut fidelium amorem devotionemque erga Deiparam, studium atque in provehendo' divino cultui diligentiam foveamus, huiusmodi supplicationibus concedendum libenti quidem animo censemus. Quae cum ita sint, conlatis consiliis cum dilecto filio Nostro Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinali Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, motu proprio atque ex certa scientia-et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis-plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum, enunciatam ecclesiam seu sanctuarium Beatae Mariae Virginis [Nostrae Dominae *Ta Pinu* in caelum Assumptae, dioecesis Gaudisiensis intra fines, dignitate ac titulo Basilicae minoris honestamus, cum omnibus et singuli» privilegiis atque honoribus eidem titulo convenientibus. Contrariis non. obstantibus quibuslibet.

Haec largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his **a** quovis auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxxi m. Augusti, anno **MDCCCCXXXII** Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. P**ACELLI,** *a Secretis Status.*

EPISTOLA

AD E. P. D. IOANNEM DOMINICUM AENGENENT. EPISCOPUM HARLEMENSEM, QUINTO EXEUNTE SAECULO AB OBITU BEATAE LIDUINAE VIRGINIS.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Non sine admirando divinae Mentis consilio id prospere contirget, ut, ipso sacro caelesti Victimae ineunte anno, feria quidem sexta maioris hebdomadae, quintum ab exitu beatae Liduinae virginis saeculum compleatur.

Quid enim magis huic tempori conveniens videtur, quo fideles studiosius ad Dominicam passionem intuendam imitandsmque excitentur, quam insigne huius patientis animi expiantisque exemplum revocare et ante omnium oculos afierre? Ista enim fortis hollandensis virgo non modo tot tamque diuturnos subiit dolores perpessaque est, sed ultro eosdem concupivit et excepit perlibenter, ut Christo crucifixo fidelius conformaretur et hostia sancta ad illatas Deo iniurias compensandas quotidie ofierretur. Hac itaque tempestate, quando tanta difficultatum aerumnarumque moles genus hominum universum corripuit, idemque premit iugiter superque excruciat, quando tanta patientia animique fortitudine ad res adversas perferendas opus est, piam istam saecularis eventus celebrationem peridoneam ducimus ac Nostra participatione libentes confirmamus. Quo autem exinde uberiores salutis fructus fideles isti percipiant, tibi, venerabilis frater, facultatem damus statuta die adstantibus nomine Nostro benedicendi, plenamque admissorum veniam ad Ecclesiae praescripta eisdem proponendi. Horum interea caelestium munerum auspex Nostraeque praecipuae dilectionis testis apostolica sit benedictio, quam tibi venerabilis frater, cunctoque clero populoque tuae vigilantiae commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Ecmae apud Sanctum Petrum, die iv mensis Aprilis, anno **MDCCCCxxxni,** Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

i

NOVAE SEGOBIAE

DISMEMBRATIONIS DIOECESIS ET ERECTIONIS PRAELATURAE APOSTOLICAE « MONTANAE)).

DECRETUM

Quo facilius consuli posset conversioni et saluti paganorum, qui maxima ex parte incolunt provinciam nuncupatam « Montanam», intra dioecesim Novae Segobiae sitam, opportunum visum est, ut eadem provincia e dioecesi Novae Segobiae distraheretur et in praefecturam apostolicam erigeretur. Quapropter Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI, suffragantibus huius Sacrae Congregationis Emis Patribus, attento quoque voto Excmi D. Gulielmi Piani, Archiepiscopi Dramensis, Delegati Apostolici in Insulis Philippinis et consensu R. P.D. Iacobi C. Sancho, Episcopi Novae Segobiae, et suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine, civilem provinciam Montanam appellatam a dioecesi Novae Segobiae distrahit et in praefecturam apostolicam, « Montanam » nuncupandam, erigit et constituit; cuius fines iidem erunt ac fines civiles quibus ipsa provincia «Montana» continetur; nimirum ad orientem fines occidentales provinciarum *Cagàyan, Isabela, Nova Vizcaya,* dioecesis Tuguegaraoanae; ad septentrionem fines partis superioris eiusdem provinciae de *Cagàyan;* ad occasum fines orientales provinciarum *llocos Norte, Abra, llocos Surre, La Union,* dioecesis Novae Segobiae; ad meridiem fines septentrionales provinciae *Pangasinam.* Sedem autem praefecturae apostolicae in urbe *Baguio* eadem Sanctitas Sua constituit. Hanc autem novam praefecturam apostolicam Sacrae Congregationi de Propaganda Fide prout de iure subiicit. Hisce autem super rebus idem Ssmus Dominus praesens Consistoriale decretum edi iussit perinde valiturum ac si desuper Litterae sub anulo Piscatoris expeditae forent.

Ad omnia vero haec et singula exsecutioni mandanda, Beatissimus Pater deputare dignatus est eumdem Delegatum Apostolicum in Insulis Philippinis, eidem tribuens necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet -virum in ecclesiastica digmtate constitutum, atque controversias dirimendi in exsecutionis actu exorituras; onere eidem insuper iniuncto ad Sacram Congregationem Consistorialem intra annum, a data huius decreti computandum, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis mittendi.

Datum Bomae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 15 Iulii 1932.

fr. B. C. Card. Bossi, *Secretarius.*

L. © S.

V. Santoro, *Adsessor.*

II

PARISIENSIS ET VERSALIENSIS

COMMUTATIONIS FINIUM DIOECESIUM

DECRETUM

Emus ac Revmus Dominus Ioannes S. B. E. Presb. Card. Verdier Archiepiscopus Parisiensis, plene assentiente B. P. D. Beniamino Boland-Gosselin Episcopo Versaliensi,- ab Apostolica Sede petiit, ut pars territorii pagi Ruellii, nuperrime separata a regione civili, quae a Sequana Isaráque vocatur et pago Suresnorum attributa, in regione a Sequana nuncupata, separetur quoque a paroecia Ruelliensi, ad dioecesim Versaliensem pertinente, et adiungatur perpetuo paroeciae pagi Suresnorum, ad archidioece^-sim Parisiensem spectanti, adeo ut fines earundem dioecesium hac ratione immutentur et finibus quoque civilium regionum perinde ac antea conveniant. Porro Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI, probe cognoscens huiusmodi postulationem in bonum animarum cedere, praehabito favorabili voto Excíñi Domini Aloisii Maglione, Archiepiscopi Caesariensis in Palaestina et Apostolici Nuntii in Gallia, porrectis precibus benigne annuere dignatus est. Quapropter praesenti Consistoriali decreto statuit Ut memorata pars territorii pagi Buellii a paroecia Ruelliensi et a dioecesi Versaliensi distrahatur atque perpetuo adiungatur paroeciae pagi Suresnorum et archidioecesi Parisiensi.

Ad haec vero exsecutioni mandanda idem Ssmus Dominus eumdem Excmum Nuntium Apostolicum deputare dignatus est cum facultatibus

necessariis et opportunis, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere mittendi intra tres menses a subsignata die computandos ad hanc Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae executionis.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 20 Ianuarii 1933.

fr. E. C. Card. Bossi, *a Secretis.*

L. © S.

V. Santoro, *Adsessor.*

SACRA CONGREGATIO C0$

AVERSANA

MATRI CITATIS

Die 13 Iunii 1931

SPECIES FACTI. — In oppido cui nomen *C aivano,* intra fines Aversanae dioecesis, duae exstant paroeciae, altera S. Petri Apostolorum Principis nuncupata, cui inest maior pars territorii et incolarum, altera S. Barbarae Virginis et Martyris. A tribus iam saeculis, inter utramque quaestio exarsit — quae, interiectis silentii temporibus, pluries excitata est — quaenam earum esset maior.

Nuper Episcopus Aversanus die 4 Februarii 1929 decretum tuht, quo « lasciando impregiudicata la questione, se la chiesa parrocchiale di S. Pietro Apostolo debba dichiararsi e riconoscersi quale *maggiore* relativamente a quella di S. Barbara », haec statuit: « 1) che ciascuno dei sigilli parrocchiali delle dette chiese porti nel mezzo la effigie del Santo titolare della parrocchia con la scritta: *Chiesa parrocchiale di...... C aivano;* 2) che nella chiesa dell'Annunziata o Purgatorio, sita nell'ambito della parrocchia di S. Barbara, non abbia alcuna giurisdizione o diritto il parroco di S. Pier tro; 3) che la processione del *Corpus Domini,* giusta l'immemorabile consuetudine, si faccia dalla sola parrocchia di S. Pietro; e che alla consueta processione di S. Pietro, patrono *aeque principalis* di Caivano, intervengano tutti quelli che son tenuti ad intervenire alla processione del *Corpus Domini;* 4) che il suono delle campane nel Giovedì Santo e Sabato Santo venga

opportunamente regolato, in maniera che la parrocchia di S. Pietro abbia la preferenza su quella di S. Barbara». Tunc parochus S. Barbarae ad hanc Sacram Congregationem provocavit.

Utraque pars documenta ad sua iura tuenda exhibuit, quorum praecipua, a parocho S. Petri allata, haec sunt: 1) vetus quoddam documentum anni .1186, in quo fit mentio de terra ecclesiae Sancti Petri de Caivano, dum anno 1349 primum commemoratur ecclesia S. Barbarae de villa Cai vani, in Bulla episcopali eiusdem anni; 2) praeterea usque ad saeculum xvi unicam fuisse ecclesiam paroecialem in eodem oppido, eamque Sancti Petri, ex actis colligitur sacrae Visitationis anno 1542, ab Episcopo Colonna initae, ubi haec leguntur: «Visitavit ecclesiam parochialem Sancti Petri de Caijvano et proprie visitavit Ssmum Sacramentum, quod invenit etc., visitavit ecclesiam S. Barbarae terrae Caijvani sine Sacramento »; 3) Episcopus Mansoli anno 1588 relationes inter utrumque clerum decreto moderavi c, quo praecedentia fit cappellanis S. Petri; et anno 1676 contra parochum S. Barbarae actum est, cum processioni S. Petri non interfuisset. His accedunt plura documenta saeculorum **XV** et **XVT,** in quibus ecclesia S. Petri nuncupatur maior, principalis, matrix.

Ex adverso parochus S. Barbarae pervetustam esse suam ecclesiam in primis deducit ex quadam collectoria anni 1308, in qua cappellanus S. Barbarae de villa Cai vani S. Sedi taros VII solvisse dicitur. Item ex Bulla Martini V diei 23 maii 1423 arguitur omnimoda independentia eandem frui, cum iurisdictio parochi S. Petri intra fines castri Caivani coerceretur, dum aliarum paroeciarum extra castrum pateret. Immo constat inter utramque exstitisse paroeciam S. Mariae de Campiglione, quo excluditur paroeciam S. Barbarae a S. Petro fuisse dismembratala. Befutat denique allata a parocho S. Petri documenta, utpote non concludentia, vel ad aliam significationem detorsa.

Ad rem quod attinet, memorare iuvat in plenariis comitiis diei 23 Februarii 1907 quaestionem quandam huic affinem propositam fuisse ac resolutam. Nam dubio: *an suppressus conventus Capuccinorum una eum ecclesia eidem adnexa spectet iurisdictioni parochi S. Petri loci Caivano, vel potius parocho S. Barbarae, in casu ;* Emi Patres huius S. Congregationis responderunt: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, salvo tamen parocho S. Petri, qua parocho ecclesiae matricis, iure peragendi consuetos sacras functiones in ecclesia Spiritus Sancti.*

A**D IUS QUOD ATTINET**. — Animadvertendum in primis est in memorata decisione diei 23 Februarii 1907, mentem non fuisse huius Sacrae Congrega-

tionis quaestionem, de qua nunc agitur, dirimendi. Decertabatur enim de iurisdictione paroeciali super antiquum Capuccinorum coenobium, idest intra cuius paroeciae territorium conventus ille ante secutam suppressionem exstaret. Et documenta, a partibus allata, proindeque rationes decidendi vel ex pervetusta delimitatione finium utriusque paroeciae deprompta sunt, vel ex actis iurisdictionis super idipsum coenobium, saltem ex. legitime inducta consuetudine exercitis. Quaestio proinde de matricitate ecclesiae S. Petri, incidenter quidem, sed nec directe, nec formiter fuit obiectum resolutionis huius Sacrae Congregationis, et ratio decidendi nil influit in ipsam decisionem.

Quod vero matricitatem spectat, nomen *matricis,* uti notum est, univocum non est, sed modo largiore, modo strictiore significatione accipitur. Ad rem Card. De Luca: « Tripliciter ecclesia solet dici matrix. Primo nempe potius improprie..., quia ob parochiae ampHtudinem aliae erigantur, vel destinentur ecclesiae inferiores intra eius limites exsistentes, ... absque tamen earum f ormali erectione in titulum. Et, tunc quamvis istae ecclesiae vulgo dici soleant filiales, ipsaque parochia antiqua comparative dicatur matrix, attamen ista est impropria locutio... Altera est species ecclesiae matricis, comparative ad alias parochias in loco exsistentes, ab ea tamen independentiam habentes, quae tales dicantur ratione antiquitatis, sive alicuius maioris praeeminentiae, et haec pariter improprie matrix dicitur... Tertia demum est species casus praecisi, in quo proprie una dicitur matrix comparative ad alteram uti filiam, ubi scil. ex una parochia efficiantur duae vel plures, quoniam prima revera est aliarum mater, dum ex eius territorii ac populi parte aliae efformatae sunt» *(De Decimis,* disc. 12, nn. 12, 13).

Quapropter, quamvis iurisprudentia canonica non semper sibi constans fuerit in definienda matricitate proprie dicta, ex supra relatis colligitur eandem tunc haberi, cum: 1) filialis paroecia per dismembrationem a matrice processit; 2) filialis in titulum erecta est; et proinde 3) omnino independens est a matrice in exercitio curae animarum (S. E. Bota, *Caietana-Matr icitatis* diei .10 Augusti 1917). Nec satis; iuxta plures sententias Rotales, praeter recensita, requiritur quoque ut ecclesia filialis de reditibus et proventibus matricis sit dotata. Codex vero, haec simul componens, in can. 1427 § 4 praescribit: «Si vicaria perpetua aut nova paroecia dotetur ex reditibus ecclesiae a qua dividitur, debet matrici honorem deferre, modo et finibus ab Ordinario praestituendis ».

Quaestio proinde de vera et propria matricitate ecclesiae S. Petri omnis in hoc est, num ex ea dismembrata aut dotata fuerit ecclesia paroecialis S. Barbarae. Iamvero factum dismembrationis ab originario eiusdem documento praecipue probatur, et, cum hoc desit, aliis signis et documentis^

quae tamen adeo concludentia et univoca esse debent, ut nec alium sensum aut interpretationem recipere, nec ad aliam causam referri omnino possint (cf. allatam decis. S. E. Eotae).

Nam ex bis alia sunt signa *recognitionis,* quae praeseferunt nempe retentionem reliquiarum antiqui dominii et iurisdictionis ecclesiae matricis, uti ius funerandi, ius decimandi, ius percipiendi a filiali annuum censum vel canonem etc.; alia sunt *simpliciter reverentialia,* quae nempe simplicem praerogativam et praeeminentiam important. Illa, uti plurimum, sunt signa univoca verae et propriae matricitatis, haec signa tantum aequivoca, ex quibus argui potest « illa matricitas, magis remota et impropria, resultans ex eo quod, vel ratione antiquitatis, vel ex alio respectu, esset ecclesia maior in loco, ideoque confunderetur terminus matricis cum illo maioris vel primae in ordine » (De Luca, *De praeem.,* disc. 42, n. 12).

In casu autem de quo agitur, nullum authenticum documentum allatum est, quo constet ecclesiam S. Barbarae a S. Petro fuisse dismembratala aut dotatam; signis proinde arguenda et probanda esset adserta huius ecclesiae matricitas. At ex his nullum prostat vestigium alicuius iuris decimandi vel funerandi, quo potita sit ecclesia S. Petri in ecclesiam S. Barbarae, vel alicuius annuae praestationis, ab hac solutae, in signum subiectionis, quod antiquitus maxime in usu erat. Allata signa et documenta, antea recensita, simpliciter esse reverentialia patet, utpote nempe referibilia ad quandam praeeminentiam vel maioritatem ecclesiae S. Petri ratione antiquitatis, vel aliis circumstantiis. Et hanc praeeminentiam decreto diei 4 Februarii 1929 Episcopus Aversanus recognovit, firmavitque, relationes inter utramque paroeciam componendo.

BESOLTJTIO. — His omnibus perpensis, in plenariis comitiis huius Sacrae Congregationis, die 13 Iunii 1931 habitis, proposita sunt haec dubia solvenda:

I. *An constet de matricitate ecclesiae S. Petri, in casu.*

Et quatenus negative:

II. *An saltem constet de eius maioritate, in casu.*

Et Emi Patres responderunt:

Ad I: *Non constare.*

Ad II: *Ad mentem. Mens est ut servetur decretum Curiae diei 4 Februarii 1929.*

Facta autem de his Ssmo Dno Nostro Pio div. Prov. Pp. XI relatione per Secretarium huius Sacrae Congregationis in audientia diei 24 Iunii 1.931, Sanctitas Sua hanc resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

• i

LUCEN. IN ITALIA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI GEMMAE GALGANI, VIRGINIS SAECULARIS

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

« Via quae ducit ad vitam, scribit S. Bernardus, trifaria distinguitur. Est enim alia sanguinea, aña purpurea, alia láctea. Sanguinea in martyribus, qui in sanguine Agni suorum corporum indumenta laverunt j et per iter martyrii triumphans aititudinis solium attigerunt. Purpurea est in confessoribus, qui in sua carne vestigia dominicae passionis per abstinentiam expresserunt, et in suis corporibus vulnerum Christi stigmata portaverunt. Láctea in virginibus, quae in seipsis puritatis angelicam candidatum, et virtutes sanctimoniae consecraverunt, et per viam munditiae ad amplexus et thalamos veri sponsi virtutum pennis feliciter evolarnnt » (S. Bern., *Sententiae,* ed. Lugd., 1530, pag. 120 verso).

- Ven. Gemma Galgani per alteram et tertiam viam ad dilectissimi Sponsi sui Iesu Christi amplexus virtutum pennis feliciter evolavit. Etenim adeo per abstinentiam et per iuge patiehdi studium in corpus suum desaeviebat, ut passionis Christi signa in animo suo potenter imprimeret, et in eius contemplanda passione, S. Pauli a Cruce insignis aemulatrix facta, in Sponsi sui amore colliquefieret. Par eius erat innocentia et purissimae animae candor. Unde merito et de Venerabili Gemma, uti de S. Aloisio Gonzaga, praedicari potest eam *miram vitae innocentiam vari cum paenitentia* sodasse. Beata eius mors die 11 Aprilis 1903 Lucae evenit.

Virtutes heroicitatis gradum attigisse, die 29 Novembris a. 1931 decretum est.

Post eius mortem, innumera seu miracula seu gratiae ubique terrarum a Deo per eius intercessionem patrata feruntur. Ex his duas sanationes delegerunt actores, quae veri miraculi notas prae se ferre visae sunt, easque, ut ad eius beatificationem prona fieret via, Sacro huic Ordini exhibuerunt. Quapropter super his sanationibus Apostolica auctoritate adornati sunt processus, de quorum iuridica vi, per Sacrae huius Congregationis decretum, die 2 Martii mensis anno 1932 latum, constat.

De his itaque miris sanationibus est disceptatum. Prior in Maria Menicucci habita est. Mulier haec rheumatica, seu arthritica diathesi affecta, sinovite in dextero genu iam ab anno 1884 tentari coepit. Decem et novem post annos, praesertim ob frequentes in gradiendo casus, morbus gravior factus est, licet aliquoties de sua malitia parumper remitteret. Morbus curantibus medicis, arthrosinovites traumatica definitus, omnibus perpensis circumstantiis insanabilis habitus est, aut vix post longas adhibitas curationes sanabilis. E contrario aegrota Yenerabilem Gemmam Galgani enixe exorat, de eius reliquiis infirmo genu admovet, et novendiales preces effundit. Nono die, persistentibus adhuc morbi symptomatibus, de repente se perfecte sanatam sentit, et liberam ambulandi, scalas ascendendi et descendendi facultatem recuperat. Sanatio perfecta perstitit. Duo curantes medici, et tres ab hac Sacra Congregatione adlecti periti miraculum conclamant.

Sacerdos Ufyxes Fabrizi annos natus septuaginta quinque in dextera tibia ob trauma pellis decorticationem est passus, quae, ob varices quae suberant, in varicosum ulcus est conversa: quod ulcus omnibus curationibus restitit, quin immo adeo increvit et in peius ruit, ut de sacerdotis vita merito timeretur. Tantae erat dimensionis hoc ulcus, ut saltem duodecim centimetris in longitudinem et septem in latitudinem pateret.

Pessimis in conditionibus die 26 Novembris anno 1919, postmeridianis horis, ulcus se prodibat, uti de visu testes in iudicio deponunt. In instanti, ut patet, tanti ulceris sanatio impossibilis evaserat. Verum invocata Venerabili Gemma, paucas post horas, h. e. de mane diei 27 Novembris, ulceris loco, recens cicatrix est inventa, et integra plaga tenui et subrubea pelle cooperta.

Unanime est peritorum iudicium in miraculo agnoscendo.

Servatis itaque omnibus de iure servandis de his sanationibus primum apud Rmum Cardinalem Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Ostien. et Albanen., Causae huius Ponentem seu Relatorem die 26 Aprilis anno 1932, in Antepraeparatoria Congregatione disceptatum est: deinde coram Rmis Cardinalibus die 25 Octobris anni eiusdem in Praeparatoria. Generalis denique die 31 Ianuarii nuper elapsi habita est Congregatio coram Smo D. N. Pio Papa XI-, in qua tum Rmi Cardinales, tum Officiales Praelati et PP. Consultores suam quisque protulit sententiam. Beatissimus vero Pater suam edere distulit, et adstantes, ut preces secum ingeminarent, lumen a De implorandi causa, hortatus est.

Dominicam hanc diem, quintam post Epiphaniam, inditae Catanensi Virgini S. Agathae sacram, elegit, ut decretum hoc promulgaretur. Quare Rmos Cardinales Camillum Laurenti, S. R. C. Praefectum, et Ianuarium

Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Ostien. et Albanen., Causae? Relatorem arcessiri iussit, nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem, meque infrascriptum Secretarium, Sacraque litata Hostia, hisce adstantibus pronunciavit: *Constare de duobus miraculis, Venerabili Gemma Galgani intercedente, a Deo patratis* nempe: *Instantaneae perfectaeque sanationis tum Mariae Menicucci ab arthrosinovite thraumatica decoteri genu, tum sacerdotis TJlyxis Fabrizi a gravi ulcere varicoso in dextera tibia.*

Hoc autem decretum in acta S. R. C. referri et publici iuris fieri mandavit.

Die 5 Februarii anno Domini 1933.

C. Card. L**AURENTI,** *Praefectus.*

Tu. © S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI BEI IOSEPHI MARIAE PIGNATELLI SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto *procedi possit ad praedicti Venerabilis sollemnem Beatificationem.*

Clarum genere, virtute clariorem datur hodie mirari virum, quem asperrimis temporum procellis diu direque exagitatam Deus, inter adversa, inirifice sustentavit, suaque gratia ad sanctitatis culmen evexit: Venerabilem dicimus Iosephum Pignatelli, sacerdotem professum Societatis Iesu. Is nobilissima prosapia Caesaraugustae in Hispania ortus, avitae domus divitiis commodisque posthabitis, trilustris adolescens Societati Iesu se adiunxit, ut in ea sub Christi Regis, vexillo, ad maiorem Dei gloriam totus incumberet. Strenuum sane militem sibi Deus praeparabat, qui, imminentibus iam novis contra Ecclesiam et Societatem Iesu bellis, bonum certamen certaret, suisque, adventante discrimine, praesidio foret ac solamini. Quod quidem incredibili animi fortitudine ac simul serenitate, aspirante intus caritate Christi, mirabiliter praestitit, erecto semper animo, contra impetum succedentium tempestatum obsistens.

Pulsos ex Hispania confratres voluntario exsilio sequutus, aerumnosa maris peregrinatione huc illuc iactatos, nec habentes ubi quiete consistèrent, consilio, opera, pecunia, fraterno incensus amore, iuvit, donec eos tandem, laboribus fractos, ac morte imminutos, Ferraría in Pontificia, ditione tranquillo domicilio excepit.

Sed iam asperior ingruebat adversitas, Societatis Iesu suppressio. Neque tamen in eo summo discrimine turbatus animo plus aequo est, sed perculsos dolore fratres supernae sapientiae verbis in spem erexit. Et sane, eo incidente casu, nescias quid mireris magis, an plenissimum Servi Dererga Apostolicam Sedem obedientiae obsequium, an fidelissimum eius in Societatem Iesu amorem. Quo ex utroque coniuncto eius animi studio, accedente eius prudenti consilio, actuosa opera ac praesertim spectatissima vitae sanctitate, factum est, ut instaurandae suo tempore Societati, in eius pristinis ac genuinis lineamentis, via feliciter complanaretur.

Cuius sanctitatis specimen rursus enituit, quum, gallicae perturbationis motibus ac subsequutis dein bellis, Italia ipsa contremuit. Fulgide tum praesertim eius apostolici animi zelus apparuit, quo, ut primum ipsi licuit, in Parmensi Ducatu ac postea Neapoli et Romae ad animarum salutem fructuose adlaboravit, omnium in se animos convertens.

Quibus difficillimis temporibus effusissima item eius liberalitas effulsit, qua, urgente Christi caritate, omnimodas calamitates ita largiter sublevabat, ut res prodigio similis videretur. Par enim eius erat animi contra adversa fortitudo et actuosissima erga afflictos misericordia, utramque sustentante immutata, quam fovebat, in Deum fiducia.

Qua in re filialis eius in Summum Pontificem pietatis testimonium praetereundum non videtur.

Quum enim sa. me. Pius VI ab Urbe violenter abductus, captivus aerumnoso itinere in Galliam duceretur, Florentiae primum, dein Parmae, ubi Pontifex infirmus brevi constiterat, eum Servus Dei tenerrima complexus caritate, non solum filialis sui amoris sensibus recreavit, sed bis eius paupertate amplissimo subsidio subvenit. Quin immo, et Parmensem Ducem apostolica libertate graviter reprehendit, quod imperio, contra omnem humanitatem sibi dato, novo itineri infirmum Pontificem ad destinatum ei exilium committendi, obtemperasset.

Qui vero nunc, eiusdem nominis undecimus, Summus Pontifex Ecclesiam gloriose regit, Servo Dei, honores ei tam amplos pro meritis hodie decernendo, decessoris Sui velut vices rependere videtur.

Equidem post eius mortem, quam pie, quartum supra septuagesimum annum agens, die 15 Novembris mensis anno 1811, Romae obivit, sanctitatis fama, qua vivus inclaruerat, latius increbuit.

Quare, Gregorio XVI sa. me. in Petri Cathedra sedente, apud S. R. C. eius causa introducta est. Benedicti XV fel. rec. auctoritate eius virtutes fuisse heroicas, die 25 Martii mensis anno 1917 decretum est: duas, quas diligentissimi actores exhibuerunt, sanationes vera esse miracula die .19 nuper elapsi mensis, Ssmo D. N", probante, est pariter decretum. Unum itaque, ut ad ei decernendos Beatorum honores gradus fieret, discutiendum dubium supererat, videlicet: *An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione,* tuto *procedi possit ad praedicti Venerabilis sollemnem Beatificationem.*

Dubium hoc, cum in Generali sacrorum Rituum Congregatione, coram Ssmo D. N. die 25 Februarii mensis hoc anno habita, Rmus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte discutiendum proposuit, Rmi Cardinales, Officiales Praelati et Patres Consultores in unanimem affirmativam sententiam convenerunt. Sanctitas vero Sua usque ad diem hanc Dominicam secundam in Quadragesima, natali quoque sancti decessoris sui Gregorii Magni sacram, iudicium proferre distulit.

Singulari porro laetitia inclita Societas Iesu gestit, quum hunc tam fidelem sodalem, quem merito veluti alterum Parentem salutat, super candelabrum in Ecclesia ad collucendum extolli conspiciat, hac feliciter recurrente die, duodecima Martii mensis, qua sollemnis canonizationis honores legifero Patri Ignatio nec non et aliis hispanis Francisco Xaverio alteri Sodali suo, Teresiae a Iesu, et Isidoro agricolae, tributi olim fuerunt. Faxit vero Deus ut nobilis catholica Hispania, pristinae gloriae memor, iis filiis augeri laetarique iterum gaudeat, qui tantum ei decus addidere, et tam amplam spiritualium bonorum copiam attulere. *Reminiscere miserationum tuorum, Domine,* cum universa Ecclesia humiliter adprecetur, *ne umquam dominentur nobis inimici nostri.* (Introit. Miss. Dom. II in quadrag.).

Accitis itaque Rmis Cardinalibus Camillo Laurenti, S. R. C. Praefecto, et Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopo Ostien. et Albanen, causae Relatore, nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore generali meque infrascripto Secretario, divino Eucharistico sacrifìcio pie oblato, Ssmus D. N. Pius Papa XI edixit: « Tuto *procedi posse ad sollemnem Venerabilis Iosephi Pignatelli Beatificationem* ».

Hoc autem decretum promulgari, in acta S. R. C. referri, litterasque Apostolicas sub anulo Piscatoris de Beatificationis sollemniis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis expediri mandavit.

Datum Romae, die 12 Martii anno Domini 1933.

O. Card. LATJRENTI, *S. B. G. Praefectus.*

L. © S.

A.. Carinci, *Secretarius.*

III

PARISIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI CATHARINAE LABOURÉ E SOCIETATE PUELLARUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto *procedi possit ad praedictae Venerabilis sollemnem Beatificationem.*

- Dives in misericordia Deus, *adiutor in opportunitatibus* (Ps. 9, 9), inter cetera quae Ecclesiae suae in terris laboranti praestat divini roboris adiumenta, insignes sanctitate viros per decurrentium temporum spatia identidem suscitare consuevit, qui, virtute accepta ab alto, ingruentibus necessitatibus mirifice succurrerent. Hinc contra exortas et gliscentes haereses Doctores per saecula suscitavit, qui doctrinae gladio eas repellerent: contra morum asperitatem et immunitatem sive barbarorum sive etbnicorum ad fidem conversorum, monachos, qui eorum animos christiana suavitate mulcerent: contra terrenarum rerum studia, mendicantium Ordines, qui arctam paupertatem profitentes, caelestes divitias verbo et exemplo terrenis praeferre docerent: contra decimisexti saeculi novatores, qui ipsa christianae religionis fundamenta subvertere conabantur, Clericorum regularium Ordines, qui, docendo et adolescentium animos educando, et fidem et mores in christiana societate instaurarent. Decimoséptimo saeculo, erroribus bellisque gliscente aetate, Vincentium a Paulo inaestimabili dono Galliae dedit, immo et Ecclesiae universae, divinae largitatis dispensatorem magnificum et romanae fidei assertorem invictum. Is imaginis Filii Dei conformis factus, ea magnitudine animi spatia caritatis dilatavit, ut omnes, quotquot suorum temporum miseriae homines divexabant, amplecti ad succurrendum novo prodigio visus sit. Porro milha millium hominum, qui egestate aerumnisque conficiebantur, incredibilis eius caritatis beneficia senserunt. Quae beneficia, futuris prospiciens temporibus, per filios suos «Presbyteros Missionis » « Filiasque » suas, « a Caritate » appellatas, quin de fere innumeris rivulis, qui ab eo procedunt, sermo habeatur, in aevum perennavit. *Filias a Caritate* dicimus, quae ad quadraginta millia, veluti candidae columbae ex mystica arca demissae, omnibus per orbem mirantir bus et stupentibus gentibus, pacis nuntiae et omnimodae caritatis adminir strae fiunt.

Praecipuis Societatis huius filiabus merito Venerabilis Catharina Lar bouré adnumeratur, quae in pago *Fain-les-Moutiers* anno 1806 nata,

et in familiae suae sinu erga Deum et beatam Virginem pietate enutrita, huic Societati meruit cooptari; pacis autem nuntia et caritatis administra insignis ab eadem sanctissima Virgine electa est. Etenim, dum inter tirunculas in Parisiensi, quod vocant, sui Instituti seminario ad religiosam vitam se comparabat, anno .1830, Iulio mense prius, dein, et praesertim, die 27 Novembris anno eodem, mira eiusdem B. M. V. Immaculatae dignata est apparitione, quae sacri numismatis cudendi curam ei concredidit. Mandatum hoc per sui spiritus moderatorem est quidem exsecuta, arctissimum tamen tum de accepto mandato, tum de apparitionibus a se habitis, per quadraginta sex annos humillima virgo silentium servavit. Numisma hoc, Mariae Immaculatae imaginem referens una cum pia invocatione, christiani populi animos ad adventantem dogmaticam Immaculatae Conceptionis definitionem opportune inter cetera comparavit, et innumeras omne genus gratias et miracula largissime etiamnum effundit.

Haec, quae Deus per numisma hoc operabatur prodigia, piissima virgo probe noscebat, sed, quin alta de se sentiret, *nesciri et pro nihilo reputari (Im. Chr.)* amabat, et omnia humillima officia ab obedientia sibi concredita, in simplicitate et effusissima caritate, iuxta sui legiferi patris praecepta, hominibus ignota per totum vitae curriculum adamussim implevit. Tota enim Catharinae sanctitas interior, dum vixerat, fuit, sub profundissime humilitatis munimine veluti contecta. Attamen vix ad caelum die 31 Decembris anno Domini 1876 fuit evocata, longe lateque eius virtutes fuerunt compertae. Quapropter Pius X sa. me. anno 1907 huius Ancillae Dei beatificationis causam esse introducendam edixit. Die S. Vincentio a Paulo sacra anno 1931, Ssmi D. N. Pii Papae XI auctoritate, heroicae Catharinae virtutes recognitae fuere; et, per S. H. C. decretum, die 13 Februarii mensis nuper elapsi latum, duas sanationes vera esse miracula, eadem Pontificia auctoritate, fuit comprobatum.

Plana itaque via ad Beatificationem patebat. Sed, ut nostrae leges requirunt, ultimum discutiendum erat dubium: *An, .stante virtutum et duorum miraculorum approbatione,* tuto *procedi possit ad praedictae Venerabilis sollemnem Beatificationem.* Emus Cardinalis Alexander Verde, causae liuius Ponens seu Relator, in Generali sacrorum Rituum Congregatione, •coram Ssmo D. N. die 25 Februarii mensis habita, dubium hoc proposuit, cui omnes Rmi Cardinales, Officiales Praelati et Patres Consultores affirmativam responsionem emiserunt. Beatissimus vero Pater suum proferre iudicium in hanc diem, decimam secundam Martii mensis, Dominicam secundam in Quadragesima, distulit, in cuius Missae Evangelio Christi Domini transfiguratio narratur, futurae electorum glorificationis forma et exemplar.

Advocari itaque iussit Rmos Cardinales Camillum Laurenti, S. R. C. Praefectum, et Alexandrum Verde, Causae Ponentem seu Relatorem, nee non R. P. Salvatorem isTatucci Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium, sacrisque operatus edixit: « Tuto *procedi posse ad Venerabilis Catharinae Labouré sollemnem Beatificationem* ».

Hoc autem decretum promulgari, in acta S. R. C. referri litterasque Apostolicas sub anulo Piscatoris de Beatificationis sollemniis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis expediri mandavit. .

Datum Bomae, die 12 Martii anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *S. B. C. Praefectus.*

L. & S.

A. Carinci, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

ALTUNEN.

NULLITATIS MATRIMONII (QUAGLIARELLO-QUAGLIARELLO)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Petri Quagliarello^ in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94) die 17 iunii 1933, hora 11, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An confirmanda vel infirmanda sit sententia Rotalis diei 5 Iulii 1932 in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dñi Petri Quagliarello, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L. £g S. A. Jullien, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 11 Martii 1933.

Adv. T. Tani, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Pierre Quagliarello, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, via della Dataria, n. 94), le 17 Juin 1933, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Doit-on confirmer ou casser la sentence de la Rote du 5 Juillet 1932 dans cette cause?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Mr Pierre Quagliarello, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Giovedì, 30 Marzo 1933, la Santità di Nostro Signore ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza Sir **ROBERT HENRY CLIVE**, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Gran Bretagna, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SACRA CONGREGAZIONE DEL CONCILIO

AVVISO DI CONCORSO

Nella Sacra Congregazione del Concilio è indetto un concorso per alcuni posti di Aiutante di studio per l'Ufficio amministrativo centrale. I sacerdoti, che, in età non superiore ai 45 anni, desiderassero prendervi parte, dovranno, non più tardi del 30 prossimo Giugno, presentare alla Segreteria della stessa Sacra Congregazione la relativa domanda, corredata del nulla osta del proprio Ordinario, nonché di altri utili documenti e titoli di studio e di competenza amministrativa e contabile.

L'esame scritto del concorso, che avrà luogo nella Segreteria della detta Sacra Congregazione il giorno 6 del successivo mese di Luglio, alle ore 8 antimeridiane, verserà su temi riguardanti la teoria e la pratica amministrativa dei benefici ecclesiastici, delle chiese e degli altri enti ecclesiastici in relazione al Concordato Lateranense ed alle leggi ecclesiastiche e civili, emanate in esecuzione dello stesso Concordato.

Roma, 20 Aprile 1933.

G. Bruno, *Segretario.*

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

- Martedì, 28 Marzo 1933, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessandro Verde, Ponente della Causa della Beata Maria Michela del Santissimo Sacramento, fondatrice delle Suore Adoratrici Ancelle del Santissimo Sacramento e della Carità, ha avuto luogo la Congregazione *Antipreparatoria* dei Sacri Riti, nella quale, dai Rmi Prelati Officiali e dai Consultori della stessa Sacra Congregazione, si è discusso sopra due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione della Beata, e che vengono proposti per la di lei canonizzazione.

Martedì, 4 Aprile 1933, presso Sua Emza Revma il Signor Cardinale Granito Pignatelli di Belmonte, Ponente e Relatore, ha avuto luogo la Congregazione *Antipreparatoria* delia Sacra Congregazione dei Riti, nella quale dai Re vini Prelati Officiali e dai Revjhi Consultori teologi della stessa Sacra Congregazione, si è discusso sul martirio e causa del martirio dei Servi di Dio Gregorio Grassi, Francesco Fogolla, Antonio Pantosati, Vescovi dell'Ordine dei Frati Minori, e Compagni, martiri della Cina nel periodo dei Boxers 1898-1904.

Martedì, 25 Aprile 1933, presso l'Eolo e Revmo Signor Cardinale Alessandro Verde, Ponente della Causa di Beatificazione dei Servi di Dio Rocco Gonzalez da Santa Cruz, e Compagni, martiri, della Compagnia di Gesù, ha avuto luogo la Congregazione *Antipreparatoria* dei Sacri Riti, nella quale dai Revmi Consultori teologi e dai Prelati Officiali della stessa Sacra Congregazione dei Riti, si è discusso sul martirio e sua causa, e sui segni o prodigi degli stessi Servi di Dio, uccisi, come si asserisce, in odio alla fede.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

31 Ottobre 1932. L'Eino e Revmo Sig. Cardinale Gaetano Bisleti, *Gran Cancelliere del Pontificio Istituto di Musica Sacra.*

7 Dicembre » Monsig. Giovanni Teodori, *Prelato Referendario del Supremo Tribunale della Segnatura.*

» » » Monsig. Silvio Romani, *Prelato Referendario del Supremo Tribunale della Segnatura.*

16 » » L'Emo Sig. Cardinale Pietro Segura y Saenz, *Protettore dell'Istituto delle Religiose Missionarie del Ssmo Sacramento e di Maria Immacolata* (Granata).

» » ». L'Emo Sig. Cardinale Eugenio Pacelli, *Protettore del Sodalisio di San Pietro Claver.*

» » » L'Emo Sig. Cardinale Eugenio Pacelli, *Protettore della Congregazione dei Fratelli Celliti o Alessiani di Aquisgrana.*

4 Gennaio 1933. L'Emo Sig. Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore della Congregazione delle Piccole Suore dei Malati, di Mauriac.*

Assistenti al Soglio Pontificio:

25 Agosto 1932. Monsig. Cristiano Schreiber, Vescovo di Berlino.
12 Settembre » Monsig. Alberto Giuseppe Gonçalves, Vescovo di Ribeirao Preto.
14 » » Monsig. Antonio Karosas, Vescovo di Vilkaviskis.
18 Novembre » Monsig. Eduardo Giuseppe Byrne, Arcivescovo di Dublino.

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

2 Ottobre 1932. Monsig. Abramo Tahy, Amministratore Apostolico di Uzhorod.
» Monsig. Emilio Adam, dell'archidiocesi di Parigi.
» Monsig. Giovanni Gaston, della medesima archidiocesi.
17 Novembre » Monsig. Francesco Monard, dell'archidiocesi di Chambery.
26 » » Monsig. Giuseppe Magenet, della diocesi di Annecy.
Monsig. Giuseppe Pernoud, della medesima diocesi.
Monsig. Giacomo Giuseppe Hartley, della diocesi di Rochester (U. S. A.).
30 » » Monsig. Salvatore Vergallo, della diocesi di Lecce.
» » » Monsig. Luigi Paladini, della medesima diocesi.
12 Dicembre 1932. Monsig. Giulio Hamonet, della diocesi di Le Mans.
» » » Monsig. Giorgio Coulon, della medesima diocesi.
16 » » Monsig. Giovanni Lasserre, della diocesi di Bayonne.
17 » » Monsig. Pietro Maria Périer, della diocesi di Coutances.
21 » » Monsig. Carlo Leconte, della diocesi di Séez.
16 Gennaio 1933. Monsig. Alfredo Bandini, della diocesi di Fiesole.

Prelati Domestici di S. S.

18 Agosto 1932. Monsig. Giovanni Longoni, dell'archidiocesi di Milano.
26 » » Monsig. Emmanuele Bihary, della diocesi di Presov (Eperjes dei Ruteni).
13 Settembre » Monsig. Enrico Irgens, del vicariato apostolico di Oslo.
5 Ottobre » Monsig. Costantino Bruni, dell'archidiocesi di Capua.
Monsig. Attilio Plebani, della diocesi di Bergamo.
Monsig. Arturo Bridier, dell'archidiocesi di Parigi.
Monsig. Giuseppe Brunner, della diocesi di Gurk.
7 Monsig. Giuseppe Pace, della diocesi di Gozo.
7 Novembre » Monsig. Luigi Quargnassi, dell'archidiocesi di Udine.
Monsig. Giuseppe Pradzynski, dell'archidiocesi di Gnesna e Posnania.
10 » Monsig. Michele Marmora, della diocesi di Giovinazzo.
» Monsig. Ernesto D'Aquila, della diocesi di Newark.
» Monsig. Giacomo T. Brown, della medesima* diocesi.

10 Novembre 1932. Monsig. Ladislao Zadavil, della diocesi di Brno.
» » » Monsig. Luigi Soldat, dell'archidiocesi di Praga.
17 » » Monsig. Malcolm Guglielmo McKinnon, dell'archidiocesi di Vancouver.
» » » Monsig. Arcibaldo Mclntyre, della stessa archidiocesi.
» » » Monsig. Zenone Steher, della diocesi di Oklahoma.
» » » Monsig. Alberto J. Monnot, della medesima diocesi.
24 » » Monsig. Tommaso Giuseppe Crowley, della diocesi di Sault-Ste-Marie.
» » » Monsig. Giuseppe Nolan, della diocesi di Gashel.
» » » Monsig. Pietro Hill, della diocesi di Ross.
26 » » Monsig. Ettore Savazzini, della diocesi di Parma.
» » » Monsig. Giuseppe Maria Pibernat, della diocesi di Cumana.
2-7 » » Monsig. Ambrogio Squintani, della diocesi di Cremona.
30 » » Monsig. Renato Bertier, dell'archidiocesi di Rouen.
1 Dicembre » Monsig. Salvatore Leccese, dell'archidiocesi di Gaeta.
» » » Monsig. Giovanni Francesco Goggin, della diocesi di Rochester.
» » » Monsig. Giovanni Giuseppe Lee, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Gualtiero J. Lee, della medesima diocesi.
2 » » Monsig. Giovanni M. Hegarty, della diocesi di Los Angeles.
» » » Monsig. Giovanni O'Sullivan, della medesima diocesi.
3 » » Monsig. Raffaele Salucci, della diocesi dei Marsi.
6 » » Monsig. Giovanni Teodori (Roma).
» » » Monsig. Silvio Romani (Roma).
» » » Monsig. Paolo Julian, della diocesi di Viviers.
12 » » Monsig. Luigi M. Gerdes, dell'archidiocesi di Cincinnati.
» » » Monsig. Giorgio H. Geers, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Carlo A. Ertel, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giorgio J. Relaing, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Felice Richaud, della diocesi di Annecy.
» » » Monsig. Ernesto Mulochean, della diocesi di Le Mans.
15 » » Monsig. Basilio Hadzsega, della diocesi di Mukacevo.
» » » Monsig. Giulio Sztankay, della medesima diocesi.
19 » » Monsig. Antonio Retzbath, dell'archidiocesi di Friburgo.
» » » - Monsig. Lodovico Leridez, della diocesi di Coutances.
» » » Monsig. Guglielmo Mulligan, della diocesi di Aberdeen.
» » » Monsig. Carlo Carlo MacDonald, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Tommaso Caban, dell'Amministrazione apostolica di Tirnavia.
» » » Monsig. Giuseppe Straka, della medesima Amministrazione.
» » » Monsig. Giuseppe Napoleone Janda, della medesima Amministrazione.

19 Dicembre 1932. Monsig. Emerico Mayer, della medesima Amministrazione.
20 » » Monsig. Giuseppe Panier, dell'archidiocesi di Besançon.
» » » Monsig. Emilio Blanc, della diocesi di Cahors.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

18 Dicembre 1932. A. S. E. Ismail Sedky Pachà, Primo Ministro dell'Egitto.

La Commenda con placca dell'Ordine Piano:

18 Dicembre 1932. A. S. E. Gino Gasperini (Italia).

La Commenda dell'Ordine Piano:

22 Dicembre 1932. Al sig. dott. Riccardo Galeazzi (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

18 Dicembre 1932. Al sig. Francesco dei conti Cantati Castelvetri, Guardia Nobile di S. S.

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

14 Dicembre 1932. A. S. E. il principe D. Francesco Boncompagni Ludovisi, Governatore di Roma.
20 » » A S. E. Giorgio de Barcza, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario di Ungheria presso la S. S.
8 Gennaio 1933. A. S. E. Vittorio Cerruti (Italia).
16 » » Al sig. Ataúlfo de Pai va (Brasile).
16 Febbraio » Al sig. Hernand Belm, deU'archidiocesi di New York.

La Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

18 Dicembre 1932. Al sig. comm. avv. Giuseppe Brosadola, dell'archidiocesi di Udine.
28 » » Al sig. conte Giuseppe Dalla Torre di Sanguinetto (Città del Vaticano).

La Commenda con placca delVOrdine di S. Gregorio Magno, classe civile:

17 Settembre 1932. Al sig. prof. ing. Arturo Dànusso, dell'archidiocesi di Milano.
18 Novembre » Al sig. Francesco O'Reilly, dell'archidiocesi eli Dublino.

1	*Dicembre*	*1932.*	Al sig. ing. Leone Castelli (Roma).
»	»	»	Al sig. ing. Giuseppe Momo (Roma).
15	»	»	Al sig. ing. Paolo Salatino (Italia).
6	*Gennaio*	*1933.*	All'on. prof. Cesare Serono (Italia).
»	»	»	Al sig. Enrico Da Guerra Vianna (Portogallo).

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

29	*Aprile*	*1932.*	Al sig. dott. Ugo Zörnlaib, dell'archidiocesi di Vienna.
19	*Luglio*		Al sig. cav. David I. Champion della diocesi di Cleveland.
e	*Ottóbre*		Al sig. Pietro R. Tinoco (Venezuela).
			Al sig. Armando Simonis (Belgio).
			Al sig. Alberto Nonis (Italia).
			Al nob. sig. Filippo De Ciutiis di Santa Patrizia (Italia).
il	*Novembre*	»	Al sig. prof. Francesco Mosso, dell'archidiocesi di Genova.
			Al sig. Raffaele Garzia, dell'archidiocesi di Cagliari.
			Al sig. barone Ludovico Francesco G. M. Van Voorst tot Voorst della archidiocesi di Utrecht.
14	»		Al sig. archit. Tullio Passarelli (Roma).
19	»		Al sig. archit. Mario Stoppa (Romania).
»	»		Al sig. avv. Alessandro Orescu (Romania).
22	»		Al sig. prof. Biagio ßiagetti (Roma).
»	»		Al sig. Giulio Zirnheld, della diocesi di Parigi.
18	*Dicembre*		Al sig. dott. Michele Hlavicka, dell'archidiocesi di Praga.
»	»	»	Al sig. dott. Giuseppe Sklenáf della medesima archidiocesi.
20	»	»	Al sig. Carlo Teodoro Laubser, dell'archidiocesi di Besançon.
»	»	»	Al sig. avv. Agostino Candolini, dell'archidiocesi di Udine.
21	»	»	A S. E. Luigi Russo (Italia).
	»	»	Al sig. cav. Lodovico Mignot, della diocesi di Viviers.
3	*Gennaio*	*1933.*	Al sig. Eugenio Parenti, dell'archidiocesi di Lucca.
9	»	»	Al sig. Francesco Meriano (Italia).
16	»	»	Al N. U. avv. Carlo Nichetti (Italia).

La Commonda delVOrdine di S. Gregorio Magno, classe militare.

20	*Ottobre*	*1832.*	*A.* S. E. gener. Adriano Marinetti (Italia).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

8	*Maggio*	*1931.*	Al sig. Venceslao landa, dell'archidiocesi di Praga.
22	*Settembre*	*1932.*	Al sig. Guglielmo Sampson Bishop, dell'archidiocesi di Westminster.
6	*Ottobre*	»	Al sig. Pietro Realini, della diocesi di Lugano.
»	»	»	Al sig. Francesco De Menthoti, dell'archidiocesi di Parigi.
23	»	»	Al sig. ing. Pietro Castelli, dell'archidiocesi di Milano.

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

29 Dicembre 1932. Monsig. Pietro Pezzi, della diocesi di Faenza.
6 Gennaio 1933. Monsig. Eugenio Frindt, della diocesi di Agria.
26 » » Monsig. Giovanni Vogel (Roma).
9 Febbraio » Monsig. Edoardo Garnich, della diocesi di Lussemburgo.
» » » Monsig. Ludovico Hartmann, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Emilio Hentgen, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giorgio Kiefier, della medesima diocesi.
23 » » Monsig. Ercole Reali (Roma).
» » » Monsig. Paolo Viti (Roma).
» » » Monsig. Giovanni M aconi (Bergamo).
» » » Monsig. Pietro Giuseppe Maria Van G ils, della diocesi di Ruremonda.
2 Marzo » Monsig. Antonio Sechi, dell'archidiocesi di Sassari.
7 » » Monsig. Francesco E. Hyland, dell'archidiocesi di Filadelfia.
10 » » Monsig. Venceslao Jaksch, dell'archidiocesi di Vienna.
» » » Monsig. Giuseppe Brunissen, della diocesi di Strasburgo.
» » » Monsig. Gian Giuseppe D'Ambra, della diocesi d'Ischia.
23 » » Monsig. Francesco Bettoni, della diocesi di Crema.

Camerieri d'Onore in abito paonazzo di S. S.:

2 Marzo 1933. Monsig. Giovanni Pietro Düringer, dell'amministrazione apostolica di Innsbruck.
10 » » Monsig. Giovanni Popp, dell'archidiocesi di Vienna.
» • » » Monsig. Giuseppe Schmid, della medesima archidiocesi.
21 » » Monsig. Giacomo Weinbacher, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Augusto Leuimötzer, della medesima archidiocesi^
» » » Monsig. Francesco Gessi, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giovanni Schneider, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Egidio Cavi on i, della diocesi di Pavia.

Cappellani Segreti d'onore di S. S. :

5 Gennaio 1933. Monsig. Adalberto Leko', della diocesi di Agria.
» » » Monsig. Emerico Peczeli, della medesima diocesi.
21 Marzo » Monsig. Venceslao Stefíl, dell'archidiocesi di Vienna.

Cappellano d'Onore extra Urbem *di S. S.:*

23 Febbraio 1933. Monsig. Giuseppe Capelli, della diocesi di,Piacenza.

Con Biglietto di Sua Eccellenza Revma Monsignor Maestro di Camera di Sua Santità in data 3 Aprile 1933, è stato nominato *Chierico Segreto di Sua Santità* Monsig. Bernardino Bocchini.

NECROLOGIO*

1 Giugno 1932. Monsig. Bernardo Hackett, Vescovo di Waterford e-Lismore.
21 Marzo 1933. Monsig. Gregorio Pietro Habra, Arcivescovo siro di Damasco.
27 » » Monsig. Carlo M. de Gorostarzu, Vescovo tit. di Eia.
5 Aprile » Monsig. Anatolio Nowak, Vescovo di Premislia pei Latini.
6 » » Monsig. Andrea Karlin, Vescovo di Lavant (Maribor).
8 » » Monsig. Pietro Mankowski, Arcivescovo tit. di Eno.
14 » » Monsig. Giordano Corsini, Vescovo tit. di Arca.
15 » » Monsig. Giacinto Gaggia, Arcivescovo tit. di Traianopoli in Rodope e Vescovo di Brescia.
23 » » Monsig. Leone Waìega, Arcivescovo tit. di Ossirinco.
25 » » Monsig. Carlo Maria Alfredo de Cormont, Arcivescovo tit. di Brisi.
30 » » Monsig. Ludovico Van Hoeck, Vescovo di Ranchi.
30 » » Monsig. Abramo Aguilera, Vescovo di S. Carlo d'Ancud.

Pag. 55 **in necrologio, pro eo quod est** ***25*** **» legatur** ***25 Dicembre***
29 Dicembre **legatur** ***29*** **»**

Annus XXV - Yol. XXV 1 Iunii 1933 Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP, XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

IN PATRIARCHALI BASILICA OSTIENSI PAENITENTIARIORUM MINORUM COLLEGIUM IN PERPETUUM STABILITERQTJE CONDITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod divina favente gratia, non sine uberum beneficiorum largitione, per huius Anni Sancti decursum celebramus, Eedemptionis Iubilaeum postulat ut in praecipuis almae Urbis Nostrae tempus peculiares, iidemque non pauci, sacramenti Paenitentiae administri ex more deputentur, specialibus facultatibus praediti atque adeo *Paenitentiarii IS. Iubilaei* vocandi; idque eo consilio, ut spirituali christifidelium utilitati, qui undique, ad iubilarem veniam lucrandam, huc confluunt, aptiore, qua fieri potest, ratione consulatur. Quapropter Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, cum res decerneremus, quae ad huiusmodi celebrationem pertinerent, facere non potuimus quin ad vetustam quoque Patriarchalem Basilicam Ostiensem animum converteremus; mandavimus siquidem dilecto filio Nostro Paenitentiario Maiori per Apostolicas Litteras « Indicto a Nobis » ut in hac quoque Basifica Paenitentiarii deligerentur ac renuntiarentur, haud absimili modo ac in ceteris Patriarchalibus Basilicis— Lateranensi nempe, S. Petri in Vaticano, ac Liberiana in Exquilns — in perpetuum constituti fuere. Iamvero susceptum per hanc dierum faustitatem consilium id in mentem induxit Nostram, ut de opportunitate decer-

neremus Apostolicum Paenitentiariorum minorum Collegium in Ostiensi etiam Basilica, ut in aliis, quas supra memoravimus, firme stabiliterque condendi.

Etenim, si superiore tempore, perspecta sacrarum harum aedium a frequentioribus Urbis partibus longinquitate, huius rei necessitas neque Decessoribus Nostris, neque Nobis occurrerat, at in praesens, cum tot domus, citatiore quodam incremento, in Basilicae vicinia excitentur, consentanea advenisse tempora putamus, quibus pastoralis Nostra sollicitudo postulet ut sacrorum id genus administrorum Collegium in perpetuum condamus, qui per pretiosum Bedemptoris nostri sanguinis lavacrum animos expient, eorum scilicet omnium, qui, sacramentalis Paenitentiae causa, ad Apostoli gentium sepulcrum confluant.

Quodsi gloriosa amplissimi huius templi monumenta, catholicam fidem ingenuasque artes redolentia, quae quidem totius terrarum orbis admirationem commovent, quaeque Romanorum omnium Pontificum inibi tessellata operibus expressas imagines exhibent, Nos veluti excitare videntur ut privilegii eiusmodi concessionem Ostiensi Basilicae impertire ne procrastinemus, at Lateranenses Conventiones, recens feliciter in usum redactae, quibus sacrae illae aedes, ad temporaria etiam iura administrationemque quod attinet, immediate Nobis subiectae sunt, ut quam primum causam ad rem deducere maturemus quodammodo invitant.

Itaque, nulla adhibita mora, eo etiam consilio ducti, ut dilectae S. Benedicti soboli, quae iamdiu abbatiam S. Pauli de Urbe continentem - que Basilicam actuose custodit ac moderatur, benevolentiam testemur Nostram, re diligenter collata cum dilecto filio Nostro Laurentio S. R. E. Card. Lauri, Paenitentiario Maiore, atque omnibus mature perpensis, de Apostolicae plenitudine potestatis, haec quae sequuntur, per Apostolicas has Litteras statuimus ac decernimus:

I. In Patriarchali Basilica Ostiensi Paenitentiariorum minorum Collegium in perpetuum instituimus atque erigimus, quod quidem ex monachis Ordinis S. Benedicti constet et cum a Nobis, tum in posterum a Successoribus Nostris pendeat.

II. Apostolicum hoc Collegium sex eiusdem Ordinis monachi constituant, quorum tres pro Italicae nationis paenitentibus, unus pro Gallicae, unus pro Anglicae, unus pro Germanicae sunto. Qui vero omnes italicam linguam pernoscant.

III. Candidati, qui ex quavis Benedictina Congregatione esse possunt, ab Abbate Ordinario pro tempore S. Pauli de Urbe, collatis antea consiliis cum illius monasterii Abbate, a quo pendent, Cardinali Paenitentiario Maiori praesententur.

.IV. Praesentatione a dilecto filio Nostro Card. Paenitentiario -Maiore accepta probataqúe, candidato periculum tum voce tum scriptis apud Signaturam Sacrae Paenitentiariae faciendum est, pro eiusdem Nostri Tribunalis legibus.

V. Paenitentiarii minoris nominationem, qui periculum feliciter fecerit, Card. Paenitentiarius Maior, litteris ad hoc ipsum datis, peraget; qui tamen iis, qui ad abbatiam S. Pauli de Urbe non pertineant, ad triennium dumtaxat huiusmodi munus conferet. Paenitentiarii autem minoris legitime nominati erit, statis ab ipso Card. Paenitentiario horis, christifidelium confessiones in Basilica excipere, ea sollertia, prudentia atque caritate, quibus ad id genus officium opus est, unamque sibi animarum salutem proponere.

VI. Quod ad officium suum spectat, Paenitentiarii minores, durante munere, Card. Paenitentiario Maiori tantummodo obnoxii erunt, qui tamen, si graviores emerserint causae, de iisdem Nobiscum aget, ut Nostram sententiam exquirat. Quod vero claustralem vitam religiosamque observationem respicit, cum in abbatia quae eidem Basilicae adiicitur iidem commorentur, Abbati Ordinario pro tempore S. Pauli plenam profitebuntur obedientiam, eumque legitimum moderatorem habebunt, etiamsi ad aliam Congregationem pertineant. A Cardinali Paenitentiario Maiore eidem Abbati permissum est, ut Paenitentiariis minoribus in iis etiam rebus invigilet, quae ad Collegii institutis obtemperandum attineant.

VII. Ex quo nominationis litteras acceperint, S. Pauli Paenitentiarii iisdem facultatibus ac privilegiis, quibus Paenitentiarii minores trium ceterarum Basilicarum, fruentur.

VIII. Si Paenitentiarius, qui ad triennium tantummodo nominationem receperit, triennio expleto fuerit in munere confirmatus, aut, post temporis intervallum, ut ad id redeat iussus fuerit, aliud periculum non faciet.

IX. Cum Nobis animarum bonum potissimum curae sit, ubi excipiendarum confessionum munus id postulare videbitur, Paenitentiarii volumus choralium officiorum celebratione exsoluti habeantur, eamque statim intermittant ac ad sedem confessionalem vocati fuerint.

Praeterea Nostris hisce Litteris, Basilicam S. Pauli extra moenia, ad sacramentales confessiones excipiendas quod pertinet, Cardinalis Paenitentiarii Maioris iurisdictioni obnoxiam decernimus. Quam ob rem nemo in eadem Basilica christifidelium confessiones in posterum excipiet, quin eiusdem Cardinalis veniam expressis verbis consecutus fuerit.

Ipsi pro tempore parocho venia opportunaeque ad huiusmodi munus facultates a Cardinali Paenitentiario expetendae sunt; cum vero parochi officium animarum curam prae primis respiciat, neque venia neque facultatibus, de quibus dicimus, idem privabitur.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabula, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die tertia mensis Maii, in Festo •Inventionis S. Crucis, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri duodecimo.

Fr. T. PIUS O. P. Card. BOGG1ANI
Cancellarius S. B. E.

LAURENTIUS Card. LAURI
Paenitentiarius Maior.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Ap.licorum.*

Vincentius Bianchi-Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi

Reg. in Conc. Ap., vol. XLVII, n. 59. **- A. Marini.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I '

DISMEMBRATO TERRITORIO E VICARIATU APOSTOLICO DE YUKIANG ERIGITUR APOSTOLICA PRAEFECTURA DE KIENOHANFU IN SINIS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ecclesiae universae moderandae commissum Nobis divinitus officium postulat ut ea omnia opportune pro videamus quae ad catholicam fidem facilius inter infideles propagandam apta videantur. Hoc ducti consilio, cum vicariatus apostolicus de Yukiang in provincia Sinarum de Kiangsi, curis concreditus Missionariorum e Congregatione Missionis, latius pateret quam ab eisdem evangelicis operariis cum optatis spiritualibus fructibus excoli possit, paucis abhinc annis Vicarii Apostolici votis obsecundantes, consensimus ut ipse partem meri-

dionalem territorii sibi subiecti Missionariis Societatis a Sancto Columbano pro Missionibus apud Sinenses excolendam traderet. Nunc vero tum Vicarius Apostolicus de Yukiang, quem diximus, tum Moderator generalis Societatis a Sancto Columbano preces Nobis adhibuerunt, ut territorium in quo praedictae Societatis sacerdotes iam adlaborant a vicariatu apostolico de Yukiang canonice seiungeretur et in missionem sui iuris erigeretur. Quas preces Nos exaudiré, omnibus rei momentis attento seduloque studio perpensis, opportunum duximus. Quare, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositi sunt, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, a vicariatu apostolico de Yukiang, in provincia Sinensi de Kiangsi quinque sequentes subpraefecturas civiles, nempe de Nangcheng, Tzuhi, Nanfeng, Lituan, Kuanchang seiungimus sive dismembramus, atque exinde eodem territorio novam apostolicam praefecturam erigimus de *Kienchanfu* appellandam et curis Missionariorum Societatis a Sancto Columbano pro Missionibus apud Sinenses concredendam. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxix in. Novembris, anno MDCCCCXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

II

SANCTI BERARDUS, PETRUS, ACCURSIUS, ADIUTUS ET OTHO, PROTOMARTYRES O. P. M., DECLARANTUR PATRONI PRINCIPALES VICARIATUS APOSTOLICI DE RABAT.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. —• Primos ex inelyto Ordine Fratrum Minorum, quos ipse Seraphicus Pater Sanctus Franciscus Assisiensis misit in Africani ad infidelium animas Christo lucrandas, Berardum videlicet, Petrum, Accursium, Adiutum atque Othonem, a mahómetanis inMaroquio

anno MCCXX in odium fidei interfectos, tamquam protomartyres suos universus Ordo Seràphicus pluribus iam à saeculis veneratur et colit. Nunc vero venerabilis frater Henricus Vieille, ex eodem Ordine Episcopus titularis Halmyrensis, Vicarius Apostolicus de Eabat, intra cuius fines urbs exstat vulgo *Marrakesch,* in qua ipsi protomartyres pro Christo sanguinem suum fuderunt, Nos enixe rogat ut sanctos Berardum et Socios eius principales Patronos ipsius vicariatus de Rabat declaremus. Quibus votis, Procuratoris generalis Ordinis Fratrum Minorum suffragio suffultis, libenter concedere decrevimus. Quare, audito quoque dilecto filio Nostro Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Laurenti, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, omnibusque rei momentis sedulo studio perpensis, ad maiorem Dei gloriam procurandam, ad christianae religionis incrementum et ad cultum eorundem protomartyrum Ordinis Minorum fovendum, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi, perpetuumque in modum, sanctos Berardum, Petrum, Accursium, Adiutum atque Othonem martyres, Patronos principales totius vicariatus apostolici de Rabat constituimus et declaramus, atque eorum festum die xvi mensis Ianuarii sub ritu duplici primae classis cum octava communi, servatis de cetero rubricis, quotannis in territorio ipsius vicariatus de Rabat celebrandum mandamus. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Haec largimur et statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; eidemque vicariatui apostolico nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, atque irritum ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die ix m. Ianuarii, an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

III

PRAEFECTURA APOSTOLICA GUYANAE GALLICAE IN VICARIATUM APOSTOLICUM ERIGITUR.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae catholico nomini propagando magis opportuna, pro temporum ac rerum adiunctis, videantur, ea, prout exigit supremum spirituale officium Nostrum, sollicita cura et constanti

studio providere satagimus. Quapropter, cum proximis hisce temporibus praefectura apostolica Guvanae Gallicae in America meridionali, tale, Deo favente, ceperit incrementum, ut finitimarum missionum Gnyanae Anglicae et Hollandicae statum aequaverit, immo fidelium numero superaverit, precibus quae adhibitae Nobis fuerunt ut eadem praefectura ad gradum vicariatus apostolici canonice elevaretur libenti quidem animo annuendum decrevimus. Ideo, collatis de hac re consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus qui negotiis Sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositi sunt, omni^busque mature perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, praefecturam apostolicam Guyanae Gallicae in America meridionali, eodem servato nomine, in vicariatum apostolicum erigimus, eiusdemque curam'ex nunc et in posterum, Ordinario charactere episcopali ornato, tribuimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x m. Ianuarii an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

IV

IN TERRITORIO PROVINCIAE SUDANENSIS A NILO SUPERIORE ERIGITUR APOSTOLICA PRAEFECTURA DE KODOK.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Nihil Nobis magis potest esse cordi, quam ut Christi Domini Evangelium ab omnibus gentibus cognoscatur et lux divinae veritatis omnes orbis partes quam primum illuminet. Ad hoc autem omnia experimur, quae, pro rerum adiunctis, opportuna Nobis videantur. Quamobrem, libenter decrevimus votorum suorum compo-

tem reddere venerabilem fratrem Arthurum Hinsley, Archiepiscopum titularem Sardianum, Apostolicum in *Ai*rica Delegatum, qui nuper Nos enixe rogavit, ut ex territorio provinciae Sudanensis Mli Superioris, partim ad vicariatus de Khartum et de Bahr el-Ghazal, partim ad praefecturam de Bahr el-Gebel pertinenti, Missio sui iuris fieret, quo maiora ibidem evangelicae praedicationis opus incrementa, Deo favente, susciperet. Collatis igitur super hoc consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus sacro Consilio christiano nomini propagando praepositis, omnibusque sedulo perpensis, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, a praedictis vicariatibus de Khartum et de Bahr el-Ghazal atque a praefectura apostolica de Bahr el-Gebel, territorium provinciae Sudanensis cui vulgo nomen *Upper Nile* separamus et in novam missionem sui iuris de *KoâoJc* appellandam et Patribus Congregationis Veronensis Filiorum SS. Cordis Iesu committendum erigimus. Fines vero huius novae Missionis hi sunt: ad septentrionem vicariatus apostolicus de Khartum a quo dividitur ipsis limitibus quibus provincia de *Upper Nile* nuncupata a provincia de *Nuba Mountains* et de *White Nile* dictis, separatur. Ad orientem: idem vicariatus de Khartum et praefectura apostolica de Kaffa, a quibus nova Missio sui iuris finietur eadem linea qua provincia, quam diximus, de *Upper Nile* dividitur a provincia de *Fung* (Sudan) et ab Aethiopia. Ad meridiem: praefectura de Bahr el-Gebel secundum lineam discriminis inter provincias de *Upper Nile* et de *Nongalla* (Sudan). Ad occidentem denique vicariatus de Khartum et de Bahr el-Ghazal secundum discrimen inter provincias de *Upper Nile, Bahr el-Ghazal* et *Gor aojan.*

Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x m. Ianuarii an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

MUTANTUR FINES INTER VICARIATUM APOSTOLICUM DE N ANNIN G ET MISSIONEM DE WIICHOW, IN SINIS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Omnes homines in Christum Redemptorem fidem habere et Ecclesiae suae sanctae adscribi, sicut Decessoribus Nostris fuit ita et Nobis maxime curae est, adeo ut sollicito studio ea omnia praestemus, quae magis ad rem facere Nobis videantur. Cum igitur ob nimiam territorii latitudinem et magnum incolarum adhuc paganorum numerum sacerdotes e Societate Parisiensi Missionum ad exteras gentes, credito sibi vicariatui apostolico de Nanning in Sinis cum optatis spiritualibus fructibus excolendo impares sint, et hac de re venerabilis frater Iustinus Paulinus Albouy, Episcopus titularis Cidyessensis, Vicarius Apostolicus de Nanning, a Nobis petierit, ut quaedam civiles subpraefecturae, quae ad suum quidem vicariatum pertinent, sed Missioni sui iuris de Wuchow, a Nobis anno MDCCCCXXX erectae, adiacent, eidem Missioni canonice uniantur, huiusmodi petitioni satisfacere opportunum duximus. Relatum est enim Nobis Patres e Societate de Maryknoll pro Missionibus ad exteras gentes, quibus praedictae Missionis de Wuchow spiritualem curam concessimus, et evangelicorum operariorum numero et subsidiorum copia uberiores spirituales fructus in territorio vicariatus de Nanning, quod diximus eidem Missioni adiacere. fore ut feliciter colligere valeant.. Quapropter, re mature perpensa, praehabito voto Nostri in Sinis Apostolici Delegati, collatisque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositis, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, sexdecim subpraefecturas civiles, quae sequuntur, videlicet *Pingo, Laipo, Chuncyun, Fuchun, Kungshing, Yangso, Tingfuk, Kuhoa, Kweilin, Lungshing, Yning, Lingehun, Hingan, Kwanycmg, Siyen, Chuanchow,* nec non territorium independens ad tribum *Yao* pertinens, a vicariatu apostolico de Nanning seiungimus seu dismembramus et Missioni sui iuris de Wuchow, Patribus Societatis de Maryknoll concreditae, adnectimus et canonice unimus.

.Haec volumus, mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant,

sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x^ m. Ianuarii, an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

VI

FINES IMMUTANTUR INTER PRAEFECTURAM APOSTOLICAM DE UMTATA ET MISSIONEM DE QUEENSTOWN IN AFRICA MERIDIONALI,

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Universae Ecclesiae commissa Nobis divinitus cura ita Nos urget, ut christifidelium spirituali bono semper et omnimode pro videamus et ad catholicam fidem magis in dies propagandam nihil inexpertum omittamus. Qua re, cum venerabihs frater Iordanus Gijlswijk, Archiepiscopus titularis Eucharitanus, Delegatus Apostolicus in Africa meridionali, vota promens Ordinariorum tum praefecturae apostolicae de Umtata, Patribus commissae Instituti de Mariannhill, tum Missionis sui iuris de Queenstown, Piae Societati Missionum concreditae, a Nobis postulaverit, ut pars territorii praefecturae de Umtata Missioni de Queenstown adnectatur, quo fidei christianae progressui in praedicto territorio aptius provideatur, memoratis precibus annuere decrevimus. Quare, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus qui negotiis Propagandae Fidei praepositi sunt, omnibusque rei momentis mature perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, vallem quae ad orientem fluminis *Kei Blanc* nuncupati sita est et in septentrionali parte a flumine *Sababele* definitur, in orientali vero a linea recta, quae ducitur a praedicti fluminis scaturigine usque ad fontem fluminis *Ngolosa,* in meridionali denique parte ab ipso flumine *Ngolosa* finitur, huiusmodi vallem, dicimus, a praefectura apostolica de Umtata distrahimus seu separamus, et Missioni sui iuris de Queenstown adiungimus et tribuimus.

Haec statuimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque

integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x m. Ianuarii, an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

VII

ABBAS PRIMAS O. S. B. PRO TEMPORE CONSTITUITUR MAGNUS CANCELLARIUS ATHENAEI S. ANSELMI DE URBE.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Ad montem Aventinum hac Alma in Urbe exstat Benedictinorum Conlegium a Sancto Anselmo nuncupatum pro alumnis praesertim omnium congregationum ex Ordine Sancti Benedicti, quod ad instar aliarum academiarum in Urbe exsistentium perpetuo privilegio gaudet conferendi omnes gradus academicos tum in philosophia, tum in sacra theologia, tum denique in iure canonico alumnis utriusque cleri saecularis vel regularis, qui rite laudati Conlegii praelectiones in appositis facultatibus frequentaverint, et periculo coram Conlegii professoribus superato, maiorem suffragiorum partem retulerint. Nunc autem post nuper editam Apostolicam constitutionem *Deus scientiarum Dominus* qua Universitatibus sacrorumque Studiorum Facultatibus novam imposuimus disciplinam, Abbas Primas Ordinis Sancti Benedicti a Nobis enixe postulat ut ad normam eiusdem constitutionis Magnum Cancellarium Urbano Sancti Anselmi Athenaeo tribuere dignemur. Nos vero Decessores Nostros ac praesertim rec. mem. Leonem Pp. XIII et Pium Pp. X, tam de eodem Sancti Anselmi conlegio deque eiusdem novis aedibus et constitutione bene méritos, vestigiis secuti, vota memorati Abbatis Primatis excipientes, ultro libenterque hanc occasionem nanciscimur novae benevolentiae Nostrae significationem conlegio eidem exhibendi. Quare, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum decrevimus ut ad normam constitutionis Nostrae *Deus scientiarum Dominus* Magnus Cancellarius Athenaeo Sancti Anselmi de Urbe Abbas

Primas Ordinis Sancti Benedicti qui pro tempore exstet, nunc et in posterum praeficiatur. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, eique Athenaeo Conlegii Sancti Anselmi de Urbe ad montem Aventinum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xiv m. Ianuarii an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

B. Card. PACELLI, *a Secretis Status,*

VIII

TEMPLUM PRAEPOSITURALE B. M. V. IN CAELUM ASSUMPTAE IN OPPIDO SANCTI GEMINIANI, DIOECESIS COLLENSIS, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XI

. Ad perpetuam rei memoriam. — Sancti Geminiani in civitate, dioecesis Collensis intra fines, conlegiata ac praeposituralis exstat ecclesia Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae in honorem Deo dicata, quae vetustate non minus quam structura, operibusque affabre factis, renidet. Saeculo undecimo templum praepositurale, ipsum, iam honoribus privilegiisque ornabatur, atque etiam illud paulo post Beatus Eugenius Pp. III sollemniter consecra vit. Saeculo vero quinto decimo nova structurae forma nec non celeberrimis Ssmae Conceptionis et Beatae Finae sacellis ampliata, aliis quoque pretiosis sacrisque picturis, praeter eas antiquiores, quibus iam fulgebat, auctum est; ita ut inter magni momenti religiosa Tusciae monumenta templum idem merito nunc accenseatur. Quapropter, cum clerus, optimates, populusque Sancti Geminiani enixis Nos rogaverint precibus, quas etiam venerabilis frater Collensium Episcopus suffragio suo commendavit, ut titulo privilegiisque Basilicae minoris, pro benignitate Nostra, templum ipsum honestare dignemur; Nos, Decessores Nostros Romanos Pontifices vestigiis prosequentes, votis praefatis concedere libenti animo censuimus. Conlatis itaque consiliis cum dilecto filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Congregationi Sacrorum Rituum praeposito, de certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum,

enunciatum templum in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae Deo dicatum in civitate Sancti Geminiani, intra dioecesis Collensis fines posita, dignitate ac titulo Basilicae minoris decoramus, privilegiis liturgicis adiectis, quae eidem titulo ac dignitati competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare et fore, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtineri, illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvn mensis Ianuarii anno MDCCCCXXXIIT, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status,*

IX

BASILICAE MINORIS TITULO ORNATUR ECCLESIA PAROECIALIS SS. MAURITII ET SOC. MM. IN CIVITATE «L'EPINAL» DIOECESIS SANCTI DEODATI INTRA FINES.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — A venerabili fratre Sancti Deodati Episcopo allatum ad Nos est, iam saeculo decimo exeunte apud Spinalense castrum, tunc temporis intra fines dioecesis Tullensis aedificatum, esse templum atque eidem addictum monialium a regula Sancti Benedicti monasterium, quod deletum ac denuo exstructum est saeculo decimo primo. Novi huius monasterii templum ab ipso Bomano Pontifice Leone IX dedicatum est. Servantur in eodem, quod tamen saeculo decimo secundo ac decimo tertio novis structuris pulcriscme est ampliatum, non modo reliquiae Sancti Goerici, quem Spinalenses cives uti patronum venerantur, sed etiam pretiosissimae relliquiae Sancti Martyris Mauritii, a quo templum, nunc tantum paroeciale, vocatur. Nam saeculo decimo octavo exeunte, ob Galliae politicam perturbationem, monasterio abbatiali a monialibus Sancti Benedicti derelicto, templum sub titulo Sanctorum Mauritii et Sociorum Martyrum paroeciale factum est; hodieque ut ecclesia matrix trium aliarum paroeciarum, quae modernis temporibus Spinalensi in civitate constitutae sunt merito habetur. Ipso autem in templo Sancte r

rum Mauritii et Sociorum, iam a saeculo sèxtodeeimo, venerabilem statuam Nostrae Dominae a consolatione christifideles e civitate ac regione Spinalensi colunt. Templum autem idem conspicuitate sua inter ceteras regionis sacras aedes fulget; tam amplitudine, quam forma, omnium admirationem movet; recentioribusque ac magni momenti instaurationibus nunc etiam renovatum videtur. Haec animo repetentes, votis tum Praesulis Sancti Deodati tum parochi ac fidelium paroeciae Spinalensis adnuendum ultro libenterque censuimus. Qua re, audito quoque dilecto filio Nostro Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinali Sacrorum Eituum Congregationi Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, ecclesiam Sanctorum Mauritii et Sociorum Martyrum, civitatis Spinalensis, intra fines dioecesis Sancti Deodati positae, titulo ac dignitate Basilicae minoris decoramus, omnibusque iuribus privilegiisque adiectis, quae Basilicis minoribus de Urbe de iure competunt. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Haec concedimus, largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritum ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx m. Februarii an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimo secundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

X

TITULO ET HONORIBUS BASILICAE MINORIS AUGETUR TEMPLUM B. M. V. SIDERIBUS RECEPTAE, QUOD EXSTAT TRAIECTI IN DIOECESI RUREMONDENSI.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Euremondensis dioecesis intra fines, Traiecti in civitate, templum exstat paroeciale Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae in honorem Deo dicatum, quod non modo antiquitate sed etiam pulcris artis operibus fulget. A saeculo vero decimo ad initium usque decimi noni saeculi in eodem templo Capitulum exstitit, atque etiam

in ipso nonnullorum Sanctorum Traieetensiúm Episcoporum sedes collocata est. Hac ipsa in sacra aede statua servatur Beatae Mariae Virginis sub titulo « Stellae Maris », quae iam ab anno **MDCCCCxn,** auctoritate Apostolica, aurea corona sollemniter redimita est. Christifideles propterea magno concursu magnaque pietate ad auxilium solatiumque implorandum a Deipara Virgine sub ipso titulo Stellae Maris non modo a civitate ac finitima regione, sed a longinquis quoque locis confluunt ad idem Traiectense templum, ibique sanctissimam Maris Stellam venerantur et colunt. Nil mirum itaque si hodiernus parochus eiusdem templi Marialis una cum clero loci Nos enixe rogaverint, ut concedere velimus eidem templo titulum ac privilegia, quae Basilicis minoribus de iure competunt, atque huiusmodi preces venerabilis frater Buremondensium Episcopus Nobis amplissime commendet. Qua propter, auditis venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Bomanae Ecclesiae Cardinalibus Sacrorum Bituum Congregationi praepositis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum tenore, memoratum Traiectense paroeciale templum Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae in dioecesi Buremondensi titulo ac dignitate Basilicae minoris perpetuum in modum augemus, illique omnia et singula conferimus liturgica privilegia, quae huic titulo de iure competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec concedimus, largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illique templo paroeciali Traiectensi plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx m. Februarii an. MDCCCOXXXHI, Pontificatus Nostri decimo secundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

XI

PONT. CONLEGIO SEU INSTITUTO ANGELICO, DE URBE, MAGNUS CANCELLARIUS TRIBUITUR MAGISTER GENERALIS PRO TEMPORE O. P.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Post consilium initum in postremo Ordinis Praedicatorum generali Capitulo altiores Scholas constituendi in quibus nulla Facultas seu disciplina deesset, ac proinde aucto Pontificio

Conlégio Angelico in urbanum coenobium Sanctorum Dominici et Xysti opportune translato, Magister generalis praelaudati Ordinis enixas Nobis preces adhibuit ut ad normam apostolicae Nostrae constitutionis *Deus scientiarum Dominus* qua nuper Universitatibus sacrorumque Studiorum Facultatibus novam imposuimus disciplinam, Pontificio quoque Conlegio seu Instituto Angelico Magnum Cancellarium tribuere dignaremur. Conlegium sane ipsum in honorem Sancti Thomae Aquinatis, favente Decessore Nostro Pio Pp. X, constitutum est ac fundatum hac Alma in Urbe ut in eodem scientia tam philosophica quam theologica, undequaque plena, solida atque aetatis nostrae subveniendis necessitatibus confutandisque erroribus apta apposite traderetur. Tres quidem Conlegium Angelicum, ad instar antiqui Conlegii Sancti Thomae supra Minervam, quod iam Praedicatores moderabantur, ceterarumque maioris momenti sacrorum Studiorum Universitatum complectitur facultates, Facultatem nimirum philosophicam., Facultatem theologicam et Facultatem iuris canonici, atque in eisdem academici gradus ex privilegio tum Pii Pp. X tum Benedicti Pp. XV conferri possunt. Ultro libenterque propterea censemus ipsius Magistri generalis Ordinis Praedicatorum precibus annuere atque idem Pontificium Conlegium Angelicum peculiari Nostrae benevolentiae significatione prosequi, certa spe freti ipsum quoque Conlegium e praefatae constitutionis Nostrae ordinationibus maiora in dies incrementa suscepturum fore. Quare, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum statuimus ut Pontificio Conlegio seu Instituto Angelico hac Alma in Urbe ad Sanctorum Dominici et Xysti constituto, Magnus Cancellarius ad normam Constitutionis Nostrae *Deus scientiarum Dominus* nunc et in posterum praefiniatur Ordinis Praedicatorum Magister generalis, qui pro tempore exstat. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; eidemque Pontificio Conlegio seu Instituto Angelico plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII m. Martii an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimo secundo.

E.. Card. PACELLI, *a Secretis Status**

XII

INSTITUTUM ORDINIS SOCIETATIS IESU DENUO, POST CODICEM I. C, CONFIRMATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Paterna caritas, qua omnes Ecclesiae filios in Domino complectimur, impensius inclinat erga eos, qui integros dominicae vineae operarios et fideles voluntatis Nostrae administros sese exhibent, quales iam diu Religiosorum Ordines experti sumus et cotidie experimur; nihilque iucundius Nobis accidere potest, quam ut, occasione oblata, Nostri pro eorum laboribus grati animi testimonia iis praebeamus, atque ita eos ad evangelicum opus studiosius in dies prosequendum Apostolicae benignitatis stimulo ineitemus. Iamvero, cum hos inter Religiosorum virorum Ordines, quos, tanquam fertilia agri domestici plantaría, sapiens Romanorum Pontificum pietas instituit, haud intimum teneat locum Societas Iesu, quae, singularibus erga hanc Apostolicam Sedem meritis conspicua, viris pietate, religione, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum scientia, ac propriae alienaeque salutis studio eximie praeditis semper refulsit, quaeque etiam nunc magni Parentis Ignatii spiritu penitus imbuta, ubique terrarum in Dei gloriam amplificandam, in Christi regnum promovendum alacriter acriterque incumbit, eam peculiaribus Nostrae benevolentiae significationibus identidem prosequi ac recreare gaudemus.

Cum autem nuper dilectus filius Noster Wlodimirus Lédochowski, eiusdem Societatis Iesu hodiernus Praepositus generalis, absoluto diuturno seduloque labore accommodandi Institutum sui Ordinis ad novas Ecclesiae leges in Codice iuris canonici contentas, Nos fecerit certiores novam nunc parari totius Instituti editionem, primam eam quidem post Codicem promulgatum, atque eius in primis partis quae Bullarium dicitur et Litteras Apostolicas exhibet Societati et eius conditori S. Ignatio de Loyola ceterisque post eum Praepositis generalibus scriptas; exemplum Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII secuti, qui similem nactus occasionem, per Litteras Apostolicas *Dolemus inter* die xni Iulii MDCCCLXXXVI in forma Brevis datas, Decessorum suorum documenta in Societatis Iesu gratiam edita et proximae, quae tunc parabatur, Instituti editioni inserenda denuo confirmare voluit, idem Nos ac libentius etiam nunc praestare statuimus, quo maioribus in praesentiarum eadem Societas ob deditissimam erga hanc Sanctam Sedem observantiam iniquis exagitatur impugnationibus.

Itaque, eiusdem Decessoris Nostri Leonis XIII verba mutuantes et Nostra facientes, eisque vim atque efficaciam Nostra addentes auctoritate, « omnes et singulas Litteras Apostolicas quae respiciunt erectionem, insti-

tutionem et confirmationem Societatis Iesu per Praedecessores Nostros Romanos Pontificos a fel. rec. Paulo III ad haec usque tempora datas, tam sub plumbo quam in forma Brevis confectas, et in iis contenta atque inde secuta quaecumque, nec non omnia et singula vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus regularibus eidem Societati impertita, quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentina Synodo aut ab aliis Apostolicae Sedis constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata, privilegia, immunitatis, exemptiones, indulta hisce Litteris confirmamus et Apostolicae auctoritatis robore munimus, iterumque concedimus ».

Quam Decessoris Nostri privilegiorum et iuris peculiaris Societatis Iesu confirmationem, ex certa scientia et propensa erga eandem Societatem voluntate, iteramus atque apostolicae Nostrae auctoritatis robore, quatenus opus sit, denuo munimus, eamque etiam post novum Codicem iuris canonici plene vigere edicimus, iis tantum exceptis privilegiis, quae a canonibus eiusdem Codicis expresse revocata fuerint, neque a Nobis dein quocumque modo restituta. Persuasum enim habemus fore ut Societas Iesu eo securius atque alacrius in vinea Domini in maiorem Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem comparandam incumbat, quo firmius consistant omnia et singula quae Legifer Pater, divino affiatui parens, voluit religioni a se conditae propria esse et peculiaria.

Sint igitur dilectae Nobis Societati Iesu hae Litterae Nostrae novum, post tot alia a Nobis eidem impertita, Nostrae benevolentiae testimonium, eique, huic Sanctae Sedi devotissimae ac propterea tot tantisque impetitae calumniis, levamen aliquod afferant, quo recreati eius sodales impensius in dies « iuxta pium eorum institutum (ut memoratae Tridentinae Synodi verbis utamur) a Sancta Sede approbatum, Domino et Ecclesiae eius inservire possint » (Sess. XXV, cap. 16, *de Regularibus* ubi de Societate Iesu).

Eiusdem vero paternae Nostrae benevolentiae testis etiam esto apostolica benedictio, quam dilectis filiis Praeposito generali et sodalibus Societatis Iesu peramanter in Domino impertimus.

Decernimus autem has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et iis ad quos spectant et spectare poterunt plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn m. Martii an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimo secundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ACTA 88, CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

i

PADEBBORN ENSIS-CQLONIENSIS

DE FINIUM DIOECESIUM MUTATIONE

DECRETUM

Cum pagus *Rönsahl,* archidioecesis Paderbornensis, longe absit a propria ecclesia paroeciali *Meinerzhagen,* Emus ac Revmus Dominus Carolus S. R. E. Cardinalis Schulte, Archiepiscopus Coloniensis, plene assentiente R. P. D. Gaspare Klein, Archiepiscopo Paderbornensi, supplices preces S. Sedi porrexit ut, quo satius illorum fidelium bono consulatur, memoratus pagus *Rönsahl* ab archidioecesi Paderbornensi ad quam modo pertinet, dismembraretur, atque viciniori paroeciae *Marienheide,* archidioecesis Coloniensis, aggregaretur. Iamvero Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI, rei opportunitate perpensa, ac habito voto R. P. D. Caesaris Orsenigo, Archiepiscopi Ptolemaidensis in Lybia et Nuntii Apostolici in Germania, huiusmodi precibus annuens, hoc Consistoriali decreto pagum *Rönsahl,* de quo supra, a paroecia *Meinerzhagen* et ab archidioecesi Paderbornensi separat, atque paroeciae *Marienheide,* archidioecesis Coloniensis, in perpetuum aggregat.

Ad haec vero exsecutioni mandanda idem Ssmus Dominus Noster deputare dignatus est eumdem R. P. D. Caesarem Orsenigo, eidem omnes tribuens facultates necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere remittendi intra sex menses ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 24 Martii 1933.

fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis.*

L. **US.**

V. Santoro, *Adsessor.*

n

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

17 Martii 1933. —• Titulari archiepiscopali Ecclesiae Laodicenae in Phrygia praefecit R. D. Hamletum Ioannem Cieognani, Adsessorem sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, quem constituit Delegatum Apostolicum apud Status Foederatos Americae septentrionalis.

— Cathedrali Ecclesiae Huajuapamensi, R. P. D. Ianuarium Méndez et "del Rio, hactenus Episcopum Tehuantepecensem.

20 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Tifernatensi, R. P. Mauritium a *Villa di Serio,* in saeculo Franciscum Grotti, ex ordine Fratrum Minorum Capuccinorum.

12 Aprilis. —Metropolitanae Ecclesiae Toletanae, R. P. D. Isidorum Goma et Tomas, hactenus Episcopum Tirasonensem;

— Cathedrali Ecclesiae Gadicensi, R. P. D. Raymundum Perez Rodríguez, Patriarcham titularem Indiarum Occidentalium, eidem servato titulo Patriarchae Indiarum Occidentalium.

18 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Halicarnassensi, R. P. D. Leopoldum Lara et Torres, hactenus Episcopum Tacambarensem.

20 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Syenitanae, R. D. Iacobum Antonium Walsh, Superiorem generalem Societatis de Maryknoll, pro missionibus exteris.

21 Aprilis. — Cathedralibus Ecclesiis Vaterfordiensi et Lismoriensi, R. D. Ieremiam Kinane, canonicum Capituli metropolitam Cassiliensis et professorem iuris canonici in Collegio Sancti Patricii apud *Maynooïh.*

— Cathedrali Ecclesiae Syracusensi, R. D. Ioannem A. Duffy, Protonotarium Apostolicum « ad instar » et Vicarium generalem dioecesis Novarcensis.

25 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Anthedonensi, R. P. Edgarium Antonium Haering O. F. M., quem constituit Vicarium Apostolicum de Shohchow.

— Titulari ^episcopali Ecclesiae |Letaenae, R. P. Pacificum á Prato O. M. O, in saeculo Titianum Micheloni, quem constituit Vicarium Apostolicum Arabiae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tulanënsi, E. D. Iosephum Bonhomme e Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae, quem constituit Vicarium Apostolicum Basutolandensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Nobensi, B. D. Iosephum Trudel, e Congregatione Missionariorum Africae, quem constituit Vicarium Apostolicum Taborensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae TJrusitanae, B. D. Gulielmum Thomam Porter, e Societate Lugdunensi pro missionibus ad Afros, quem constituit Vicarium Apostolicum Litoris Aurei.

— Titulari episcopali Ecclesiae Arcensi, B. D. Henricum Leven e Societate Verbi Divini, quem constituit Vicarium Apostolicum Insularum Sundae minorum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bonustensi, B. D. Martinum Lajeu* nesse, e Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae, quem constituit Coadiutorem cum iure futurae successionis B. P. D. Ovidii Oharlebois, Vicarii Apostolici de Keewatin.

28 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Montereyen.-Fresnen., B. D. Philippum Scher, Vicarium capitularem et parochum in eadem dioecesi.

29 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Syracusanae, B. D. Hectorem Baranzini, Bectorem Pontificii Seminarii Ss. Ambrosii et Caroli de Urbe.

13 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Corumbensi, B. D. Vincentium Priante, e pia Societate S. Francisci Salesii B. Ioannis Bosco.

•SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

i

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis renunciati sunt:

29 Novembris 1932. — B. D. Ioseph Attipetty, electus Archiepiscopus tit. Gabalen., *Coadiutor* cum iure futurae successionis^ B. P. D. Angeli Perez y Cecilia, *Archiepiscopi Verapolitani.*

— B. P. Franciscus Gómez de Santiago, O. P., electus [Episcopus tit. Dausaren. *Coadiutor* cum iure futurae successionis Alexandri Garcia Fontcuberta, *Vicarii Apostolici de Haiphong.*

— B. D. Ioseph Byrne, e Congregatione Spiritus Sancti, electus Episcopus tit. Vasaden., *Vicarius Apostolicus de Kilima Ndjaro.*

— R. D. Edoardus van Goethem, e Missionariis Ss. Cordis, electus Episcopus tit. Coronen., *Vicarius Apostolicus de Coquilfiatville.*

— R. D. Hubertus Paulissen, e Societate Lugdunensi Missionum ad exteros, electus Episcopus titulo Pomarien., *Vicarius Apostolicus de Ktimasi,*

10 Ianuarii 1933. — R.' D. Ioseph Fan, e clero indigena, electus Episcopus tit. Paphien., *Vicarius Apostolicus de Tsining.*

— R. D. Ioannes B. Tong, e clero indigena, electus Episcopus tit. Sozopolitan., *Coadiutor* cum iure futurae successionis R. P. D. Ioannis Petri Alexandri Marcou, *Vicarii Apostolici de Phat-Diem.*

— R. D. Ioannes Larrart-, e Societate Parisien. Missionum ad exteros, electus Episcopus tit. Aulonitan., *Coadiutor* cum iure futurae successionis R. P. D. Francisci Lazari Seguin, *Vicarii Apostolici de Kweijang.*

- *15 Ianuarii.* — R. D. Petrus M. Gourtay, e Congregatione Spiritus Sancti, electus Episcopus tit. Araden., *Vicarius Apostolicus Guyanae Gallicae.*

'— R. D. Martialis Petrus Jannin, e Societate Parisiensi Missionum ad exteros, electus Episcopus tit. Gadaren., *Vicarius Apostolicus de Kontum.*

8 Martii — R. P. Hiacynthus Gaudentius Stanchi, O. F. M., designatus Episcopus tit. Pharbaethitanus, *Vicarius Apostolicus de ChangsTia.*

9 Martii. — R. D. Ioseph Táoei, e clero indigena, designatus Episcopus tit. Tanaitan., *Vicarius Apostolicus de Yungnien.*

— R. D. Matthaeus Ly-iun-ho, e clero indigena, designatus Episcopus tit. Tloën., *Vicarius Apostolicus de Yachow.*

— R. *J).* Gulielmus Thomas Porter, e Societate Lugdunensi Missionum ad Afros, electus Episcopus tit. Urusitan., *Vicarius Apostolicus Litoris Aurei.*

3 Maii — R. D. Martinus Ioseph Honorius Lajeunesse, e Congr. Oblatorum M. Immaculatae, electus Episcopus tit. Bonusten., *Coadiutor* cum iure futurae successionis R. P. D. Ovidii Charlebois, *Vicarii Apostolici de Keeivatin.*

5 Maii. — R. P. Edgarius Antonius Haering, O. F. M., electus Episcopus titulo Anthedonen., *Vicarius Apostolicus de ShoJichow.*

— R. P. Pacificus Titianus Micheloni, O. F. M. Capuccinorum, electus Episcopus tit. Letaen., *Vicarius Apostolicus Arabiae.*

— R. D. Ioseph Bonhomme, e Congr. Oblatorum M. Immaculatae, electus Episcopus tit. Tulanen., *Vicarius Apostolicus de Basutoland.*

— R. D. Ioseph Gulielmus Trudel, e Congr. Missionariorum Africae (Pères Blancs), electus Episcopus tit. Noben., *Vicarius Apostolicus de Tabora.*

— R. D. Henricus Leven, e Societate Verbi Divini, electus Episcopus tit. Arcen., *Vicarius Apostolicus Insularum Sundae minorum.*

. Successivis decretis Sacra Congregatio de Propaganda Fide renunciavit ad suum beneplacitum:

2 Martii 1932. — B. P. Antonium Ma, e clero indigena, *Praefectum Apostolicum de Chumatien,* nuper erecta praefectura.

9 Martii 1933. — B. P. Ioannem a *Fivizzano,* Ord. FF. MM. Capuccinorum, *Superiorem ecclesiasticum Missionis Trapezuntinae.*

Litteris Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 28 Novembris 1932 B. P. D. Aloisius Seheiwiler, Episcopus Sangallensis, constitutus est Praeses Unionis cleri a missionibus in Helvetia.

Decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 14 Ianuarii 1933 B. D. Alfonsus Colin nominatus est Praeses Pontificii Operis a Propagatione Fidei pro India.

II

DESIGNATIONES

Ad normam can. 1592 § 2 Codicis iuris canonici, Vicarius Apostolicus -de Papua designavit semel pro semper pro appellationibus a suo tribunali, •curiam vicariatus Apostolici de Babaul; approbante Ssmo in Audientia die 28 Novembris 1932.

Item ad eundem effectum Archiepiscopus Vhrbosnen. designavit curiam Archiepiscopi Zagabrien., approbante Ssmo in Audientia diei 12 Decembris 1932.

Item Vicarius Apostolicus Constantinopolitanus designavit ad eundem affectum curiam Archiepiscopi Smyrnensis, quam designationem Ssmis ratam habuit in Audientia diei 16 Februarii 1933.

Similiter in audientia diei 2 Martii Ssmus D. N. approbavit designationes factas ad eundem effectum, a Praefecto Apostolico de Chumatien, de curia vicariatus apostolici de Kaifeng; a Praefecto Apostolico de Shuntehfu, de curia vicariatus apostolici Pekinensis; a Vicario Apostolico de Nanning, de curia missionis sui iuris de Wuchow.

Pariter Vicarius Apostolicus de Nyassa, designavit ad eundem effectum curiam vicariatus apostolici de Sture, quam designationem Ssmus approbavit in audientia diei 13 Martii 1933.

Item, Archiepiscopus Smyrnensis, designavit curiam vicariatus ap. Constantinopolitani, approbante Ssmo in Audientia 27 Martii 1933.

Denique Vicarius Apostolicus de Sapporo, designavit ad eundem effectum curiam dioecesanam Hakodatensem, quam designationem Beatissimus Pater ratam habuit in Audientia 24 Aprilis 1933.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

ANDEGAVEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI MARIAE A S. EU- . PHRASIA PELLETIER, PROFESSAE EX ORDINE DOMINAE NOSTRAE A CARITATE, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A BONO PASTORE.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto *procedi possit ad sollemnem praedictae Venerabilis Beatificationem.*

Sapientissimis regum mulierem fortem laudans, Spiritu Sancto dictante, *fortitudo et decor,* scripsit, *indumentum eius, et ridebit in die novissime Os suum aperuit sapientiae, et lex dementiae in lingua eius (Prov.,* XXXI,. 25-26).

Fortissima sane fuit Venerabilis Maria a S. Euphrasia Pelletier, plurimos pro Dei gloria, animarum salute et Apostolicae Sedis iuribus labores sustinens atque aspera certamina superans: maxime quoque decore sanctitatis enituit, quia se patienti Christo simillime conformavit. Christus enim in Cruce, dum coram inimicis despectus in summo gradu apparuit ac *novissimus virorum,* ex illo triumphali throno, sapientissimo consilio omnia trahens ad seipsum, infinitae suae caritatis luce et victoriae decore maxime effulsit. « Quare, dicit Augustinus, (Christus) et in cruce habuit decorem? Quia quod stultum est Dei sapientius est quam homines, et quod infirmum est Dei fortius est quam homines » *(Enarr. in Ps. XLIV,* 3). Christi Iesu imaginem in se referens, Maria a S. Euphrasia, quae Dominae Nostrae Ordinem, a S. Ioanne Budes fundatum, professa, sancti conditoris spiritum largissimo hauserat, fecundam eius Ordinis arborem nova veluti sobole amplificavit, ac novis fructibus auxit. Pro suo autem excellentissime caritatis studio in periclitantibus puellis ac mulieribus lapsis adiuvandis vere *os suum aperuit sapientiae, et lex dementiae in lingua eius.* Quapropter innumerae animae *in odorem unguentorum* eius currentes, ad Boni Pastoris o vile, reductae sunt. Gavisa denique est *in die novissimo,* quum post tot tantosque generose toleratos dolores, ad caeleste praemium die 24 Aprilis anno 1868 evocata fuit. Gavisa igitur est mater in caelo. Gavisae sunt autem eius filiae in terris, universaeque S. Ioannis Eudes familiae quando eius

virtutes heroicas fuisse die 6 Martii anno 1924 decretum est, et quando die 8 Ianuarii mensis, anni huius, duas sanationes uti vera miracula a Deo, ad Venerabilis Mariae intercessionem, patrata, ab hac Sacra Congregatione, Apostolica auctoritate recognita sunt; quia his duabus approbationibus ad Beatificationis honorem Venerabili Mariae concedendum planior patefacta est via.

Be quidem vera ut causa haec ad ulteriora procederet, nempe ad beatificationem, dubium tantummodo discutiendum supererai: *An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione* tuto *procedi possit ad solemnem praedictae Venerabilis beatificationem.* Quare in Generalibus Sacrae huius Congregationis Comitiis coram SSmo D. N. Pio Papa XI die 31 Ianuarii anni huius habitis Emus Cardinalis Caietanus Bisleti, Causae Ponens seu Belator dubium hoc proposuit. Emi Cardinales, Officiales S. B. C. Praelati, et PP. Consultores unanimi suffragio *tuto* procedi posse responderunt. Attamen Beatissimus Pater Suam decretoriam sententiam pandere distulit, donec divini luminis maior copia Suis et adstantium precibus imploraretur.

Ut autem hanc proferret sententiam, hodiernam diem, Dominicam quintam post Epiphaniam, selegit, in cuius Missa ex Beati Pauli epistola praecipuae virtutes in quibus Venerabilis Maria a S. Euphrasia mire refuïsit, exhibentur. Etenim: *Induite vos,* scribit apostolus, *viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, patientiam... super omnia autem haec caritatem habete.* Tota Venerabilis vita in his describitur verbis.

Quapropter Ssmus Dominus Noster sacrosancto Missae Sacrificio religiosissime litato, convocatis Emis Cardinalibus Camillo Laurenti, S. B. C. Praefecto, et Caietano Bisleti, Causae Ponente seu Belatore, nec non B. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, meque infrascripto Secretario, hisce adstantibus pronunciavit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Venerabilis Mariae a S. Euphrasia Pelletier beatificationem.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri, in acta S. B. C. referri, litterasque Apostolicas in forma Brevis de sollemnibus Beatificationis, in Vati* cana Basilica quandocumque celebrandis, expediri mandavit.

Die 5 Februarii anno Domini 1933.

C. Card. **L**AURENTI, *Praefectus.*

L. © S.

A. Carinci, *Secretarius**

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

DE QUIBUSDAM INDULGENTIIS ADNEXIS RECITATIONI « PATER, AVE ET GLORIA » SEXIES REPETITAE.

In non paucis Indulgentiarum Summariis ad recitationem sex Pater, Ave et Gloria adnexae dicuntur, *toties quoties,* Indulgentiae universae septem Urbis basilicarum, Stationum Romanarum, Portiunculae, Ierusalem et S. Iacobi a Compostella: raro admodum aliqua temporis aut loci habita ratione, nulla inter plenarias et partiales facta distinctione, nulla aut una vel alia solummodo ex suetis conditionibus servata.

Talis tantaque Indulgentiarum largitio non modo haud mediocris admirationis causa exstitit apud plures, qui opinati sunt nimia hac, ut aiebant, prodigalitate thesauros Ecclesiae, tanta sanctitate ac studio iugiter servatos ac custoditos, quodammodo effundi, sed et ansam viris doctis praebuit in diversissimas sententias abeundi tum quoad modum documenta interpretandi quibus eaedem Indulgentiae inniti dicebantur, tum quoad rationem eamdem largitionem cum Sanctae Sedis praxi componendi.

Quam ob rem Sacra Paenitentiaria haud semel de natura et numero harum indulgentiarum quaesita, tandem id consilii cepit ut tota res deferretur Summo Pontifici, Supremo thesaurorum Ecclesiae Moderatori, ut hoc super negotio mentem Suam aperiret.

Itaque Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis quae ad hanc rem spectabant, in Audientia infra scripto Cardinali Maiori Paenitentiario die *.20* Ianuarii proxime elapsi concessa, decernere dignata est:

Indulgentias, quae in praefatis Summariis adnexae exhibentur recitationi sex *Pater, Ave* et *Gloria,* ita moderandas esse ut christifideles, qui gratiis spiritualibus de quibus in iisdem Summariis fruuntur, Indulgentiam tantum *partialem decem annorum* lucrari valeant quoties saltem corde contrito et devote memoratam recitationem fuderint ad mentem Summi Pontificis id est pro pace animorum, debita ubique libertate Ecclesiae

atque populorum omnium concordia et vera prosperitate: si vero per integrum mensem hoc peregerint Indulgentiam *plenariam,* suetis tamen conditionibus, acquirere queant: abrogatis praecedentibus hac super re concessionibus et privilegiis; contrariis quibuslibet etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. Paenitentiariae, die 22 Aprilis 1933,

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. © S.

I. Teodori, *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

MONASTERIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (HESSE-BICKBKSCHBIÛT)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Ernesti Eickenscheidt, in causa conventi, eumdem citamus ad comparendum, sive per se, sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma. via delia Dataria, 94) die 16 Iunii 1933, hora 11,30 ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dñi Ernesti Eickenscheidt, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L.)$| S. 1. Grazioli, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 19 Aprilis 1933.

Adv. T. Tani, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Ernest Eickenscheidt, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote

Romaine (Roma, via delia Dataria, n. 94), le 16 Juin 1933, à 11 heures et demie, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas ?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Ernest Eickenscheidt, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

í í

NEAPOLITANA

NULLITATIS MATRIMONII (G-ÍALLORBNZI-MARÍ)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi ianuarii Mari in causa conventi, eumdem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94) die 25 Iulii 1933, hora ***1%*** ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae ^definitione :

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dñi Ianuarii Mari, curare debent ut de hac edictali citatione ipse moneatur.*

L.)$(S. A. Wynen, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die ti Maii 1933.

Adv. T. Tani, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Janvier Mari défendeur en cette cause,"JNous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, via della Dataria, n. 91), le 25 Juillet 1933, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

*Conste-t-il de **la** nullité du mariage dans ce cas?*

JLes Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Janvier Mari,,devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 9 Maggio 1933, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessandro Verde, Ponente delle Cause di canonizzazione del Beato Giovanni Bosco, Fondatore della Pia Società Salesiana, e della Beata Lodovica de MariÙac, vedova Le Gras, Confondatrice della Società delle Figlie della Carità, ha avuto luogo la Congregazione dei Riti, detta *Antipreparatoria*, nella quale dai Revmi Prelati Officiali e dai Revmi Consultori teologi, componenti la stessa Sacra Congregazione dei Riti, sono stati discussi due miracoli che si asseriscono da Dio operati: il primo per intercessione del Beato Giovanni Bosco, ed il secondo per intercessione della Beata Lodovica de Marillac, e che vengono proposti per la solenne canonizzazione dei suddetti Beati.

f Martedì, 16 Maggio 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, avanti l'augusta presenza del Santo Padre, ha avuto luogo la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, hanno emesso il loro voto su due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione della Beata Maria Bernarda Soubirous, della Congregazione delle Suore di Carità e dell'Istruzione cristiana di Nevers.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

30 Aprile 1933. L'Ilìmo e Revmo Monsig. Stanislao Janasik, *Consultore della Pontificia Commissione per la Russia.*

18 Maggio » L'Emo Sig. Cardinale Enrico Gasparri, *Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

L'Emo Sig. Cardinale Francesco Marchetti Selvaggiani, *Membro della Sacra Congregazione dei Religiosi.*

ONORIFICENZE

Coli Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

*Il Cavalierato dell'Ordine di **S.** Gregorio Magno, classe civile:*

23. Ottobre 1932. Fedele Berni (Italia).
. » » » Rocco Vomero (Italia).
28 » » Ruggero Ford, della diocesi di Clifton.
16 Novembre » Ruperto Melo, deirarchidiocesi di Bogota.
» » » Enrico Pelckmans, deirarchidiocesi di Malines.
17 » » Giovanni Hie, della diocesi di Lilla.
Augusto Watine Lotthé, della medesima diocesi.
Giorgio Torcq, della medesima diocesi.
Ludovico Biain, della medesima diocesi.
26 Giovanni Bellis, della diocesi di Borgo S. Sepolcro.
27 Riccardo Brennin'kmeyèr, della diocesi di Harlem.
» Arnaldo Bambini, della diocesi di Brescia.
Giuseppe Vu-Ngog Hoanh, del vicariato apostolico di Buichu.
sig. Giacomo F. Reid, dell'archidiocesi di New York.
sig. Camillo Bergamini, dell'archidiocesi di Modena.
BO » sig- Giovanni Enrico Phelan, della diocesi di Gal veston.
» » sig. Carlo Stubbs, della medesima diocesi.
» » **Sig;** Enrico de la Tribouille, dell'archidiocesi di Rennes,
3 Dicembre sig. dott. Enrico Rigot, dell'archidiocesi di Lione.
6 » sig. Giuseppe Toulemonde Lestienne, della diocesi di Lilla.
sig. Costante Delattre Le Marce, della medesima diocesi.
16 Giuseppe Castelli, dell'archidiocesi di Milano.
Pietro Mandron, dell'archidiocesi di Camerino.
Francesco Saverio Romanini (Roma).
20 Marcello Grimal, della diocesi di Soissons.
Lodovico Fagneus, della medesima diocesi,
archit. Roberto Chaleil, della medesima diocesi.
Ernesto Chimot, della medesima diocesi.
Enrico Touvet, dell'archidiocesi di Besançon.
Pietro De Prai (Roma).
21 Luciano Bayle, della diocesi di Viviers,
ing. Aldo Petrucci (Italia).
Bernardo Carlo Brien, della diocesi di Plymouth.

4 Gennaio 1933: Al sig. Giovanni Paolo Le Divelec, della diocesi di Casale Monferrato.
5 » » Al sig. avv. Maurizio Durand, dell'archidiocesi di Rouen.
» » » Al sig. Giorgio Machet, della diocesi di Châlons.
19 » » Al sig. Paolo Glotin, dell'archidiocesi di Bordeaux.

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S, S.:

27 Ottobre 1932. Monsig. Leonida Giovanni Ferreira, della diocesi di Campanha.
27 » » Monsig. Ugo Bressane De Araujo, della medesima diocesi.
20 Aprile 1933. Monsig. Ignazio Melilli (Roma).
» » » Monsig. Carlo Keppl, della diocesi di Hradec Kralové.
» » » Monsig. Riccardo Popp, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Myñrik, della medesima diocesi.
27 » » Monsig. Francesco Galla, della diocesi di Vacia.
» » » Monsig. Giorgio Oetter, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Tiburzio Királmyey, della medesima diocesi.
2 Maggio » Monsig. Ippolito Pyszynski, della diocesi di Lodz.
» » » Monsig. Giovanni Cesarz, della medesima diocesi.

Camerieri d'Onore in abito paonazzo di S. S.:

21 Marzo 1933. Monsig. Oreste Rossi, della diocesi di Bertinoro.
» » » Monsig. Tommaso Gatti, della medesima diocesi.
23 » » Monsig. Francesco Fulciniti, della diocesi di Squiliace.
30 » » Monsig. Arnoldo Wigge, della diocesi di Aquisgrana.
13 Aprile » Monsig. Giovanni Dieni, della diocesi di Bova.
20 » » Monsig. Agostino Novak, della diocesi di Hradec Kralové.
» » » Monsig. Francesco Kohout, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Alfonso Hornek, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Emanuele Teply, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni Kostkan, della medesima diocesi.

NECROLOGIO

5	*Maggio*	*1933.*	Monsig. Bernardo Arguinzonis y Astorbiza, Vescovo tit di Larissa.
»	»	»	Monsig. Goderico Kean, Vescovo tit. di Tavio.
6	***»***	»	Monsig. Giovanni Gouzian, Vescovo di Alessandria d'Egitto, di rito armeno.
8	»	»	Emo Sig. Card. BONAVENTURA CERRETTI, Vescovo suburbicario di Velletri, Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.
14	»	»	Monsig. Fedele Cosió y Medyna, Vescovo di Puno.

Anutts XXV - Vol. XXV 5 Iunii 1933 Num. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

EPISTULA ENCYCLICA

AD EMOS PP. DD. FRANCISCUM S. R. E. PRESB. CAED. VIDAL ET BARRAQUER ARCHIEPISCOPUM TARRACONENSEM, EUSTA CHIUM S. R. E. PRESB. CARD. 1LUNDA1N ET ESTEBAN ARCHIEPISCOPUM HISPALENSEM, CETERISQUE RR. PP. DD. ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ATQUE UNIVERSO CLERO ET POPULO HISPANIAE : DE INIUSTA REI CATHOLICAE CONDICIONE IN HISPANIA.

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Dilectissima Nobis nullo non tempore fuit nobilis Hispanorum gens cum ob insignia in catholicam fidem civilemque christiani nominis cultum promerita, tum ob avitam flagrantissimamque cum Apostolica hac Sede animorum coniunctionem, tum nominatim ob magna eius instituta et apostolica incepta, per quae et ferax exstitit sanctorum virorum mater «t missionalium inclytorumque religiosorum Ordinum Conditorum altrix; decus ii quidem atque firmamentum Ecclesiae Dei.

Quoniam igitur praeclara Hispaniae gesta cum catholica Ueligione tam arcte coniunguntur, geminato Nos maerore idcirco afficimur, quod miserandi ii conatus obversantur Nobis

qui eo sane exitu iterantur, ut, una cum maiorum fide, electrices etiam eripiantur civilis amplitudinis causae. Quapropter Civitatis huius moderatores, ut paternus postulabat animus, deesse Nobis non potuimus quin haud semel adhortaremur, ut diligenter perpenderent, fallacem se viam rationemque persequi; non enim, populorum animos laedendo vulnerandoque, eam possunt, ad cuiusvis Nationis prosperitatem adipiscendam omnino necessariam, civium omnium concordiam in usum deducere.

Id fecimus per Legatum Nostrum, quotiens novae praescriptionis edendae ingruere periculum videbamus, sacrosanctis Dei animarumque iuribus infensae. Utque dilectis Hispaniae filiis, cum ex sacrorum, tum ex laicorum hominum ordine^ amantissimi animi Nostri sensus in huiuscemodi angustiis magis magisque paterent, vel publice ad eosdem paterna verba Nostra con ver tere, occasione data, non praetermisimus.

At nunc temporis, quam nuper « in religiosae fidei professiones Congregationesque » legem sanxerunt, in eam Nos temperare Nobis non possumus quin iterum vocem, reprobando* conquerendoque, attollamus Nostram, cum novam ea iniuriae notam gravioremque inurat non modo Ecclesiae Religionique^ sed ipsis etiam civilis libertatis praeceptis atque institutis, quibus, ut iactant, recens nititur Hispaniae regimen.

Neque - quod ut intento cupimus perpendant animo - hanc suadent sententiam Nostram consilia, quae in i veri mus, ut nonnulli falso dictitant, et aliena a nova Hispanicae Civitatis gubernandae ratione et a politicis inibi haud ita pridem habitis, immutationibus aversa.

Omnibus siquidem in comperto est Catholicam Ecclesiam,, cum prae aliis nullam rei publicae ordinationem potiorem habeat, dummodo Dei christianaeque conscientiae iura sarta tectaque evadant, tum quibusvis civilibus societatibus, ulla non interposita difficultate, convenire; sive eaedem Regni, sive Reipublicae formam induant, sive denique ab optimatium, sive a popularium dominatu pendeant.

Cuius rei argumento sunto, ut recentiora tantummodo attingamus facta, non pauca ea pactiones et « Concordata ». quae vocant, postremis etiam hisce temporibus digesta : itemque necessitudinis rationes, quae Apostolicae Sedi cum variis Civitatibus intercedunt; cum iis etiam, quae, post proximum maximumque bellum, regio imperio reiecto, in Reipublicae ordinationem coaluerunt.

Iamvero, numquam hae Respublicae - et ad s aa instituta et ad iustae amplitudinis studia et ad gentis suae prosperitatem quod attinet - numquam, dicimus, neque ex susceptis amicitiae officiis cum Apostolica hac Sede, neque ex inito consilio, conventiones scilicet, horum temporum condicioni consentaneas, iis de rebus mutua fide transigendo quae ad civilem et ad ecclesiasticam societatem pertinent, ulla procul dubio detrimenta ceperunt.

Quin immo, cum de re agatur omnino explorata ac certa, asseverare possumus ex hac fiduciae plena, Ecclesiae Civitatumque concordia, non exigua orta esse civilibus consortionibus commoda atque utilitates.

Etenim, ut omnes norunt, socialis perturbationis fluctibus, usque quaque omnia permiscentibus, firmior atque aptior ullus non opponitur agger, quam Catholica Ecclesia, quae, maxima populorum altrix, legitimae auctoritatis observantiam humanaeque libertatis iura, rationes iustitiae optataeque pacis bonum salubriter f eli ei ter que conciliare numquam destitit.

Haec omnia qui Hispanorum Reipublicae praesunt in comperto non habere non poterant; immo etiam certiores iidem facti sunt percupere Nos ac vos, venerabiles in episcopatu fratres, ad civilem ordinem tranquillitatemque tutandam adiutricem operam navare.

Ac Nobiscum et cum Hispaniae Episcopis fere omnes consensere non modo ex sacrorum administrorum, saecularium ac regularium, sed ex laicorum etiam hominum ordine, hoc est universa paene Hispanorum gens; qui quidem, etsi alius aliam propriam amplectebatur sententiam, etsi ab Ecclesiae osoribus

lacessebantur ac vexabantur, constitutis tamen rei publicae moderatoribus quieto animo obtemperantes, a vi violenter repellenda, a conflandis turbis et a conturbationibus excitandis, nedum a civili bello, abstinuere. Iure igitur meritoque, disciplinae huic obtemperatio nique, quam Catholicae Religionis praecepta suadent, illud est potissimum tribuendum, quantumcumque pacandae rei publicae incolume adhuc exstat, quodque repugnantia factionum rerumque novarum amatorum studia evertere conituntur, omnia utique Civitatis iura atque officia violantium.

Ac summa Nos miratione vehementique maerore idcirco commoti sumus quod nonnulli, impiam, quae in Ecclesiam invehitur, insectationem veluti comprobare conantes, novae Reipublicae tutandae necessitatem esse suscepti consilii causam publice professi sint.

Quapropter liquido patet, quod proferunt huius rei argumentum, commenticium esse ac prorsus vanum, ita ut merito inde colligere possimus eiusmodi Hispanicae Ecclesiae conflictationem non tam ex catholicae fidei eiusque bene factorum ignoratione profectam esse, quam ex odio simultateque, quod « adversus Dominum et adversus Christum eius » totius religiosi civilisque ordinis subversores, in occultas sectas coalescentes, ut in Mexicana, ut in Russiarum Republica, fovent atque urgent.

Iamvero, ut ad luctuosam eam redeamus legem « de religiosae fidei professionibus deque Congregationibus latam », haud mediocri sane dolore comperimus aperte legumlatores imprimisque edicere nullam esse Civitati religionem propriam, atque adeo, quod iam Hispaniae moderandae « Constitutio » inique sanxit de Civili Societate ab Ecclesia seiungenda, id confirmare ratumque habere.

Ne diu heic multumque moremur, longius persequi nolumus quam remoti a veritate ii aberrent, qui huiusmodi discidium licitum in se probatumque habeant; idque praesertim,

cum de Natione agatur, quorum cives fere omnes catholico nomine gloriantur. Haec siquidem nefasta seiunctio, si rem intento animo consideremus - ut non semel, occasione data, significavimus, ac nominatim per Encyclicas Litteras « Quas primas » - *Laicistarum* commenta necessario consequitur, qui se hominumque consortionem a Deo ideoque ab Ecclesia abalienare contendunt.

At si cuilibet populo perabsurdum est, nedum impium, Deum Creatorem providentemque ipsius Civilis Societatis Rectorem a republica prohibere, id tamen, peculiari modo, Hispanorum genti adversatur, quos penes Ecclesia, cum in legibus, tum in scholis inque ceteris privatis publicisque institutis nullo non tempore meritoque potiorem ac feliciter actuosiorem locum obtinuit.

Animadvertendum praeterea est hoc impietatis inceptum non modo ipsimet christianae populi conscientiae - iuventutis praesertim, quae, Religione posthabita, educari iubetur, ac domestici convictus, cuius sacrosancta praecepta violantur - non reparabili esse detrimento, sed auctoritati etiam Civitatis moderatrici haud minus incommodi ac damni inferre; quae quidem, cum ita praesidium dimiserit, quod eam populis commendabat, cum doctrinam scilicet de divina origine, sanctione obtemperandique ratione omnino respuerit, prorsus necesse est ut et validiorem obligandi vim et firmiorem obedientiae observan ti aeque titulum una simul amittat.

Huiuscemodi damna ex hoc discidi o proficisci, eae non paucae testantur Nationes, quae, cum id ipsum in suam rei publicae ordinationem induxissent, haud ita multo post rei medendi opportunitatem professae sunt, seu leges Ecclesiae infensas - ad interpretationem saltem et ad usum quod pertinet - commutando temperandoque, seu id efíiciendo, ut, quamvis haec seiunctio permaneat, Civitas tamen et Ecclesia pacate inter se conversen tur mutuamque sibi operam praestent.

Nihilo secius Hispaniae legumlatöres, haec parvi pendentes quae historia docet, id genus discidium decrevere, quod illi

reapse adversatur fidei, quam cives paene omnes profitentur: discidium dicimus vel eo calamitosius atque iniqui us, quod, illud libertatis nomine impositum usque ad communis iuris infitiationem ipsiusque libertatis urget, quam tamen certam pariter omnibus tutamque spondent. Ecclesiam sacrosque administros iniustis exceptionibus ita obnoxios reddidere, ut eosdem subiicere magistratuum arbitrio eniterentur.

Etenim, « Constitutionis » ceterorumque decretorum vi, si quaevis opinio, vel omnino falsa, et publice exprimi, et in apertum potest prosilire campum, at Catholica Religio una, cui se filios addictissimus profitentur Hispani, quam impertit institutionem, videt invidiose observatam iudicatamque, et litterarum ludos ceteraque de hispanicae doctrinae optimarumque artium processu tam bene merita opera multis vexata impedimentis.

Ipsa divini cultus perfunctio, in praecipuis etiam rebus ex moreque traditis ritibus, coërcitionibus non caret; ut Religionis traditio ac cura in institutis, quae a Civitatis moderatoribus pendent; ut religiosae, quae ducuntur, pompae, indebitae publicorum magistratuum temperationi omnino permissae; ut denique sacramentorum etiam administratio morientibus funerisque exsequiae vita functis.

In iis vero rebus, quae ius proprietatis spectant, vel luculentius discrepantia patet. Siquidem « Constitutio » civibus omnibus legitimam possidendi facultatem attribuit, itemque, quemadmodum in quibuslibet accidit excultis Civitatibus, gravissimi huiuscemodi iuris usum, quod ex ipsa natura profluit, spondet atque tuetur. Attamen hac etiam de causa in Catholicae Ecclesiae detrimentum exceptionem decrevere; eam videlicet, non sine manifesta iniuriae nota, possessionibus suis omnibus excluserunt. Itaque largitorum voluntas posthabetur; finis, ad quem eiusmodi bona destinantur, spiritualis equidem ac sacrosanctus, prorsus neglegitur; ac reiiciuntur iura, iam diu acquisita, certissimisque rationibus innixa. Aedificia omnia, episcoporum domicilia, parochorum sedes, seminaria

denique ac monasteria, ut integra ac libera Catholicae Ecclesiae res non agnoscuntur; immo potius, ea adhibita sententia, quae occupationis iniustitiam dissimulare contendit, publica Nationis possessio denuntiantur. Praeterea, tametsi circumscriscriptum aedificiorum usum, quorum integrum proprietatis ius Ecclesia eiusque administri obtinuere, ecclesiasticis institutis lege attribuunt, dummodo fini cuiusque proprio, divino nempe cultui, inserviat, decernunt tamen ut iis tributis, quae rerum non moventium usui imperan tur, haec eadem aedificia obnoxia fiant; atque ita Ecclesiam, ob bona illa per vim erepta, vectigalia pendere cogunt.

Iamvero, hoc inducto agendi modo, Civitatis rectores eam sibi viam rationemque compararunt, qua ad precarium etiam suarum rerum usum amittendum Ecclesiam adducerent; quandoquidem eidem, possessionibus omnibusque subsidiis exspoliatae, ac multis coactae impedimentis, imposita tributa solvendi quaenam facultas erit?

Neque asseverari potest quamdam, privatam saltem, possidendi potestatem in posterum esse Catholicae Ecclesiae ex lege permissam; verba enim, quae in exarata lege sequuntur - ea nempe bona « posse Ecclesiam dumtaxat retinere, quae ad obeunda religionis officia necessaria sint » - definitam eiusmodi iuris facultatem inanem propemodum efficiunt; itemque Ecclesiam ipsam eo compellunt, ut quae sint divino muneri suo necessaria civilium magistratuum iudicio subiiciat. Itaque ii, qui Civitati praesunt, in illis definiendis rebus, quae ab Ecclesia, ad spirituales perfunctiones suas quod attinet, exigi possint, supremos iudices se iactant. Atque adeo timendum profecto est ne arbitrii huius sententia factiosis legis legumlatorumque propositis omnino faveat.

At neque id satis habuere; sed res etiam moventes, quibus quidem - rationariis studiosissime confectis ne aliquid praetermitteretur - liturgicas vestes, imagines, pietas tabulas, vasa, pretiosa ornamenta aliaque id genus, catholicae religionis cultui eiusque splendori atque utilitati expresse perpetuoque destinata

diligenter adnumera verunt, publicae civitatis possessiones denuntiatae fuerunt.

Quodsi Ecclesiae ius paene eripiunt utendi possessionibus suis, quas aut ipsamet legitime sibi comparavit, aut pie eidem Christifideles dono dederunt, at contra Reipublicae rectores immodicam sibi sacris hisce rebus abutendi facultatem vindicant, earum etiam, quae, peculiari ritu, a profano usu prohibentur; idque nulla adhibita condicione, nullaque futuri damni compensatione Ecclesiae provisa.

Atqui haud expleverunt haec omnia impium legumlatorum exspoliandi studium : quod tempia etiam attigit, templa, dicimus, liberalium artium ornamentum, eximia gloriae historiaeque monumenta, Hispanicae Nationis laudem ac decus : templa, Dei precationisque domus; templa denique, quae Catholica Ecclesia nullo non tempore rem propriam iure meritoque habuit, quaeque - optime de iisdem merendo - actuosa cura adservavit diligenter et omni ope ex ornavit.

Etenim sacrae illae aedes - quarum non paucas scelesto incendiariorum furore absumptas iterum lamen tamur - ut propria Nationis possessio denuntiatae fuerunt, ita iis obnoxiae factae sunt, qui, neglecta vel contempta catholica Hispanorum fide, rei publicae moderantur.

Quas igitur, venerabiles fratres ac dilecti filii, condiciones apud vos Ecclesiae fecerunt, eaedem tristissimae utique sunt.

Clerus iniusta ea agendi ratione, quae a nobilissimo Hispanorum animo omnino abhorret, reditibus suis ita privatus est, ut non modo officium, ex « Concordati » lege susceptum, violetur, sed absoluta etiam iustitiae iura laedantur; quandoquidem Civitatis rectores, qui hoc genus proventus decreverant, non id gratuito statuerant, sed ut, ex parte saltem, detrimenta, ob bonorum ereptionem ante acto tempore Ecclesiae illa ta quodammodo resarcirent.

Ac praeterea Religiosae etiam Congregationes, ex huiuscemodi infausta lege, impiissime affectae vexataeque fuerunt. Siquidem iniuriosae inuritur suspicionis nota, posse nempe eas

adversus Reipublicae incolumitatem periculosam operam conferre; quam ob rem deiationibus insectationibusque infensa plebis studia commoventur; quod procul dubio facilis videtur via ac ratio ad funestiora in eas suscipienda consilia.

Tot tantisque enim relationibus, perscriptionibus inspeciionibusque subiiciuntur, ut earum res omnes, his coactae impedimentis, fiscalibus molestiis pr aegr aven tur ; ac denique, postquam a docendi iure et a qualibet etiam arte exercenda prohibitae sunt, qua honeste possint sibi victum comparare, tributariis legibus obnoxiae fiunt, quamvis explorata res habeatur vectigalia imposita pendendi facultatem iisdem esse necessario defuturam, quibus cuncta bona fuerint erepta; quod quidem tecta videtur ratio, qua nullus vivendi modus relinquatur.

Iamvero, istiusmodi decreta religiosos viros solummodo non opprimunt, sed universam etiam Hispanorum gentem; quandoquidem maxima illa beneficentiae caritatisque incepta non restinguere non possunt, quae pauperiori plebi opitulantur, quaeque saeculorum decursu cum Religiosas Congregationes tum catholicam Hispaniam praeclaris gloriae laudibus honestarunt.

Verumtamen in afflictis rebus, ad quas saecularis regularisque cleri administri detrusi sunt, hoc Nobis solacio est, generosos nempe Hispaniae populos, quamvis gravissimis in praesens oeconomicis negotiis distringantur, ita tamen esse digne ad iniquis hisce factis medendum elaboraturos, ut, quo Catholica Ecclesia connectatur, inopiae incommodum pro facultate relevare contendant.

Ita enim et religionis cultui et pastoralibus cuiusque muneribus, renovatis viribus, consulere poterunt.

Quodsi, ut diximus, ob huiusmodi nefas, haud mediocri dolore afficimur, at Nos et vos Nobiscum, venerabiles fratres ac dilecti filii, ob iniurias Divinae Maiestati illatas vel vehementius angimur. Cum enim illos Religiosorum hominum Ordines dissolvimi, qui aliis, ac Reipublicae rectoribus, obedien-

tiae votis obstringantur, nonne inimicos atque infestos Deo ab eoque traditae religioni animos manifesto significant?

Hoc enim modo rationeque Societatem Iesu, quae Apostolorum Principis Cathedrae unum se esse ex fulciminibus validioribus iure meritoque gloriari potest, dirimere ac dimittere voluere; ea forte spe freti posse se in posterum Catholicae Religionis fidem ac praecepta in Hispanorum gentis animis restinguere, quae praeclarum illud Ecclesiae iubar, Ignatium nempe Loyoleum, edidit. At praeterea - ut iam pridem a Nobis publice denuntiatum est - supremum ipsum Catholicae Ecclesiae Moderatorem laedere ac veluti perceliere voluerunt. Romani equidem Pontificis nominatim mentionem facere non ausi sunt ; re tamen vera ab Hispanicae Nationis regimine Iesu Christi Vicarii auctoritatem extraneam esse edixere. Idque, perinde ac si Pontificis munus, eidem a Divino Redemptore concreditum, in quavis terrarum orbis parte extraneum asseverari possit; vel tamquam si divinam Iesu Christi auctoritatem agnoscere ac vereri, legitimae auctoritatis humanae deminutio evadat atque impedimentum ; vel denique haud secus ac si civili potestati aliquo modo adversetur spiritualis ac supernaturalis potestas. Quod profecto dissidium ex eorum dumtaxat improbitate haberi potest, qui idcirco hoc ipsum discupiunt, quod exploratum habent, miseras oves nullo ductas Pastore, et e veritatis via aberraturas, et in failacium pastorum praedam facilius esse cessuras.

Etsi tamen iniuriae nota, divinae Romani Pontificis auctoritati inusta, grave vulnus paterno animo Nostro non inferre non potuit, minime tamen dubitavimus quin eadem avitam studiosamque Hispanorum in Beati Petri Cathedram observantiam vel parum remittere posset.

Immo potius, quemadmodum ad recentiora usque tempora ex historiae fide experti sumus, quo acrius Ecclesiae osores a Iesu Christi Vicario populos avertere connituntur, eo arctius iidem - providentissimi Dei consilio, qui ex malis potest trahere bona - Romano Pontifici adhaerere contendunt; studiosiusque

adserant ab eo uno mentibus tot errorum caligine obumbratis affulgere lucem posse, qui quidem, ut Christus Dominus, « verba vitae aeternae » [1] habet.

Neque solummodo in praeclaram optimeque meritam Societatem Iesu tam aspere fecerunt, sed Religiosi etiam Ordines Congregationesque omnes acerbe, recenti lege, divexati sunt; quandoquidem iisdem - ingrata sane, iniusta lamentabilique opera manifesto perpetrata - docendi ius est ereptum. Cur etenim civium ordines, ob eiusmodi tantum causam, quod perfectioris vitae institutum amplexi sunt, a docendi muneribus arcentur, quae ceteris omnibus attribuuntur? Ecquid aliquis dixerit eos, qui, Religiosam Congregationem ingressi, iuvenum institutioni educationique apostolico ardore se dedunt, hac eadem ratione esse ad instituendi educandique perfunctionem minus aptos atque instructus? Atqui experiendo edocemur quam diligenti cura, quam sagaci doctrinae perspicuitate Religiosi hi viri officio satisfecerint suo ; et quos uberes fructus mentibus erudiendis, conforman disque animis operoso labore pepererint. Qui ex eorum scholis - et humanarum omnium disciplinarum praestantia enitentes, et catholico spiritu in exemplum praediti - non pauci prodierunt, luculentissime iidem hoc testantur; itidemque non mediocre, immo etiam permagnum, incrementum, quod eorum doctrinae domicilia in Hispania consecuta sunt, nedum discipulorum frequentia, id feliciter ostendit.

Rem denique patres matresque familias sua agendi ratione confirmant, cum iisdem litterarum ludis filios suos fidenti animo concrediderint; patres dicimus matresque familias, qui, quemadmodum suam cuiusque subolem educandi ius atque officium a Deo exceperunt, ita sanctissimae illius libertatis facultatem obtinent, eos nempe deligendi, a quibus hac eadem in causa adiutricem operam postulent.

[1] **Cfr. Ioan., VI, 69.**

At neque, ad Religiosos Ordines Oongregationesque quod attinet, gravissimum hoc patrare facinus habuerunt satis, sed iura etiam proprietatis certissima legumlatores proculcaverunt liberamque conditorum et largitorum idcirco aperte violaverint voluntatem, quod eas aedes per vim occuparunt inque eas disciplinarum ludos, Deo remoto, induxerunt, in quibus a conditoribus ipsis, ut iuvenes ad germana catholicae fidei dogmata instituerentur, erat praeceptum.

Ex quo facile coniicitur id genus consilii legumlatores inivisse. ut succrescentes hominum aetates religionis quadam neglectione, ne sacrarum dicamus contemptu rerum, imbuerant; ut ex adolescentium animis catholicos sensus, a maioribus quidem acceptos, tamque alte in Hispanorum mentibus Ínsitos, convellerent ; vires denique omnes eo convertisse suas, ut iuventutis eruditionem atque doctrinam, quae ad hoc profecto tempus fide christianisque moribus alebantur, ad *Laicistarum* commenta traducerent.

Quibus praescriptionibus promulgatis, tam acriter Ecclesiae iuribus libertatique inimicis atque infesti s, iuribus dicimus, quae integra servari oportet, Apostolico muneri Nostro deesse prorsus arbitramur, si eamdem legem, quae tantopere divinam Ecclesiae constitutionem praepedit, non improbamus.

Quocirca legem ipsam vehementer sollemniterque expostulamus atque damnamus : eamque nullam posse in Ecclesiae Catholicae firmissima iura vim habere edicimus.

Attamen abstineri heic minime possumus, quin magnam iterum spem aperiamus Nostram, fore ut suavissimi Nobis ex Hispania filii, horum edictorum iniquitate incommodisque penitus perspectis, ea omnia experiantur, quorum vel natura vel lege habituri sint facultatem, ut legumlatoribus ea praescripta emendanda suadeant, quae cuiusvis civis at praesertim christifidelium iuribus adversantur; idque praeterea efficiant ut in eorum locum aliae edantur leges, quae cum catholicorum hominum sensu cohaereant atque congruant. Interea vero, Patris ac Pastoris animo compulsi, Episcopos, Sacerdotes, eosque universos,

qui adulescentibus instituendis operam navant, maximopere hortamur, ut, quam diligentissimis adhibitis curis, ad religionis praecepta atque ad christianos mores puerorum mentes impensius conformentur. Id sane vel maiorem necessitatem habere censemus, quod proxime in Hispania editae leges, divortio in rem publicam inique inducto, familiae sacrarium polluere conantur, atque aperto aditu ad domestici convictus discidium, in civilem hominum consortionem ipsam gravissimorum maiorum semina iniicere non desistunt.

Hoc igitur ingruente detrimentorum discrimine, omnes ex Hispania christifideles iterum enixeque commonet actos volumus ut, querelis ac privatis studiis posthabitis, patriae religionisque commoda propriis cuiusque consiliis potiora habentes, unanimi in fidem tuendam, in rem publicam ex periculis eripiendam strenue contendant.

Peculiari vero ratione christifidelibus omnibus, in Catholicam Actionem, iterum et saepius a Nobis commendatam, ut coeant, vehementer suademus, quae, etsi tam longe abest ut politicam f actionem efficiat, ut contra a quarumlibet partium studiis sit prorsus aliena, christifidelium tamen animos catholicis praeceptis conformare ita enititur, ut eos collustrando confirmandoque ad fidem sartam tectamque servandam actuose excitet.

Finem denique Nostris hisce ad vos litteris, venerabiles fratres filiique carissimi, imponentes, nihil opportunius esse ducimus quam ut vos etiam atque etiam adhortemur ad fiduciam omnem magis quam in humana ope, in perpetuo perennique auxilio collocandam, quod Christus Dominus Ecclesiae suae pollicitus est, inque immensa Dei erga redamantes bonitate. Quapropter animo ea reputantes Nostro, quae apud vos acciderunt, et moestissime prae primis affecti ob pergrave nefas, quod Deo illatum est - tum sacrosanctis eius violatis iuribus, tum eius praeceptis nefarie perfractis - enixas ad aeternum Numen admovemus preces, ut clementer iisdem concedat iniuriis. Qui cuncta moderatur. Civitatis rectorum mentes superna

luce perfundat, voluntatesque ad meliora convertat ac dirigat. Atque iam Nobis spes tuta arridet, futurum ut supplices tot filiorum Nobiscum comprecantium voces - hoc praesertim Anni Sancti decursu, undevicesimo revoluto saeculo a peracta humani generis Redemptione - caelestis Pater benignissime admittat.

Qua quidem spe freti, atque hoc etiam consilio ducti, ut divinorum munerum copiam, cum vobis, venerabiles fratres ac dilecti filii, tum universae dilectissimaeque Nobis Hispanorum Nationi conciliemus, horum auspicem Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis Iunii, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

CARTA ENCÍCLICA

A LOS EMINENTÍSIMOS SEÑORES, CARDENAL FRANCISCO VIDAL Y BARRAQUER ARZOBISPO DE TARRAGONA, CARDENAL EUSTAQUIO ILUNDÁIN Y ESTEBAN ARZOBISPO DE SEVILLA Y A LOS OTROS EXCELENTÍSIMOS ARZOBISPOS Y OBISPOS Y A TODO EL CLERO Y PUEBLO DE ESPAÑA: SOBRE LA INJUSTA SITUACIÓN CREADA A LA IGLESIA CATÓLICA EN ESPAÑA.

PIO PP. XI

VENERABLES HERMANOS **Y** AMADOS HIJOS

SALUD Y APOSTÓLICA BENDICIÓN

Siempre Nos fué sumamente amada la noble Nación Española por sus insignes méritos para con la fe católica y la civilización cristiana, por la tradicional y ardentísima devoción a esta Santa Sede Apostólica y por sus grandes instituciones y obras de apostolado, pues ha sido madre fecunda de Santos, de Misioneros y de Fundadores de ínclitas Ordenes Religiosas, gloria y sostén de la Iglesia de Dios.

Y precisamente porque la gloria de España está tan intimamente unida con la religión católica, Nos sentimos doblemente apenados al presenciar las deplorables tentativas, que, de un tiempo a esta parte, se están reiterando para arrancar a esta Nación a Nos tan querida, con la fe tradicional, los más bellos títulos de nacional grandeza. No hemos dejado de hacer presente con frecuencia a los actuales gobernantes de España — según Nos dictaba Nuestro paternal corazón — cuan falso era el camino que seguían, y de recordarles que no es hiriendo el alma del pueblo en sus más profundos y caros sentimientos, como se consigue aquella concordia de los espíritus, que es indispensable para la prosperidad de una Nación. Lo hemos hecho por medio de Nuestro Representante, cada vez que amenazaba el peligro de alguna nueva ley o medida lesiva de los sacrosantos derechos de Dios, y de las almas. Ni hemos

dejado de hacer llegar, aun públicamente, nuestra palabra paternal a los queridos hijos del clero y pueblo de España, para que supiesen que Nuestro corazón estaba más cerca de ellos, en los momentos del dolor. Mas ahora no podemos menos de levantar de nuevo Nuestra voz contra la ley, recientemente aprobada, referente a las Confesiones y Congregaciones Religiosas, ya que ésta constituye una nueva y más grave ofensa, no sólo a la religión y a la Iglesia, sino también a los decantados principios de libertad civil, sobre los cuales declara basarse el nuevo régimen español.

Ni se crea que Nuestra palabra esté inspirada en sentimientos de aversión contra la nueva forma de gobierno o contra otras innovaciones, puramente políticas, que recientemente han tenido lugar en España. Pues todos saben que la Iglesia Católica, no estando bajo ningún respecto ligada a una forma de gobierno más que a otra, con tal que queden a salvo ios derechos de Dios y de la conciencia cristiana, no encuentra dificultad en avenirse con las diversas instituciones civiles sean monárquicas, o republicanas, aristocráticas o democráticas.

Prueba manifiesta de ello son, para no citar sino hechos recientes, los numerosos Concordatos y Acuerdos, estipulados en estos últimos años, y las relaciones diplomáticas, que la Santa Sede ha entablado con diversos Estados, en los cuales, después de la última gran guerra, a gobiernos monárquicos han sustituido gobiernos republicanos.

Ni estas nuevas Repúblicas han tenido jamás que sufrir en sus instituciones, ni en sus justas aspiraciones a la grandeza y bienestar nacional, por efecto de sus amistosas relaciones con la Santa Sede, o por hallarse dispuestas a concluir con espíritu de mutua confianza, en las materias que interesan a la Iglesia y al Estado, convenios adaptados a las nuevas condiciones de los tiempos.

Antes bien, podemos afirmar con toda certeza, que los mismos Estados han reportado notables ventajas de estos conüados acuerdos con la Iglesia; pues todos saben, que no se opone

dique más poderoso al desbordamiento del desorden social, que la Iglesia, la cual siendo educadora excelsa de los pueblos, ha sabido siempre unir en fecundo acuerdo el principio de la legítima libertad con el de la autoridad, las exigencias de la justicia con el bien de la paz.

Nada de esto ignoraba el Gobierno de la nueva República Española, pues estaba bien enterado de las buenas disposiciones tanto Nuestras como del Episcopado Español para secundar el mantenimiento del orden y de la tranquilidad social.

Y con Nos y con el Episcopado estaba de acuerdo no solamente el clero tanto secular como regular, sino también los católicos seglares, o sea, la gran mayoría del pueblo español; el cual, no obstante las opiniones personales, no obstante las provocaciones y vejámenes de los enemigos de la Iglesia, ha estado lejos de actos de violencia y represalia, manteniéndose en la tranquila sujeción al poder constituido, sin dar lugar a desórdenes, y mucho menos a guerras civiles. Ni, a otra causa alguna, fuera de esta disciplina y sujeción, inspirada en las enseñanzas y en el espíritu católico, se podría en verdad atribuir con mayor derecho, cuanto se ha podido conservar de aquella paz y tranquilidad públicas, que las turbulencias de los partidos y las pasiones de los revolucionarios se han esforzado por perturbar, empujando a la Nación hacia el abismo de la anarquía.

Por esto Nos ha causado profunda extrañeza y vivo pesar el saber que algunos, como para justificar los inicuos procedimientos contra la Iglesia, hayan aducido públicamente como razón la necesidad de defender la nueva República.

Tan evidente aparece por lo dicho la inconsistencia del motivo aducido, que da derecho a atribuir la persecución movida contra la Iglesia en España, más que a incomprensión de la fe católica y de sus benéficas instituciones, al odio que « contra el Señor y contra su Cristo » fomentan sectas subversivas de todo orden religioso y social, como por desgracia vemos que sucede en Méjico y en Rusia.

Pero, volviendo a la deplorable ley referente a las Confesiones y Congregaciones religiosas, hemos visto con amargura de corazón, que en ella, ya desde el principio, se declara abiertamente que el Estado no tiene religión oficial, reafirmando así aquella separación del Estado y de la Iglesia, que desgraciadamente había sido sancionada en la nueva Constitución Española.

No nos detenemos ahora a repetir aquí cuan gravísimo error sea afirmar que es lícita y buena la separación en sí misma, especialmente en una Nación que es católica en casi su totalidad. Para quien la penetra a fondo, la separación no es más que una funesta consecuencia ('come tantas veces lo hemos declarado especialmente en la Encíclica «' Quas primas ») del laicismo o sea de la apostasia de la sociedad moderna que pretende alejarse de Dios y de la Iglesia. Mas si para cualquier pueblo es, sobre impía, absurda la pretensión de querer excluir de la vida pública a Dios Creador y próvido Gobernador de la. misma sociedad, de un modo particular repugna tal exclusión de Dios y de la Iglesia de la vida de la Nación Española, en la cual la Iglesia tuvo siempre y merecidamente ia parte más importante y más benéficamente activa, en las leyes, en las escuelas y en todas las demás instituciones privadas y públicas. Pues si tal atentado redunda en daño irreparable de la conciencia cristiana del país, especialmente de la juventud a la que se quiere educar sin religión, y de la familia, profanada en sus más sagrados principios; no menor es el daño que recae sobre la misma autoridad civil, la cual, perdido el apoyo que la recomienda y la sostiene en la conciencia de los pueblos, es decir, faltando la persuasión de ser divinos su origen, su de pendencia y su sanción, liega a perder junto con su más grande fuerza de obligación, el más alto título de acatamiento y respeto.

Que esos daños se sigan inevitablemente del régimen de separación lo atestiguan no pocas de aquellas mismas naciones, que, después de haberlo introducido en su legislación, comprendieron bien pronto la necesidad de remediar el error, o bien

modificando, al menos en su interpretación y aplicación, las leyes persecutorias de la Iglesia, o bien procurando venir, a pesar de la separación, a una pacífica coexistencia y cooperación con la Iglesia.

Al contrario, los nuevos legisladores españoles, no cuidándose de estas lecciones de la historia, han adoptado una forma de separación hostil a la fe que profesa la inmensa mayoría de los ciudadanos, separación tanto más penosa y injusta, cuanto que se decreta en nombre de la libertad, y se la hace llegar hasta la negación del derecho común y de aquella misma libertad, que se promete y se asegura a todos indistintamente. De ese modo se ha querido sujetar a la Iglesia y a sus ministros a medidas de excepción que tienden a ponerla a merced del poder civil.

De hecho, en virtud de la Constitución y de las leyes posteriormente emanadas, mientras todas las opiniones, aun las más erróneas, tienen amplio campo para manifestarse, solo la religión católica, religión de la casi totalidad de los ciudadanos, ve que se la vigila odiosamente en la enseñanza, y que se ponen trabas a las escuelas y otras instituciones suyas, tan beneméritas de la ciencia y de la cultura española. El mismo ejercicio del culto católico, aun en sus más esenciales y tradicionales manifestaciones, no está exento de limitaciones, como la asistencia religiosa en los institutos dependientes del Estado; las procesiones religiosas, las cuales necesitarán *autorización especial gubernativa en cada caso;* la misma administración de los Sacramentos a los moribundos, y los funerales a los difuntos.

Más manifiesta es aún la contradicción en lo que mira a la propiedad. La Constitución reconoce a todos los ciudadanos la legítima facultad de poseer, y, como es propio de todas las legislaciones en países civilizados, garantiza y tutela el ejercicio de tan importante derecho emanado de la misma naturaleza. Pues aun en este punto se ha querido crear una excepción en daño de la Iglesia Católica, despojándola con patente injusticia de todos sus bienes. No se ha tomado en consideración la voluntad de los donantes, no se ha tenido en cuenta el fin

espiritual y santo al que estaban destinados esos bienes, ni se han querido respetar en modo alguno, derechos antiquísimos y fundados sobre indiscutibles títulos jurídicos. No solo dejan ya de ser reconocidos como libre propiedad de la Iglesia Católica todos los edificios, *palacios episcopales, casas rectorales, seminarios, monasterios,* sino que son declarados, — con palabras que encubren mal la naturaleza del despojo — « *propiedad pública nacional* ». Más aún, mientras los edificios que fueron siempre legítima propiedad de las diversas entidades eclesiásticas, los deja la ley en uso a la Iglesia Católica y a sus ministros, a fin de que se empleen, conforme a su destino, para **er** culto; se llega a establecer que los tales, edificios *estaran sometidos a las tributaciones inherentes al uso de los mismos,* obligando así a la Iglesia Católica a pagar tributos por los bienes que le han sido quitados violentamente. De este modo el poder civil se ha preparado un arma para hacer imposible a la Iglesia Católica aun el uso precario de sus bienes; porque, una vez despojada de todo, privada de todo subsidio, coartada en todas sus actividades, ¿cómo podrá pagar los tributos que se le impongan?

Ni se diga que la ley deja para el futuro a la Iglesia Católica una cierta facultad de poseer, al menos a título de propiedad privada, porque aun ese reconocimiento tan reducido, queda después casi anulado por el principio inmediatamente enunciado que, tales bienes *sólo podrá conservarlos en la cuantia necesaria para el servicio religioso;* con lo cual se obliga a la Iglesia a someter al examen del poder civil sus necesidades para el cumplimiento de su divina misión, y se erige el Estado laico en juez absoluto de cuanto se necesita para ias funciones meramente espirituales; y así bien puede temerse que tal juicio estará en consonancia con el laicismo que intentan la ley y sus autores.

Y la usurpación del Estado no se ha detenido en los inmuebles. También los bienes muebles — catalogados con enumeración detalladísima, porque no escapase nada — o sea aun los

ornamentos, imágenes, cuadros-, vasos, joyas, telas y demás objetos de esta clase destinados expresa y permanentemente al culto católico, a su esplendor, o a las necesidades relacionadas directamente con él, han sido declarados propiedad pública nacional.

Y mientras se niega a la Iglesia el derecho de disponer libremente de lo que es suyo, como legítimamente adquirido, o donado a ella por los piadosos fieles, se atribuye al Estado y solo al Estado, el poder de disponer de ellos para otros fines, sin limitación alguna de objetos sagrados, aun de aquellos que por haber sido consagrados con rito especial están substraídos a todo uso profano, y llegando hasta excluir toda obligación del Estado a dar, en tan lamentable caso, compensación ninguna a la Iglesia.

M todo esto ha bastado para satisfacer a las tendencias antireligiosas de los actuales legisladores. Ni siquiera los templos han sido perdonados, los templos, esplendor del arte, monumentos eximios de una historia gloriosa, decoro y orgullo de la nación a través de los siglos; los templos, casa de Dios y de oración, sobre los cuales siempre había gozado el pleno derecho de propiedad la Iglesia Católica, la cual — magnífico título de particular benemerencia — los había siempre conservado, embellecido, y adornado con amoroso cuidado. Aun los templos — y de nuevo Nos hemos de lamentar de que no pocos hayan sido presa de la criminal manía incendiaria — han sido declarados propiedad de la Nación, y así expuestos a la ingerencia de las autoridades civiles, que rigen hoy los públicos destinos sin respeto alguno al sentimiento religioso del buen pueblo español.

Es, pues, bien triste la situación creada a la Iglesia Católica en España.

El Clero ha sido ya privado de sus asignaciones con un acto totalmente contrario a la índole generosa del caballeresco pueblo español, y con el cual se viola un compromiso adquirido con pacto concordatario, y se vulnera aun la más estricta justicia,

porque el Estado, que había fijado las asignaciones, no lo había hecho por concesión gratuita, sino a título de indemnización por bienes usurpados a la Iglesia.

Ahora también a las Congregaciones Religiosas se las trata, con esta ley nefasta, de un modo inhumano. Pues se arroja sobre ellas la injuriosa sospecha de que puedan ejercer una actividad política peligrosa para la seguridad del Estado, y con esto se estimulan las pasiones hostiles de la plebe a toda suerte de denuncias y persecuciones: vía fácil y expedita para perseguirlas de nuevo con odiosas vejaciones.

Se las sujeta a tantos y tales inventarios, registros e inspecciones, que revisten formas molestas y opresivas de fiscalización y hasta, después de haberlas privado del derecho de enseñar, y de ejercitar toda ciase de actividad, con que puedan honestamente sustentarse, se las somete a las leyes tributarias, en la seguridad de que no podrán soportar el pago de los impuestos: nueva manera solapada de hacerles imposible la existencia.

Mas con tales disposiciones se viene en verdad a herir, no solo a los Religiosos, sino al pueblo mismo español, haciendo imposibles aquellas grandes Obras de caridad y beneficencia en pro de los pobres, que han sido siempre gloria magnífica de las Congregaciones Religiosas y de la España Católica.

Todavía sin embargo, en las penosas estrecheces a que se ve reducido en España el Clero secular y regular, Nos conforta el pensamiento de que la generosidad del pueblo español, aun en medio de la presente crisis económica, sabrá reparar dignamente tan dolorosa situación, haciendo menos insoportable a los Sacerdotes la verdadera pobreza que los agobia, a fin de que puedan con renovados bríos proveer al Culto divino y al ministerio pastoral.

Pero con ser grande el dolor que tamaña injusticia Nos produce, Nos, y con Nos Vosotros, Venerables Hermanos e Hijos

dilectísimos, sentimos aún más vivamente la ofensa hecha a la Divina Majestad.

¿No fué, por ventura, expresión de un ánimo profundamente hostil a la Religión Católica el haber disuelto aquellas Ordenes Religiosas que hacen voto de obediencia a una Autoridad diferente de la legítima del Estado?

Se quiso de este modo quitar del medio a la Compañía de Jesús, que bien puede gloriarse de ser uno de los más firmes auxiliares de la Cátedra de Pedro, con la esperanza acaso de poder después derribar, con menor dificultad y en corto plazo, la fe y la moral cristianas del corazón de la Nación Española que dio a la Iglesia la grande y gloriosa figura de Ignacio de Loyola. Pero con esto se quiso herir de lleno — como lo declaramos ya en otra ocasión públicamente — la misma Autoridad Suprema de la Iglesia Católica. No llegó la osadía, es verdad, a nombrar explícitamente la persona del Romano Pontífice ; pero de hecho se definió extraña a la Nación Española la Autoridad del Vicario de Cristo; como si la Autoridad del Romano Pontífice, que le fué conferida por el mismo Jesucristo, pudiera decirse extraña a parte alguna del mando; como si el reconocimiento de la autoridad divina de Jesucristo pudiera impedir o mermar el reconocimiento de las legítimas autoridades humanas; o como si el poder espiritual y sobrenatural estuviese en oposición con el del Estado, oposición que solo puede subsistir por la malicia de quienes la desean y quieren, por saber bien que, sin su Pastor, se descarriarían las ovejas y vendrían a ser más fácilmente presa de los falsos pastores.

Mas si la ofensa que se quiso inferir a Nuestra Autoridad hirió profundamente Nuestro corazón paternal, ni por un instante Nos asaltó la duda de que pudiese hacer vacilar lo más mínimo la tradicional devoción del pueblo español a la Cátedra de Pedro. Todo lo contrario; como vienen enseñando siempre hasta estos últimos años la experiencia y la historia, cuanto más buscan los enemigos de la Iglesia alejar a los pueblos del Vicario de Cristo, tanto más afectuosamente, por dispo-

sición providencial de Dios que sabe sacar bien del mal, se adhieren ellos a él, proclamando que solo de él irradia la luz que ilumina el camino entenebrecido con tantas perturbaciones y solo de él, como de Cristo, se oyen « las palabras de vida eterna » (S. Juan, vi, 69).

Pero no se dieron por satisfechos con haberse ensañado tanto en la grande y benemérita Compañía de Jesús : ahora, con la reciente ley, han querido asestar otro golpe gravísimo a todas las Ordenes y Congregaciones religiosas, prohibiéndoles la enseñanza. Con ello se ha consumado una obra de deplorable ingratitud y manifiesta injusticia. ¿ Qué razón hay, en efecto, para quitar la libertad, a todos concedida, de,ejercer la enseñanza, a una clase benemérita de ciudadanos, cuyo único crimen es el de haber abrazado una vida de renuncia y de perfección? ¿ Se dirá, tal vez, que el ser religioso, es decir, el haberlo dejado y sacrificado todo, precisamente para dedicarse a la enseñanza y a la educación de la juventud como a una misión de apostolado, constituye un título de incapacidad para la misma enseñanza? Y sin embargo la experiencia demuestra con cuánto cuidado y con cuánta competencia han cumplido siempre su deber los religiosos, y cuan magníficos resultados, así en la instrucción del entendimiento como en la educación del corazón, han coronado su paciente labor. Lo prueba el número de hombres verdaderamente insignes en todos los campos de las ciencias humanas y al mismo tiempo católicos ejemplares, que han salido de las escuelas de los religiosos; lo demuestra el apogeo a que felizmente han llegado tales escuelas en España, no menos que la consoladora afluencia de alumnos que acuden a ellas. Lo confirma finalmente la confianza de que gozaban para con los padres de familia, ios cuales habiendo recibido de Dios el derecho y el deber de educar a sus propios hijos, tienen también la sacrosanta libertad de escoger a los que deben ayudarles eficazmente en su obra educativa.

Pero ni siquiera ha sido bastante este gravísimo acto contra las Ordenes y Congregaciones Religiosas. Han conculcado ade-

más indiscutibles derechos de propiedad; han violado abiertamente la libre voluntad de los fundadores y bienhechores, apoderándose de los edificios con el fin de crear escuelas laicas, o sea escuelas sin Dios, precisamente allí donde la generosidad de los donantes había dispuesto que se diera una educación netamente católica.

De todo esto aparece por desgracia demasiado claro el designio con que se dictan tales disposiciones, que no es otro sino educar a las nuevas generaciones no ya en la indiferencia religiosa, sino con un espíritu abiertamente anticristiano, arrancar de las almas jóvenes los tradicionales sentimientos católicos tan profundamente arraigados en el buen pueblo español y secularizar así toda la enseñanza, inspirada hasta ahora en la religión y moral cristianas.

Frente a una ley tan lesiva de los derechos y libertades eclesiásticas, derechos que debemos defender y conservar en toda su integridad, creemos ser deber preciso de Nuestro Apostólico Ministerio reprobarla y condenarla. Por consiguiente Nos protestamos solemnemente y con todas Nuestras fuerzas contra la misma ley, declarando que esta no podrá nunca ser invocada contra los derechos imprescriptibles de la Iglesia.

Y queremos aquí de nuevo afirmar Nuestra viva esperanza de que Nuestros amados hijos de España, penetrados de la injusticia y del daño de tales medidas, se valdrán de todos ios medios legítimos que por derecho natural y por disposiciones legales quedan a su alcance, a fin de inducir a los mismos legisladores a reformar disposiciones tan contrarias a ios derechos de todo ciudadano y tan hostiles a la Iglesia, sustituyéndolas con otras que sean conciliables con la conciencia católica. Pero entre tanto Nos, con todo el ánimo y corazón de Padre y Pastor, exhortamos vivamente a los Obispos, a los Sacerdotes y a todos los que en alguna manera intentan dedicarse a la educación de la juventud, a promover más intensamente con todas las fuerzas y por todos los medios, la ense-

ñanza religiosa y la práctica de la vida cristiana. Y esto es tanto más necesario, cuanto que la nueva legislación española, con la deletérea introducción del divorcio, osa profanar el santuario de la familia, sembrando así — junto con la intentada disolución de la sociedad doméstica — los gérmenes de las más dolorosas ruinas en la vida social.

Ante la amenaza de daños tan enormes, recomendamos de nuevo y vivamente a todos los católicos de España, que, dejando a un lado lamentos y recriminaciones, y subordinando al bien común de la patria y de la religión todo otro ideal, se unan todos disciplinados para la defensa de la fe y para alejar los peligros que amenazan a la misma sociedad civil.

De un modo especial invitamos a todos los fieles a que se unan en la Acción Católica, tantas veces por Nos recomendada ; la cual, aun sin constituir un partido, más todavía, debiendo estar fuera y por encima de todos ios partidos políticos, servirá para formar la conciencia de los católicos, iluminándola y fortaleciéndola en la defensa de la fe contra toda clase de insidias.

Y ahora, Venerables Hermanos y amadísimos Hijos, no acertaríamos a poner mejor fin a esta Nuestra carta, que repitiéndoos cuanto os hemos declarado desde el principio; a saber, que más que en el auxilio de los hombres, hemos de confiar en la indefectible asistencia prometida por Dios a su Iglesia y en la inmensa bondad del Señor para con aquellos que le aman. Por esto, considerando todo lo que ha sucedido, y apesadumbrados más que todo por las graves ofensas inferidas a su Divina Majestad con las múltiples violaciones de sus sacrosantos derechos y con tantas transgresiones de sus leyes, dirigimos al cielo férvidas plegarias, demandando a Dios perdón por las ofensas contra El cometidas. El, que todo lo puede, ilumine las inteligencias, enderece las voluntades y mueva los corazones de los que gobiernan a mejores acuerdos. Con serena confianza esperamos que la voz suplicante de tantos buenos hijos, sobre todo en este Año Santo de la Redención, será benignamente

acogida por la clemencia del Padre celestial; y con esta confianza, para obtener que descienda sobre vosotros, Venerables Hermanos y amados Hijos, y sobre toda la Nación Española, que Nos es tan querida, la abundancia de los favores celestiales, os damos con toda la efusión de nuestra alma la Bendición Apostólica.

Dado en Roma, junto a S. Pedro, dia 3 de Junio, del año 1933, duodécimo de Nuestro Pontificado.

PIUS PP. XI

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATI ANDREAE HUBERT! FOURNET, SACERDOTIS SAECULARIS, IN BASILICA VATICANA, FESTO PENTECOSTES DIE IV MENSIS IUNII ANNO MDCCCCXXXIII, PERACTA.

Ad postulationem instanter *factam per Advocatum Sacri Consistorii Augustum Mila/ni a Viro Eminentissimo Camillo Laurenti, Cardinali Praefecto S. Rituum Congregationi, Rmus D. Antonius Bocci, Secretarius Litterarum ad Principes, Sanctitatis Suae nomine, ita respondit:*

Ï. Vehementer equidem exoptat Beatissimus Pater in Sanctorum Caelitum numerum Beatum virum Andream Hubertum Fournet, sacerdotem saecularem, Galliae decus totiusque Ecclesiae ornamentum, sollemni ritu referre. Idque non uno nomine exoptat. Etenim, si aerumnarum causae humanae consortioni ingravescunt, si in catholicam fidem maiora cotidie discrimina incumbunt, si vulgo refrigescit in animis caritas, novis procul dubio militans Ecclesia indiget apud Deum deprecatoribus, qui minantia pericula sua tutela prohibeant, qui uberiora concilient caelestia munera, quique feliciora tandem aliquando tempora reducant. Alma per eos lux de caelo mentibus affulgeat, christiana virtus, eorum vestigiis insistens, conroborata increbrescat, et apostolicum studium omnia renovans, via deceptos homines, sanctissimis exemplis ad imitandum colendumque propositis, ad veritatem supernamque beatitatem convertat. Antequam vero sollemnis ritus perficiatur, cupit Sanctitas Sua **ut** omnes, quotquot adsunt, instanter Deum supplices adprecentur, praesentissimo adhibito patrocinio Deiparae Virginis Mariae, castissimi eius Sponsi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, totiusque Curiae caelestis.

Post cantatas Sanctorum Litanias, ad iteratam instantius *postulationem, pariter idem Rmus Dominus respondit:*

II. Decretoria sententia sua* qua summos triumphantis Ecclesiae honores Beato Andreae Huberto Fournet decernet, paulisper adhuc Sum**muSj**|Pontifex supersedendum putat, omnes vehementius adhortatur, quotquot sacris ritibus intersunt, ut instantiore supplicatione Spiritus Paraclyti lumina sibi impetrent.

Ad haec, praeeinente Sanctissimo Domino nostro, hymnus Veni, Creator Spiritus, *cum congrua oratione successit; quo expleto, tertiam* instantissimam *postulationem haec excepit eiusdem Rmi Domini responsio:*

III. Advenit iam! nunc sollemnis horae momentum, quo Romani Pontine is auctoritas, falli nescia, fulgenti sanctitudinis corona Beatum Andream Hubert mu Fournet decoratura est. Venerabundi igitur assurgite omnes, dum intonat sub amplissimo eiusmodi tholo, caelestis bemispherii imagine, inerraus Beati Petri oraculum, in Successore suo viventis.

Tu,m Beatissimus Pater, in Cathedra sedens, sic definivit:

Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio, Beatum Andream Hubertum Fournet Sanctum esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia universali eius memoriam quolibet anno, die natali illius, nempe die xin Mensis Maii, inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Pafgtris et Fi£ghi et Spiritus £ß Sancti.

In solemni vero Missa Papali, post Evangelium, haec fuit

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

« Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto », hanc ad Deum admovere laudem precationemque fere omnibus in suae vitae adiunctis sanctissimus vir Andreas Hubertus Fournet sollemne habebat; « gloria Patri, qui nos creavit, gloria Filio, qui nos, suo profuso sanguine, redemit; gloria Spiritui Sancto, qui opera sua suaque gratia mentem nostram veluti vivens caelum effecit ».

Equidem, Venerabiles fratres ac dilecti filii, quonam aptiore praeconio possumus hunc virum, sanctitudinis decus et ornamentum, caelitum ordini inserere, qui, diuturno» exantlando labores, nihil antiquius habuit, quam ut superni Numinis gloriam modis omnibus proveheret, humanae Redemptionis fructus augeret ampliflcaret, ac Spiritus Paraelyti lumine mortalium animos ita imbueret, ut ad perfectiora cotidie capessenda iidem exardescerent? In quae inciderit ipse tempora nostis. Gallia omnis, in qua huius vitae usuram adeptus erat, eo saeculi deflexu, ita incompositis motibus quatiebatur, ut ingenti rerum omnium conversione transvorsum ageretur. Divinis humanisque iuribus eversis, cernere erat plebeculam, fallacibus doctrinis obcaecatam falsisque assentationibus delenitam, in res omnes sanetissimas inque Deum ipsum insolenter inveni; templa multis locis violata; avitam fidem in animis restinctam, quae tot memoriis gloriisque effulserit per ante actae aetatis decursum; privatos publicosque mores ita pessumdatos ut libertas in licentiam vergeret, atque catholicae religionis officia ac praecepta proculcarentur. Denique non modo hierarchicam Ecclesiae auctoritatem posthaberi aut omnino radicitus convelli, sed Romanorum etiam Pontificum in omnes gentes iurisdictionis Primatum in gravissimum discrimen adduci. At Noster, aetati suae procul dubio non sine Providentis Dei nutu eonsiiioque datus, ut bonus miles Christi, acerrimae huic tempestati apostolico pectore obstitit. Veluti caelesti voce admonitus, illud Ieremiae Prophetae in strenuam suam agendi rationem induxit: « Tu ergo accinge lumbos tuos et surge et loquere ad eos omnia, quae ego praecipio tibi. Ne formides a facie eorum; nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum... ».[1] Is siquidem divina gratia suffultus, perpetuo precandi studio permotus, Eucharistico pabulo enutritus, omnia omnesque obibat, nihil neminemque reformidabat. Si « Dominus nobiscum est, nolite metuere ».[2] Ecquid

[1] IER., I, 17-18.

[2] *Num.*, XIV, 9.

timere queat? Mortem? At «Mihi vivere Christus est et moti lucrum »;[1] atque illam etiam Pauli sententiam sibi usurpabat libentissime: « Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus ».[2] Carnificem timeat? At martyrii palmas concupiscenti animo aucupari non desistit. Grande spectaculum, dilecti filii, atque Apostolorum gloria omnino dignum. Clam, palam, pro sua prudentia animique strenuitate, ecclesiastici ministerii perfunctionem obire; christifideles nunquam deserere; in agris, in silvis et in speluncis, in castelli s sumptuosis vel sub bumilibus tectis, iuxta canaliculatas valles vel supra montium cacumina, sacra impertire omnibus, nutantes animos confirmare, mentes obumbratas caelesti luce afficere, easque, opportunis habitis concionibus, ad sempiterna, non labentia ea quidem revocare perpetuoque mansura. Atque ohm, ut memoriae traditum est, cum, propius urgentibus militibus, ad Crucem pervenisset, iuxta viam populari pietati propositam, ad eam perrexit ac positis hinc inde bracchiis, velut alter Christus Cruci affixus, impavide obstitit. At illi, subito pallentes remissaque fronte abeunt, nec quidquam viro Dei iniuriae inferunt. Dein in exilium coactus, extorres fratres omni ope solatur, loci incolas virtutis suae exemplo commovet, omnesque verbo operaque sua recreat ac reiicit. In patriam tandem reversus, curis laboribusque non pepercit ut iterum catholicae religionis lumen mentibus affulgeret, ut aberrantes fratres ad frugem bonam reciperentur, ut denique profiigati mores, fide caritateque duce, ad pristinam formam reducerentur. Quapropter religiosam etiam condidit sanctimonialium familiam, quas a Cruce vel a S. Andrea nuncupavit. Quibus quidem ex Legiferi Patris instituto id praesertim cordi esset, ut aegrotantium animos humanis divinisque solaciis reficerent, atque, admissis dolore piaculisque expiatis, ad aeternitatis iter ingrediendum rite componerent; itemque ut iuventus tot erroribus irretita, tot illecebris circumventa, ad christianam vivendi normam institueretur atque educaretur. Ac videris saepenu-

[1] *PUL,* I, 21.
[2] *Gal.,* II, 20.

mero sanctissimum senem, capite argentea canitie veluti fulgenti corona redimito, puerorum sororumque multitudine stipatum, verba edere vitae aeternae, ad eamque adipiscendam non tam eloquio, caelestem doctrinam redolenti, quam suavi ipso adspectu allicere atque excitare. Ita Noster, expressam divini Magistri sui imaginem in se referens, <fpertransiit benefaciendo ac sanando omnes ».[1] Cumque fere centum abhinc annis, duodevicesimo scilicet exeunte saeculo a peracta humani generis Redemptione ad mortalem exitum pervenisset, non vitae finem, sed initium potius attingere visus est, illius nempe vitae, quae vera vita est, sempiternis gaudiis affluentis.

Cur igitur non gaudeamus, dilecti Filii, cur non gratulemur vehementer, quandoquidem Nobis licet, in sacri huius temporis faustitate, undevicesimo revoluto saeculo ab adventu Spiritus Sancti et a christiani nominis aevo feliciter instituto, Andream Hubertum Fournet summis honoribus decorare? Adsit ipse de caelo, suppliciter rogamus, laboribus inceptisque Nostris, eo unice spectantibus ut pax gentibus, non tam inscripta tabulis, quam animis consignata, arrideat, ut nec admissis venia, nec humanis laboribus panis desit, neque frustra caeleste pabulum mentes voluntatesque desiderent. Adsit, salutarium fructuum sponsor et auspex, universae hominum consortioni; eamque, pacatis animis et ad potiora bona conversis, non modo fluxarum harum rerum copia prosperitateque frui iubeat, sed ad supernam etiam beatitatem ita contendere, ut, eo deprecatore eoque patrono, in caelestem patriam tandem aliquando recipiatur per infinita saecula saeculorum. Amen.

[1] *Act., X,* **38.**

Annus XXV - Voi. XXV 1 Iulii 1933 Num. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

ROMANA

DE PAROECIARUM S. MARIAE *TRANS* UBEREM ET S. FRANCISCI AD RIPAM MAIOREM DE URBE DISMEMBRATIONE AC DE NOVAE PAROECIAE B. MARIAE VIRGINIS REGINAE PACIS ERECTIONE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Iam pridem tum a vigilantissimis Decessoribus nostris, tum a Nobis ipsis ob tam auctum, postremis potissimum hisce annis, Nostrae Almae Urbis incolarum numerum, ad maiora gregi Nostro spiritualia subsidia procuranda, novae erectae sunt paroeciae; aliasque Nos pro novis civitatis rerum temporumque adiunctis erigamus oportet: quod, Dei opitulante favore, gradatim pro viribus perficere non cessahimus. Modo ad illam Urbis regionem, quam vulgo *Montevetde* appellant, mentis Nostrae oculis prospicientes, in qua quam plurimae constitutae sunt domus et familiae, et sacra in honorem Beatissimae Virginis Mariae *Reginae Pacis* titulo aedes construi coepta est, ac praecipue considerantes christifidelium ibi commorantium domicilium tam procul a vicinioribus S. Mariae trans Tiberim et S. Francisci ad Eipam Maiorem ecclesiis paroecialibus distare, ut difficilius spiritualibus sui parochi adiumentis frui possint, valde opportunum duximus novam in illa regione paroeciam constituere. Omnibus ita-

que mature perpensis, obtento vel suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorurù qui sua interesse praesumant consensu, collatis, cum dilecto filio Nostro Francisco S. E. E. Cardinale Marchetti Selvaggiani, Nostro in spiritualibus Vicario Generali, consiliis, de Apostolicae potestatis plenitudine a praefatis S. Mariae trans Tiberini et S. Francisci paroeciis territorium seiungimus ac separamus, ab eodem Cardinale Urbis Vicario definiendum atque ex eo novam et distinctam paroeciam a Beatissima Maria Virgine *Regina Pacis* appellandam atque curis cleri saecularis ad iuris normam committendam, erigimus et constituimus. Huius autem noviter erectae paroeciae ecclesiam paroecialem quod supra diximus templum sub Beatissimae Mariae Virginis *Reginae Pacis* titulo consecrandum, etsi nondum perfectum, decernimus et declaramus, in cuius crypta divina mysteria et functiones paroeciales interea peragentur.

Eidem vero ecclesiae, eiusque pro tempore parochis omnia tribuimus iura et privilegia, quibus aliae huius almae Urbis parochiales ecclesiae earumque parochi iure communi vel legitima consuetudine fruuntur et gaudent, eisque pariter onera omnia et obligationes imponimus, quibus ceterae Urbis paroeciae earumque parochi adstringuntur, ac praecipue parocho pro tempore onus imponimus duos vel saltem unum coadiutorem habendi, qui ei validum in pastoralibus muneribus obeundis praestent adiumentum. Pro dotatione vero novae huius paroeciae et honesta parochi eiusque vices gerentium substentatione congruam Nos ipsi dotem assignabimus. Rebus itaque ut supra dispositis ad eadem omnia exsecutioni mandanda dilectum filium Nostrum Cardinalem in Urbe Vicarium generalem deputamus, cui propterea necessarias et opportunas concedimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, atque definitive sententiam dicendi de quavis controversia in exsecutionis actu quomodolibet oritura; eidemque onus imponimus peractae exsecutionis actorum fidem authentica, forma exaratam redigendi, illamque in Vicariatus Urbis archivo religiose asservandi. Volumus quoque ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris Nostris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis alia- firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus ceterisque contrariis quibuslibet, etiam specialissima mentione dignis, quibus omnibus per praesentes auctoritate Apostolica derogamus. Nemini autem has litteras Nostras

dismembrationis, erectionis, concessionis, statuti, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere, vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Bomae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo secundo die vicesima quinta Martii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Fr. A. Card. FRÜHWIRT H F. Card. MARCHETTI SELVAGGÍAN1
Cancellarnis S. R. E. ***Vicarius Gen. S. S.***

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Dominicus Iorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XLV, n. 41. **- M. Riggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

VENERABILIS DEI FAMULA MARTA A S. EUPHRASIA PELLETIER, MONIALIS PROFESSA EX ORDINE DOMINAE NOSTRAE A CARITATE, INSTITUTI SORORUM A BONO PASTORE FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR,

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Bonus Pastor Iesus Christus Dominus Noster ac Redemptor, qui animam suam posuit pro ovibus suis et pro grege suo mori dignatus est, erga eos, qui in miseriis et sordibus improbitatis et peccati versantur, misericordia motus, asseclas in Ecclesia sua pios interdum, pro rerum temporumque necessitatibus, suscitat, eosdemque tanquam administros gratiae divinae misericordiaeque vocat ad peculiare munus apostolatus exercendum apud peccatores, qui praesertim ad salutis pascua revertere conentur. Ecclesia autem, Boni Pastoris fidelis sponsa, fecunde continenterque fovet excolitque instituta, quae caritate praecipue et misericordia curent ut aberrantes oves ad tutum Iesu Christi ovile redeant, eisdemque quam maxime auxiliatur. Quas inter miseras oves procul dubio tot tantaeque mulieres et puellae vel devia vita vel infortunate lapsae numerandae sunt, quibus ob leges etiam mundanas et sociales consuetudines ususque pluries redemptionis aditus, proh dolor! praecludi videtur. At vero ut huiusmodi deviae et periclitantes feminae ad Boni

Pastoris pascua reducerentur, ad sana proposita retinenda fìrmarentur, a mundi insidiis caute apteque defenderentur, misericordis Iesu Christi imaginem in se referens, Venerabihs Dei Famula Maria a Sancta Euphrasia valde frugiferum ac nunc omnibus notum Sororum a Bono Pastore Institutum abhinc annos fere centum constituit.

Lucionensis dioecesis intra fines in paroecia Sancti Philiberti de *Noirmoutier* e piis honestisque coniugibus Iuliano Pelletier et Anna Mourain die XXXI m. Iulii an. MDOCXCVI orta est Venerabilis Dei Famula, cui, ob turbulentissimas calamitosas que Gallicae, uti aiunt, revolutionis tempestates domi sacro Baptismate ablutae, primum Eosae Virginiae nomina imposita sunt. Ferventi sed bona indole praedita iam ab aetate puerili pietate ceterisque christianis virtutibus ornabatur, misericordia praesertim erga pauperes egenosque, optima parentum suorum exempla imitata; intempestive autem genitore orbata, paullo post Turonensi in civitate puellis instituendis conlegium ingressa est, ibique morum puritatis ac disciplinae studiosissimam, mundanis oblectamentis minime addictam, de cotidiana continentique virtutum exercitatione sollicitam sese ostendit. Decimum septimum vix agens annum, post amantissimae matris obitum, in aliquam religiosam familiam adscita Deo inservire cupiens, ad Turonensem domum Ordinis Nostrae Dominae a Caritate refugii quamprimum adire statuit. Monialium enim sub invocatione Beatae Mariae de Caritate, e regula S. Augustini, Institutum in oppido Cadomi, Baiocensis dioecesis, primum fundatum, deinceps per plures Galliarum dioeceses diffusum propagatumque, Eomanisque a Pontificibus rite adprobatum Sanctus Ioannes Eudes condiderat ut in eiusdem piis domibus puellae periclitantes vel deperditae reciperentur atque e vitiorum coeno averterentur; huiusmodi autem salutaris Instituti domus « refugia » nuncupabantur, quia adversus mundi illecebras erant tanquam perfugium a magna Dei misericordia paenitentibus mulieribus praebitum. Apostolicum quidem vitae genus et caritatis opera, quibus ex speciali Instituti sui voto moniales ipsae obstringebantur, vehementi desiderio quo Dei Famula aestuabat, maiore nempe quo posset numero Domino Iesu animas lucrifaciendi, plane respondebaht. Difficultatibus itaque, quas tutor eius suscitaverat, tandem superatis, Turonensem domum refugii ingressa, Dei Serva anno MDCCCXV Mariae a Sancta Euphrasia nomen simul ac religiosas vestes accipit. Biennali tirocinio expleto votisque de more nuncupatis, a praeposita piae domus digna habita fuit cui paenitentium mulierum, quae monialibus domus commissae erant, cura et regimen committeretur, ac perdifficile munus singulari caritate et mirabili industria, quamvis tam iuvenis, gessit. Dein vero, cum nondum tricesimum aetatis annum attigisset, unanimi sororum

suffragio eiusdem piae Turonensis domus moderatrix renuneiata, sodales rectis sensibus atque humanitate rexit, nihilque gratius habuit quam sive tiruneularum, sive paenitentium mulierum augere numerum, nihilque pretiosius quam spirituali omnium profectui pro viribus consulere. At cum haud multo post de nova erigenda Andegavensi in urbe domo ageretur, in qua, iuxta instituta Sancti Ioannis Eudes, puellae periclitantes vel deperditae reciperentur atque ad Deum reducerentur, Venerabilis Dei Famula Maria a Sancta Euphrasia ad novam fundationem constituendam vocata est. Ex hac vero Andegavensi domo, ampliata ac novata, suam traxit originem optime merita Sororum Congregatio a Bono Pastore, ^ a e postea ita diffusa est, ut plus quam trecentae plane dignae domus ubique terrarum nunc exstent, in quibus novem millia, et plus etiam, Venerabilis Dei Famulae filiarum in proprium opus explendum Boni animarum; Pastoris Iesu Christi sollertissime incumbunt. At initia operis difficultates omne genus gravarunt, quae sive ab hominibus procedebant, sive a victu ceterisque vitae necessitatibus; sed Maria a Sancta Euphrasia, mira cotidie praebens virtutum exempla iugiterque ad cuncta superanda obstacula alacri in Deum fiducia excitata, novam suam Congregationem firmandam curavit, eiusdem immo incrementum ad magis magisque animorum bonum fovendum firmissime voluit. Iam igitur anno millesimo octingentesimo tricesimo quinto, vix quattuor post annos a fundatione, tum sororum ac novitiarum, tum mulierum paenitentium ac puellarum in orbitate degentium conspicuo numero Andegavensis a Bono Pastore domus florebat. Cum vero tunc temporis in aliis quoque Galliae dioecesibus, Andegavensis similes exstarent piae domus, quas etiam Venerabilis Dei Famula eondiderat, ad domorum Institutique unitatem servandam Gregorius Pp. XVI dec. Noster Litteris Apostolicis sub anulo, die in m. Aprilis an. MPCCCXXXV datis, totius novae *Congregationis Filiarum Beatae Mariae Virginis a Caritate Boni Pastoris* generalem praesidem renuntiavit Andegavensis domus praesidem, aede Andegavensi profecto constituta qua domo principe ac tirocinii generalis sede. Ipsa fundatrix, quamvis persaepe haud firma uteretur valetudine, usque ad mortem, nec laboribus nec adversitatibus fracta, alacri diuturnoque studio suum est moderata a Bono Pastore Institutum; fortis iugiter fortitudine quae ex Deo est, in arduis, in perdifficilibus atque in contrariis rebus, adeo ut eius animi securitatem nihil turbare valeret; in gravi vero moderatricis generalis munere obeundo suavitate ac prudentia mirabilibus se gessit; erga Romanum Pontificem et Sanctam Sedem observantissima, eisdem suum Institutum modo peculiari devinctum voluit; caritate in proximos, quam opera eius ipsa eximiam probant, in exemplum enituit, sororesque suas saepe horta-

batur ut neminem admitterent ad paenitentiam redeuntem, etsi opum defectus et loci angustia aliter suaderent; nil aliud denique sibi constanter proposuit, nisi salutem animarum et gloriam Dei quam maxime provehere. Tandem vix alterum supra septuagesimum aetatis suae annum attingens, Venerabilis Dei Famula letali morbo ac peracerbo, qui plures quidem per menses duravit, tabescere coepit, donec Ecclesiae Sacramentis rite munita sub vesperam diei xxrv m. Aprilis an. MDCCCLXVRN placidissimo exitu in Domino obdormivit. Ob virtutum vero famam, qua vitam adhuc mortalem agens Famula Dei inclaruerat, nec non ob caelestia quoque prodigia, quibus, post eius obitum et funus, Deus Ancillae suae sanctitatem confirmare tradebatur, de Beatorum caelitum honoribus ipsi Famulae Dei decernendis, penes Sacrorum Rituum Congregationem causa agitari coepta est, et per decretum die xi m. Decembris an. **MDcccxcvn** editum, rec. mem. Leo Pp. XIII Decessor Noster^ introductionis causae Commissionem signavit; eademque, introducta cum fuerit, minoribus interea superatis iudiciis adeo deinceps progressa est, ut mox etiam super Venerabilis Servae Mariae a Sancta Euphrasia virtutibus disceptari coeptum sit; quas tanquam heroica qualitate praeditas atque exornatas Nos ipsi anno MCMXXIV sexto kalendas Martias sollemniter adprobavimus et declaravimus. Agitata dein quaestione de duobus miraculis, quae a Deo patrata ferebantur per Venerabilis Mariae a Sancta Euphrasia intercessionem, post duas Congregationes antepraeparatoriam scilicet et praeparatoriam nec non aliam generalem Congregationem, quae coram Nobis die XX m. Decembris praeteriti anni habita est, rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, Nosmetipsi, die octava mensis Ianuarii proxime elapsi proposita miracula constare sollemniter declaravimus ulteriusque proinde in casu procedi posse. Cum igitur esset de heroicis virtutibus deque miraculis prolatum consilium, illud discutiendum supererai, secundum sacri fori instituta, num Venerabihs Dei Famula inter Beatos caelites recensenda tuto foret. Hoc dubium propositum est a dilecto filio Nostro Caietano Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero Cardinali Bisleti, titulo S. Agathae Gothorum, Causae Relatore, in generalibus comitiis coram Nobis habitis in Aedibus Vaticanis die **xxxi** m. Ianuarii vertentis anni; omnesque qui aderant, tam Cardinales quam Sacrorum Rituum Consultores unanimi consensu affirmative responderunt. Nos vero in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus donec enixis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem die quinta mensis Februarii huiusmet anni, nempe Dominica quinta post Epiphaniam, Eucharistico Sacro rite litato, adstantibus dilectis filiis Nostris Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Laurenti,

qui Sacrae Rituum Congregationi praepositus est, et Caietano Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinal - Bisleti, Causae Relatore, nec non dilectis filiis Congregationis Rituum Secretario et Sanctae Fidei Promotore generali, auctoritate Nostra suprema pronunciavimus *tuto* procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Famulae Mariae a Sancta Euphrasia beatificationem. Quae cum ita sint, universae religiosae Familiae Sororum Instituti a Bono Pastore ab eadem fundatae, nec non Congregationis Eudistarum atque Ordinis Dominae Nostrae a Caritate vota implentes, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum tenore facultatem facimus ut Venera^ bilis Dei Famula Maria a Sancta Euphrasia, monialis professa ex Ordine Dominae Nostrae a Caritate « Refugii », fundatrix Instituti Sororum a Bono Pastore, Beatae nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana seu relliquiae, non tamen sollemnibus in supplicationibus deferenda, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines eius radiis decorentur. Eadem praeterea Nostra apostolica auctoritate concedimus ut de illa recitetur Officium et Missa celebretur singulis annis de Communi Virginum, cum orationibus propriis, per Nos adprobatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Lucionensi, ubi nata est Serva Dei, atque in Andegavensi dioecesi, cum in eadem migraverit ad Dominum, itemque in templis ac sacellis ubique terrarum sitis quibus utuntur tum Institutum Sororum a Bono Pastore tum Ordo Dominae Nostrae a Caritate « Refugii », tum denique Congregatio Eudistarum ab omnibus fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus tam e saeculari quam e regulari clero ad ecclesias sive sacella, in quibus festum agitur, convenientibus. Denique facultatem impertimur ut sollemnia beatificationis Venerabilis Dei Famulae Mariae a Sancta Euphrasia memoratis in templis seu sacellis, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum, servatis servandis, celebrentur, postquam eadem sollemnia in Patriarchali Sacrosancta Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus constitutionibus et ordi* nationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, in iudicialibus etiam disceptationibus eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce ostensis Litteris haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **xxx** mensis Aprilis, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimo secundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

II

VENERABILIS DEI FAMULA VINCENTIA GEROSA, INSTITUTI SORORUM CARITATIS A MARIA INFANTE ALTERA FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Mirabilis Deus in Sanctis suis, quos sibi in hereditatem eligit ut manifesto appareant mirabiles quidem effectus gratiae, quae adversus omnia mundi mala hominibus etiam humilioribus ad clarissimam perfectionis christianae altitudinem attingendam, in hac terrena peregrinatione, dat virtutem ac robur. Quae quidem virtutis roborisque divinae gratiae manifestatio revera habita est in humili virgine ac litteris humanis scientiisque fere inculta Vineentia Gerosa, quae abhinc centum annos in Instituto condendo Luerensi Sororum a Caritate, quas nuncupant a Maria Infante, plane singularis Beatae Bartholomaeae Capitanio adiutrix fuit.

Luere in oppido, Brixiensis dioecesis intra fines, a parentibus pietate morumque integritate spectatis, qui coriorum confectionem et mercatura» exercebant, Venerabihs Dei Pamula die xxix m. Octobris, an. MDCCLXXXIV orta, tertia die a nativitate, nominibus eidem impositis Mariae Catharinae Franciscae, sacro baptismate abluta est. Ab ineunte aetate modestiam in ore, habitu, incessu moribusque suis eximiam omnibus ostendit, atque adolescentula adhuc dum cibi parsimonia utebatur, iam instrumenta paenitentiae adhibere coepit. Progredientibus annis, sui ipsius oblita, tota erat ut in proximos beneficentissimam sese exhiberet; obsequens vero sanguine propinquis, domesticas dissensiones placare contendit, amantissimeque parentibus infirmis ceterisque familiaribus adstitit; clemens autem in servos, benigna in pauperes, indigentibus stipem pro viribus largita est, eisdem aegrotantibus praesto fuit, eosque tum in nosocomio tum domi visitans, cibo, vestibus et medicamentis sublevavit. Ut virginitatem suam illibatam Domino Iesu servaret, nuptias sibi a parentibus et cognatis pluries oblatas firmiter recusavit, ut ita innocens manibus et mundo corde propius caelesti Sponso accederet. Parentibus orbata, patruis et amitis subiectam se humiliter praebuit, iisdem immo obsecuta rem domesticam et negotia bene recteque gessit. Tricesimum cum attigisset aetatis annum, sancto foedere inito cum Beata Bartholomaea Capitanio, et ipsa Luerensi, se et bona sua in puellarum tutamen atque aegrotorum levamentum impendere decrevit. Puellarum interea coetum instituit sub tutela Beatissimae Virginis Mariae, sacellum que instaurandum curavit, quo

puellae eaedem officiis pietatis ac religionis obeundis convenirent; nosocomium quoque, necessaria supellectile instructum in oppido natali, anno MDCCCXXVI egenis aegrotantibus aperuit. Post dilectae sororis mortem cum Beata Bartholomaea Capitanio prima fundamenta iecit memorati Instituti Sororum a Caritate, dein a Maria Infante vulgo nuncupati, quod cito in frugiferam arborem, Deo adiuvante, excrevit suosque ramos ubique terrarum extendit. Mense vero Novembri an. millesimo octingentesimo tricesimo secundo parvam Gaiorum domum penes nosocomium in oppido Luerensi, condendo Instituto destinatam, quam suo sumptu emerat ingressa Venerabilis Dei Famula, quae tunc temporis nondum decimum suae aetatis lustrum expleverat, castitatis, paupertatis, obedientiae atque erga proximos caritatis votis una cum Beata fundationis Instituti socia se obstrinxit, sumpto quoque paullo post religioso Vincentiae nomine. At cum octavo mense ab inito novo Instituto Beata Bartholomaea esset immatura morte sublata, tunc apparuit quam profundae humilitatis spiritu Venerabilis Dei Serva imbuta esset; nonnisi enim vi obedientiae coacta adduci potuit ut ad Institutum regendum et propagandum se se apponeret. Cum tamen, amans nesciri et pro nihilo reputari, oneri atque honori moderatricis Instituti prorsus imparem se existimaret, noluit Sororum antistita vocari, sed seniorem tantum se ipsam nuncupavit; ac in tantam sui despectionem pervenit, ut aliorum in se contemptum excitare verbis et factis studerei. Illius, e contrario, virtutes insignes, promptum ac nativum in rebus gerendis ingenium, firmum eventuum iudicium et facta dignissima omnium eidem existimationem ac benevolentiam conciliabat. In perficiendo autem dilatandoque Instituto, vix quidem inchoato, dexteritatis, prudentiae ac sapientiae optima specimina dedit; at cum ex corde nihil se existimaret, se suaque omnia in Iesu Crucifixi plagas reposuit, dicere solita « Qui Crucifixum ignorat nihil scit, qui Crucifixum novit scit omnia ». Religiosae vero familiae suae munere antistitae naviter usque ad obitum est perfuncta, impetratis etiam anno MDCCCXL opportunis Litteris Apostolicis, quibus a rec. mem. Decessore Nostro Gregorio Pp. XVI adprobatum fuit Luerense Institutum, quod brevi longe lateque propagines suas adeo effudit, ut, vivente adhuc Venerabili Dei Famula, vix nempe decem annorum spatio, iam quadraginta religiosis domibus idem constaret. Nunc autem, mirabile dictu, fere septem millia Sororum a Caritate e praefato Instituto Luerensi non modo in Italia, sed in aliis quoque vel longo terrarum marisque tractu dissitis regionibus exstant, quae plusquam quingentas pias Instituti domus inhabitant. Anno millesimo octingentesimo quadragesimo septimo, a religiosa vita suscepta quarto decimo, Venerabilis Dei Famula Vincentia in gravem incidit morbum,

quem duos fere menses tranquillo ac patienti animo pertulit, cupiens tantum dissolvi et esse cum Christo. Etiam ad extremum vitae optima christianarum virtutum exempla Sororibus suis praebuit, humilitatis praecipue, castitatis^ obedientiae. Cum alterum supra sexagesimum aetatis suae annum ageret, animam suam Iesu Christo crucifixo instanter commendans, placidissimo exitu in Domino obdormivit quarto kalendas Iulias anno MDCCCXLVD:. Corpus eius funere conferissimo ad coemeterium oppidi Iiuerensis delatum est, ibique mansit, donec, undecim fere cum dimidio post annos a morte, iuxta Beatae Bartholomaeae Capitanio exuvias in aedibus Instituti pie est conlocatum, ut quas in vita Deus coniunxerat, nec fata in morte separarent. Interea numquam deferbuit sanctitatis fama, qua Venerabilis Dei Famula, dum hanc vitam mortalem agebat, iam inclaruerat, sed magis magisque in dies vivida effulsit postquam praesertim in novo sepulcro corpus Venerabilis conditum est; quare penes Sacrorum Rituum Congregationem causa agitari coepta est de Beatorum caelitum honoribus ipsi Famulae Dei Vincentiae Gerosa tribuendis, et Decessor Noster rec. mem. Pius Pp. X, post accuratam disceptationem, per decretum die xn mensis Decembris an. MDCCCCVI datum introductionis causae Commissionem signavit. Probationibus dein legitime sumptis, ceterisque de iure rite expensis, de virtutibus heroicis ipsius Venerabilis Servae Dei, Nos, sollemni decreto, nono kalendas Augustas anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo edito, Venerabihs Dei Famulae Vincentiae Gerosa virtutes heroicum attigisse fastigium sancivimus. De miraculis postea, quae ipsa Venerabili Vineentia intercedente a Deo patrata ferebantur, quaestione suscepta, rebus omnibus severissimo iudicio ponderatis, cum duo e prodigiis relatis plane vera atque explorata fuerint iudicata, Nos, alio decreto, die xxn m. Ianuarii huius anni millesimi nongentesimi tricesimi tertii promulgato, de eorum veritate constare suprema Nostra auctoritate declaravimus. Cum igitur esset de gradu heroico virtutum ac de miraculis prolatum consilium, illud tantum supererai discutiendum, num Venerabihs Famula Dei inter Beatos caelites tuto foret recensenda. Hoc dubium propositum est a dilecto filio Nostro Caietano Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Bisleti, titulo Sanctae Agathae Gothorum, causae Relatore, in Comitiis generalibus coram Nobis habitis die septima mensis Februarii vertentis anni, omnesque qui aderant tam Cardinales quam Sacrorum Rituum Consultores ac Praelati unanimi consensu affirmative responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distuhmus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem die decima tertia mensis Februarii eiusdem, die scilicet secunda ab inito Nostro Pontificatu

anni decimi secundi, Eucharistico Sacro rite litato, adstantibus dilectis filiis Nostris Camillo Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinali Laurenti, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, nec non Caietano Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Bisleti, Causae Ponente, itemque dilectis filiis memoratae Congregationis Rituum Secretario et Sanctae Fidei Promotore, ad sollemnem Venerabilis Dei Famulae Vincentiae Gerosa beatificationem *tuto* procedi posse auctoritate Nostra pronunciavimus. Quae cum ita sint, Sororum a Caritate, quas vulgo a Maria Infante nuncupant, vota implentes, auctoritate Nostra apostolica, praesentium Litterarum tenore facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famula Vincentia Gerosa, altera Sororum Caritatis a Maria Infante fundatrix, Beatae nomine in posterum nuncupetur, atque eius corpus et lipsana, seu relliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae fidelium venerationi proponantur, eiusdemque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra apostolica auctoritate concedimus ut de illa recitetur Officium et Missa celebretur quotannis de Communi Virginum respective cum lectionibus atque orationibus propriis per Nos adprobatis, iuxta rubricas Missalis ac Breviarii Romani. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in Brixiensi dioecesi in qua nata est Dei Famula ac migravit ad Dominum; itemque in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus utuntur Sorores a Caritate memoratae, ab omnibus fidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad ecclesias sive sacella, in quibus festum agitur, convenientibus. Denique facultatem impertimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famulae Vincentiae Gerosa supradictis in templis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum, servatis servandis, postquam eadem sollemnia in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii enunciatae Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicialibus etiam disceptationibus, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die Vn m. Maii, an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimo secundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

III

VENERABILIS **DEI SERVUS IOSEPH PIGNATELLI PRESBYTER PROFESSUS SOCIETATIS IESU BEATUS RENUNTIATUR.**

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Ardore inexplebili ad caritatem accensos, in adversis praesertim calamitosisque tempestatibus, quibus Christi Ecclesia eiusque Instituta aliquando impediuntur, misericors Deus providentissime viros sanctos suscitat, qui pro rerum temporumque necessitatibus in miserias sublevandas, in difidentes confirmandos, in animos erigendus, in deperdita recreanda continenti navitate studioque incumbant. Quos inter viros, virtutibus quibus ipsi exornantur, factisque in exemplum adducendis, quae agunt, plane mirandos, clarus genere, virtute clarior habendus est etiam Venerabihs Dei Servus Ioseph Pignatelli, e Societate Iesu presbyter professus, quem asperrimis temporum procellis diu exagitatam benignissimus Deus inter adversa mirifice sustentavit, suaque gratia ad sanctitatis culmen evexit.

Oaesaraugustae in Hispania anno millesimo septingentésimo tricesimo septimo natus est e nobilissima familia ipse Venerabilis Dei Servus, qui quintum aetatis suae vix attingens annum, pia genitrice orbatus, ïfeapolim petiit ut eadem in civitate commoraretur suam apud sororem, quae omni cura atque industria illum christianis institutionibus educavit. Duodecimum annum agens, ob adversam valetudinem qua laborabat, in Hispaniam reversus, exceptus est, singulari venia,in caesaraugustano Societatis Iesu conlegio. Adhuc puer puerilia quaeque fastidivit et in virtutes tantum exercendas ac studia peragenda incubuit; tunc temporis quidem iam innocentia vitae, obedientiae consuetudine, ingenii acie ac suavitate praeditus, gravitate praesertim atque humanitate morum ita enitebat, ut angelus pacis nuncupantur; singulari vero exornabatur pietate in Deum et in Beatissimam Virginem Mariam, quam piissime cotidianis precibus venerabatur. Adulescens magno motus desiderio se vovendi sacro animorum ministerio in frugifera Societate Iesu, enixe rogavit ut in eandem reciperetur, ac, variis diversisque difficultatibus superatis, quindecim annos natus Tarraconensem novitiatus • domum magno animi gaudio ingressus est. In tirocinio cum tanquam religiosae vitae atque observantiae regularum exemplum plene se gesserit, post biennium vota simplicia nuncupavit; ad studia vero proclivis, antea in litteras ac philosophiam Manresae et in Calatayudensi Conlegio Societatis cum omnium laude incubuit; dein

divinarum rerum disciplinas Caesaraugustae ita addiscere est aggressus, ut tam diligentia quam ingenio inter sodales facile excelleret. Mense autem Decembri anno millesimo septingentésimo sexagesimo secundo sacerdotio auctus, divinum Sacrificium die festo S. Ioannis Evangelistae primum litavit; et adversa valetudine, qua iam tunc temporis laborabat, spreta, apostolici ministerii laboribus, una cum prima gramaticae elementa edocendi pueros munere, statim se devovit- In sacris peragendis et in divini Officii recitatione sedulus, in pauperes atque infirmos misericors, in peccatorum confessionibus excipiendis impiger maximam omnium existimationem sibi conciiiavit, adeo ut Societati Iesu a Deo provide donatus videretur. Oborta enim contra divi patris Ignatii pios alumnos persecutione, qua rex Hispaniae anno millesimo septingentésimo sexagesimo septimo e finibus regni sui illos pepulit, Venerabilis Dei Servus, inter tot adversa ac rerum angustias plene sui compos, pro-rectoris munus, a praeposito provinciae ara* gonensis ei traditum, caute, prudenter ac vigilantissime explens, paenae consortes ad fiduciam erigere, ad constantiam hortari studuit, eorum necessitatibus et saluti prospexit, nihil de se sollicitus in animum ac robur addendum sociis tantum suis intendit. Cum sodalibus ex Hispania pulsis primum se recepit in Corsicam, ibique, dum diversoria, annonam, medicamenta, omniaque alia ad vivendum necessaria confratribus per annum provisit, insulae quoque incolis suum auxilium contulit; postea ob politicas militaresque loci perturbationes e Corsica digressus, per regionem Ianuensem et Parmensem socios suos, laboribus fraetos ac morte etiam imminutos, ditionis Status Pontificii intra fines Ferrariam mirabiliter duxit. Hac in civitate rebus illico prospexit eorum e Societate Iesu, quos ex Hispania voluntarius in exilium comitatus optime quoque moderatus erat. Tandem quasi ad praemii instar die secunda mensis Februarii anno MDCCLXXI in templo ferrariensi Societatis sollemnia vota emisit. At iam nova atque asperior alumnis Sancti Ignatii non modo hispanicis sed et ceteris omnibus adversitas instabat: repente enim a Romano Pontifice Iesu Societate soluta, Patres quoque Ferrariae degentes communem vitam relinquere ac regularem observantiam desinere coacti sunt. Neque tamen in huiusmodi summo discrimine Venerabilis Dei Famulus animo plus aequo turbatus est, sed, perculsos dolore confratres supernae sapientiae verbis in spem erigere conatus, pienissimo erga Apostolicam Sedem obedientiae obsequio et fidelissime etiam in suam Iesu Societatem amore enituit. Religioso proinde habitu deposito, saecularis sacerdotis vestibus indutus Bononiam se contulit, eademque in urbe ne otio indulgerei, cum in sacrum animorum ministerium incumbere ex lege contra Societatem lata nequiret, studiis bonisque artibus colendis totum se applicuit. Libros tum plurimos eosque

magni momenti collegit, publicumque et celeberrimum Athenaeum, doctoribus magistrisque acceptissimus, frequentant. In domo vero sua bononiensi quotquot e Societate sodales vel studentes aut etiam sacerdotes qui, gallicas perturbationes fugientes per Bononiam transirent, hospitio humaniter excipiebat; pauperes autem studiosissime copioseque adiuvabat. Dum ita ipsa in civitate versabatur, iugiter exoptans sese recipere in denuo restitutam Iesu Societatem, legitimitate cognita e suo Ordine Familiae, quae adhuc in Russia vigebat, religiosa vota iteravit ac Patribus, qui memoratam russicam Familiam in Parmensi ducatu degentes sequebantur, se adiunxit, et domui tironum intra fines parmenses Colornii, annuente rec. mem. Decessore Nostro Pio Pp. VI constitutae, diligentissime praefuit. Post vero decretum tertio kalendas Augusti, anno millesimo octingentesimo quarto editum, quo idem Pontifex ut Societas Iesu in Eegno neapolitano restitueretur benigne indulgebat, Venerabihs Dei Famulus, qui paullo ante Neapolim petierat, ibi multa prudentia maximaque animi fortitudine res egit ac feliciter ad finem perduxit. Provinciae neapolitanae sic renovatae praepositus factus, Dei Servus de suorum sodalium tam spirituali quam corporali salute valde sollicitus nec non de bono fidelium, quamvis difircilfimis temporibus, suo munere naviter fructuoseque functus est. Nonis dein luliis an. **MDOCCVi** eum sodalibus e Regni neapolitani finibus ob, quae evenerant, politicas novitates discedere coactis hanc Almam in Urbem confugit, ubi benignissime exceptus a Summo Pontifice, post aliquod tempus antea in diversorio ac postea in Romano Conlegio transactum, in aedibus templo adnexis Beatae Virginis a Bono Consilio dicato moratus est, ibique mansit usque ad mortem. Ultimis suae vitae annis dilectae Societati denuo efformandae tuendaeque Venerabilis Dei Servus totum se dedit, ita ut ex eiusdem praecipue actuosa opera et spectatissima morum sanctitate factum sit ut suo tempore instaurandae omnino Societati Iesu via feliciter explanaretur. Haec itaque assidue gerens, Dei Famulus, aetate senescente, continentibus corporis infirmitatibus vexatus, ad mortem iam iam appropinquabat. Nam morbus haemophthysis, quo ipse gravius modo, modo levius ab adulescentia laboraverat, ingravescere coepit; ita ut brevi Dei Servus ad extremum ductus, Ecclesiae Sacramentis rite munitus, adstantibusque omnibus e domo patribus ac fratribus, placidissime in Domino obdormiverit die decima quinta mensis Novembris, anno millesimo octingentesimo decimo primo. Ob temporum calamitates funebria privatissimo more, absque pompa et fere occulta peracta sunt; corpus autem Venerabihs prope altare maius ecclesiae Beatae Mariae de Bono Consilio tunc conlocatum, postea, Ordine Ignatiano plene restituto, ad templum urbanum Ssmi Nominis Iesu translatum est et in conditorio, ubi Generales quiescebant Praepositi

Societatis, depositum*, nunc autem in sacello Sanctissimi Crucifixi pie servatur. Vir fuit profecto Ioseph ipse ingenio, doctrina clarus et conspicuis prudentiae et consilii donis a Deo insignitus; eximius religiosarum virtutum cultor : abstinentia, sui despectione, paenitentia, rerum humanarum contemptu, invicta animi in adversis fortitudine, admirabili in tolerandas infirmitatibus patientia, prompta obedientia enituit; fide firmus, spe certus, singulari in Deo fiducia plenus, caritate in proximos sollicitus, liberalitate in pauperes effusus, ab omnibus dum vivebat in honore et veneratione habitus est; ad omnia maxima natus nihil se valere existimavit, religiosam familiam cui diu praefuit optime rexit, ita ut a dec. Nostro Pio Pp. VII supremi Societatis Iesu regiminis dignus iudicaretur; sanctus denique ab omnibus putatus, post pretiosam eiusdem in conspectu Domini mortem, res ad eumdem pertinentes tanquam relliquiae certatim a pluribus quaesitae sunt. Nec ex ipso mortis tempore huiusmodi sanctitatis Dei Servi fama unquam deferbuit, ita ut, processibus Ordinariis peractis, et ad Sacrorum Rituum Congregationem adlatis, de Beatorum caelitum honoribus Servo Dei tribuendis causa agitari coepta sit. Quare Decessor Noster Gregorius Pp. XVI, ómnibus rei momentis attento seduloque studio perpensis, per decretum editum die tricésima mensis Septembris anno millesimo octingentesimo quadragesimo secundo introductionis causae Commissionem manu propria signavit; absolutioque iis omnibus, quae in huiusmodi iudicio pertractanda erant, disceptari coeptum est super Venerabilis Dei Servi virtutibus, quae tanquam heroica qualitate praeditae et exornatae, sollemni Apostolicae Cathedrae sententia, sedente rec. mem. Decessore Nostro Benedicto Pp. XV octavo kalendas Apriles, anno MDCCCCXVII adprobatae declarataeque fuere. Agitata dein quaestione de duobus miraculis, quae a Deo patrata ferebantur per Venerabilis Iosephi Pignatelli intercessionem, post duas Congregationes antepraeparatoriam scilicet et praeparatoriam, nec non aliam generalem Congregationem, quae coram Nobis die xiv mensis Februarii vertentis anni habita est, rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, Nosmetipsi, die decima nona memorati mensis Februarii proposita miracula constare sollemniter declaravimus ulteriusque proinde in casu procedi posse. Cum propterea illud tantum superesset discutiendum num Venerabilis Dei Famulus inter Beatos caelites tuto foret recensendus, in generali conventu die vicesima quinta mensis Februarii hoc anno coram Nobis habito, omnes qui aderant tam Cardinales quam Sacrorum Rituum Consultores et Praelati unanimi consensu affirmative responderunt. Nos autem in re tanti momenti Nostram aperire mentem cunctati sumus ut enixis precibus supernum antea auxilium posceremus. Quod quidem cum fecissemus, die duodecima mensis

Martii proxime praeteriti, religiosissime litato Eucharistico Sacrificio, adstantibusque- dilecto filio Nostro Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Laurenti Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, nec non venerabili fratre Nostro Ianuario Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopo Ostiensi et Albanensi Causae Relatore, itemque dilectis filiis Alfonso Carinci, Congregationis Rituum a secretis, et Salvatore Natucci, generali Sanctae Fidei promotore, sollemniter ediximus tuto procedi posse ad Venerabilis Servi Dei Ioseph Pignatelli, presbyteri professi e Societate Iesu, beatificationem. Quae cum ita sint, precibus permoti universae Societatis Iesu, auctoritate Nostra apostolica, praesentium Litterarum tenore concedimus ut idem Venerabihs Ioseph Pignatelli Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana seu relliquiae non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae fidelium venerationi proponantur; itemque permittimus ut imagines eiusdem Servi Dei radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra largimur ut de eo quotannis Officium recitetur de Communi Confessorum non pontificum cum lectionibus propriis per Nos adprobatis, et Missa de eodem Communi cum orationibus propriis pariter per Nos adprobatis celebretur, servatis rubricis, sed tamen in dioecesi dumtaxat Caesaraugustana in qua Dei Famulus natus est, atque hac Alma in Urbe in qua ipse migravit ad Dominum, itemque in templis ac sacellis ubique terrarum sitis, quibus utitur Societas Iesu, ab omnibus fidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad ecclesias seu sacella in quibus festum agitur convenientibus. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabihs Dei Famuli Iosephi Pignatelli, presbyteri professi Societatis Iesu, supradictis in dioecesibus celebrentur, nec non in ecclesiis seu sacellis memoratae Societatis Iesu, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum ab iisdem sollemnibus in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana rite peractis. Non obstantibus constitutionibus atque ordinationibus Apostolicis nec non decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii enunciatae Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, eadem prorsus fides adhibeatur in disceptationibus etiam iudicialibus, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxi mensis Maii anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimo secundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AB EMUM P. D. IOANNEM TIT. S. BALBINAE S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM VERDIER, ARCHIEPISCOPUM PARISIENSEM; QUEM LEGATUM SUUM DE* PUTAT AD SOLEMNIA CENTESIMO APPETENTE ANNO AB INSTITUTA PIA SODALITATE VINCENTIANA A CONFERENTIIS PARISIIS HABENDA.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Summa animi delectatione perspeximus quo alacri studio pia sodalitas, quae « Conferentiae S. Vincentii a Paulo » nuncupatur, centesimum natalem suum mense Maio proximo celebrare contendat. Non enim absque felici providentis Dei consifio, ipso sacro ineunte anno, quo mirabile Redemptionis opus singulari memoria recolendum ediximus, publice palamque laudes concinentur caritatis illius, quae inter omnes Redemptionis fructus merito insignis maximique pretii aestimatur. Hac quidem virtute mirifice incensi, primi septem sodales a Friderico Ozanam congregati eam societatem inierunt, quae, hoc saeculari temporis spatio, permagno aucta numero, per orbem terrarum magis in dies percrebuit, cum ingenti miseriarum levamine et religionis ipsius incremento. Neminem sane effugit ipsos societatis conditores hoc praecipue sibi proposuisse, ut sodales per pia caritatis opera, tamquam valida auxilia, fidei morumque integritatem servare ac tueri possent. Atque hisce optatis eventus feliciter respondit. Enimvero non modo Vineentiani sodales inter caducas huius saeculi res pietatis studia persecuti semper sunt, sed ex eis quoque plures, qui sacerdotio sunt initiati vel religiosa vota nuncuparunt, professi sunt se in ipsis caritatis officiis obeundis primum divinae vocationis germen persensisse idemque studiose excoluisse.. Quanto autem cum'afflictorum populorum solatio atque emolumento haec societas hodie floreat vigeatque, nemo est qui non videat; immo si antehac peropportuna ac prope necessaria visa est, nunc autem cum maxime. Sola enim caritas, quae a religione proficiscitur, cuivis aerumnarum generi remedium praesens et efficax afferre potest; 'sola fcaritas, quae Deum ipsum habet auctorem, praeter adiumenta humana divina quoque auxilia suppeditare potest. Quapropter optimo iure "socii Vincentiani hac saecularis' eventus faustitate conlaetantur, et Nos Ipsi in primis iusta eorum gaudia participamus, ut nuper per Litteras Nostras *Les constatations si heureuses* ipsi Vincentianae sodalitatis praesidi datas, libenter testati sumus. Sed ut splendorem commemorationis proximae adaugeamus, Nos sollemnibus istis,

quae in principe Galliarum urbe mense Maio celebrabuntur, quodammodo praesentes esse peroptamus. Te igitur, dilecte fili Noster, qui praeclarissimam sedem istam archiepiscopalem tanta sollertia moderaris, cuique maxime cordi est ipsa sodalitas Vincentiana, Legatum Nostrum hisce litteris deligimus ac renuntiamus, ut ipse sollemnibus Vincentianis sacrisque caerimoniis Nostra auctoritate praesideas, hoc addito, ut, pontifican Sacro peracto, adstantibus Nostro nomine benedicere queas, plena commissorum venia iisdem proposita, ad Ecclesiae praescripta lucranda. Pro certo autem habentes, ex hac splendida caritatis commemoratione uberrimos Redemptionis fructus in populum christianum profecturos, in auspicium caelestis praesidii inque Nostrae peculiaris dilectionis pignus, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, « Conferentiarum » moderatoribus et sodalibus, itemque clero populoque tuae vigilantiae concredito peramanter in Domino impertimus. ^

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xrv mensis Martii, anno MDOCCCXxxni, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

II

AD R. D. ABMILrTJM CAZOT, VICARIUM GENERALEM PRESBYTERO RUM CONGREGATIONIS A MISSIONE ET SOCIETATIS FILIARUM A CARITATE: DE CENTENARIIS COMMEMORA TIONIBUS VINCENTIANIS PROXIME HABENDIS.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Plures iucunditatis causae hoc vertente anno, ut proxime audivimus, tibi tuisque sodalibus secundo omine exhibentur. Namque primo ter centum implentur anni, ex quo ista presbyterorum a Missione Congregatio per Decessorem Nostrum f. r. Urbanum VIII adprobata est. Cuius quidem eventus commemoratio vobis gratissima exstat, quum societas vestra, quae sancto Vincentio a Paulo gloriatur auctore, conspiciatur hodie in universas fere orbis partes propagata, tot religiosos complectens filios ad salutem pauperum provehendam tuendam que cleri disciplinam sedulo incumbentes, tot missionalium domibus, clericorum Seminariis aliisque Institutis piis instructa atque exornata. Huic alia accedit ter saecularis memoria, illius videlicet salutaris operis, quod « Conferentiae diei Martis » appellatur, ab ipso Patre vestro Vincentio institutum, ut sacerdotes, in piam solitudinem simul recepti, per caelestium rerum meditationem ad rationem vitae perficiendam impense excitarentur. Ex qua pia consuetudine, ab eximiis quoque viris, ut Olier et Bossuet, fideliter servata, illae exortae sunt

menstruae recollectiones, quae iam pridem pluribus in locis inductae sunt. At vero non modo vestra presbyterorum sodalitas plures habet hoc anno laetandi rationes; ipsa quoque Filiarum a Caritate Congregatio, ab eodem sancto Vincentio condita, ter saecularia sollemnia effuso gaudio celebrabit. Et merito; haec quoque enim Vincentiana familia, ex eodem ardentissimae caritatis fonte profecta, tam longo annorum cursu religiosis mirabiliter est aucta filiabus, inter quas clarissima eminet Catharina Labouré, quae proxime, auspice Deo, Beatorum fastis adscribetur. Nemo profecto ignorat Filias a Caritate Vincentianas versari in valetudinariis, in pupillorum hospitiis, in puellarum ludis et officinis, in ceterisque caritatis institutis, inter ipsa bellatorum arma, ut omnibus egentibus praesto esse non desinant, animarum simul et corporum sanitati opitulantes. Denique aliud sodalitium, quod sanctum Vincentium prope suo iure tamquam magistrum ac patronum veneratur, quodque vulgo « Conferentiae S. Vincentii a Paulo » nominatur, centesimum plenum annum a sua institutione celebrabit. Sollemnia autem, quae ab isto sodalitio mense Maio proximo peragentur, summo Nos studio participamus per dilectum filium Nostrum Ioannem Cardinalem Verdier, Parisiensem Archiepiscopum, quem Litteris nuper datis Legatum Nostrum renuntiavimus. Itaque tot faustitatis iucunditatisque vestrae rationes memorantes, facere non possumus, quin Nos Ipsi vobiscum ex animo gratulemur; eo vel magis, quod sollemnia ista saecularia fauste incidant in sacrum ipsum annum, quo a toto catholicorum orbe concelebranda est divina illa Bedemptio, cuius suavissimos inter uberrimosque fructus caritas ipsa adcensetur. Quid enim utilius esse potest, in tam sollicita ad praesentes aerumnas levandas auxiliorum investigatione, quam heroum caritatis exempla palam inter populos revocare, ut divina illa virtus, quae ceterarum veluti parens et altrix exstat virtutum, in omni vitae genere revirescat et quam maxime floreat? Minime igitur dubitantes, quin ex iucundorum eventuum commemoratione Dei gloria augeatur et studium caritatis magis magisque in omnibus acuatur, divinam bonitatem enixe flagitamus, ut Vincentianis Congregationibus reliquisque caritatis sodalitatibus benigne faveat, earumque votis uberi gratiarum copia obsecundet. Quarum quidem auspex et praecipuae dilectionis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili, et utrique Vincentianae Congregationi tibi commissae, nec non ceteris Vincentianis societatibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die xv mensis Martii anno **MDCcccxxxiii,** Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

III

AD EMUM p. D. ALOISIUM TIT. S. PETRI AD VINCULA S. R. E.'PRESBYTERUM CARDINALEM CAPOTOSTI, SANCTITATIS SUAE PRO-DATARIUM : XXV APPETENTE NATALI EPISCOPATUS EIUS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Singulari semper iucunditate perfundimur, quotiescumque secunda Nobis praebetur occasio benevoli animi sensus declarandi erga carissimos filios, qui, et dignitate conspicui et auctoritate praestantes, Nobis et huic Apostolicae Sedi operam suam studiumque navant. Quare pergratum nuper accepimus nuntium, te, dilecte fili Noster, quinque feliciter lustra a suscepto episcopatu mox completurum; inde enim praeclara Nobis offertur tecum gratulandi causa et bene ominandi facultas. Tibi profecto tuisque faustum eventum exoptantibus dulcis subit memoria tot caelestium munerum, quae honori tuo episcopali copiose accesserunt, et egregie abs te factorum recordatio. Omnes quidem curae et labores, quos in Ecclesiae Mutilensis regimine ohm sustinuisti, praesertim scribendo, concionando, paroecias invisendo, clericorum seminarium iuvenumque consociationes provehendo; studia praeterea et negotia, quae deinde in Curia ipsa Eomana gessisti, potissimum ut a secretis Sacrae Congregationis de Sacramentorum disciplina; haec denique graviora munera, quibus, postquam te ad amplissimum Patrum Purpuratorum Senatum cooptavimus, in praesenti quoque fungens; omnia ista tua in Ecclesiam promerita tot tibi exstant iustae causae laetandi et gratias Deo meritas pie referendi. Quapropter tuam tuorumque laetitiam libenti animo participantes, tibi, dilecte fili Noster, de proxima faustitate vehementer gratulamur, simulque paternis votis ominamur, ut seros in annos te Deus in Ecclesiae utilitatem sospitare benigne velit. Quorum quidem ominum votorumque" comes sit apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, tuisque officiorum laborumque sociis, cunctisque tibi caris et amicis effusa in Domino caritate impertimus.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die xxv mensis Maii, feria quinta in Ascensione Domini, anno **MDCCCCXxxin**,|Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONCTREGATIONÜM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

DAMNATUR LIBER P. ALFARIC, P. L. COUCHOUD, A. BAYET, CUI TITULUS «LE PROBLÈME DE JÉSUS ET LES ORIGINES DU CHRISTIANISME ».

Feria IF, *die 14 Iunii 1933*

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

P. ALFARIC, PAUL-LOUIS COUCHOUD, ALBERT BAYET, *Le problème de Jésus et les origines du christianisme.* Paris, Les Œuvres Représentatives, 1932.

Et sequenti Feria V, die 15 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 17 Iunii 1933.

A. Subrizi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

22 Maii 1933. — Titulari archiepiscopali ecclesiae Larissensi praefecit R. D. Dominicum Spolverini, Protonotarium Apostolicum de numero participantium, Canonicum Archibasilicae S. Ioannis ad Lateranum et Rectorem Pontificii Seminarii Romani Maioris.

23 Maii. — Titulari episcopali ecclesiae Thinisensi, in Numidia, E. P. Venantium Franciscum Filippini, Ordinis Fratrum Minorum, quem constituit Vicarium Apostolicum de Mogadiscio.

— Titulari episcopali Ecclesiae Amathusiae, E. P. Georgium De Jonghe D'Ardoye, e Societate Parisiensi missionum ad exteras gentes, quem constituit Vicarium Apostolicum de Yünnanfu.

— Titulari episcopali Ecclesiae Medelitanae, sub archiepiscopatu Carthaginensi, E. P. Iosephum Lörks, e Societate Verbi Divini, quem constituit Vicarium Apostolicum Novae Guineae Centralis.

26 Maii — Titulari episcopali ecclesiae Hephaestensi, E. D. Ioannem Capobianco, Vicarium generalem archidioecesis Spoletanae, quem constituit Auxiliarem E. P. D. Petri Pacifici, Archiepiscopi Spole tani.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tavianae, E. D. Carolum Niemira, praepositum ecclesiae Sancti Augustini in civitate Varsaviensi, quem deputavit Auxiliarem E. P. D. Casimiri Bukraba, Episcopi Pinskensis.

31 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Ceramensi, E. P. Ernestum a *Montagny-la- Ville,* in saeculo Aloisium Joie, Ordinis Minorum Capuccinorum, quem constituit Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Aloisii Iustini Gumy, Episcopi Portus Victoriae seu Seychellarum.

— Titulari archiepiscopali Ecclesiae Oxyrynchitanae, B. P. D. Ioannem Evangelistam de Lima Vidal, hactenus Episcopum Villaregalensem.

— Cathedrali Ecclesiae Villaregalensi, E. P. D. Antonium Valente da Fonseca, hactenus Episcopum titularem Ceramensem.

1 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aelaniticae, E. P. Aloisium Hudal, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium et S. C. S. Officii Consultorem.

2 Iunii. — Ecclesiae metropolitanae S. Fidei in America Sept., E. P. D. Eodulphum Aloysium Gerken, hactenus Episcopum de Amarillo.

— Titulari episcopali ecclesiae Brysiensi, P. D. Henricum Streicher, hactenus Episcopum Thabracensem.

— Cathedrali Ecclesiae de Queretaro, E. D. Marcianum Tinajero, Canonicum eiusdem ecclesiae cathedralis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sareptanae, E. D. Franciscum Auvity, Vicarium generalem archidioecesis Bituricensis, quem deputavit Auxiliarem E. P. D. Martini H. Izart, Archiepiscopi Bituricensis.

16 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Northantoniensi, E. D. Laurentium Youens, Canonicum theologum Capituli cathedralis eiusdem dioecesis.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

ALEXANDRINA

IURISPATRONATUS

Die 15 Martii 1930

Cum, die 9 Martii 1926, per obitum sac. Iosephi Malvicini, vacasset paroecia iurispatronatus in oppido *Castelspina,* Alexandrinae dioecesis, gravis exorta est quaestio de eiusdem parocho providendo. Quod non. semel factum est, cum saeculis xvi et xvn plures eadem de causa controversias excitatas fuisse constet, per decisiones curiae Alexandrinae diremptas, et tandem compositas transactione diei 28 Man 1756.

In hac conventione, inter alia, quoad eos qui ius praesentandi habent, haec statuuntur: « che il iuspatronato e ragioni di nominare il parroco del suddetto luogo di Castelspina spettar debba in l'avvenire al Consiglio ordinario di quella Comunità con l'agionta di tutti li capi di casa delle famiglie Malvicini, Buzzi, Grilli e Guglyni dello stesso luogo ed in esso abitanti, siccome anche di quei altri capi di casa delle stesse famiglie, i quali per puro accidente si trovassero fuori di luogo, ma che non avessero stabilito altrove il proprio domicilio ».

In irritum cessis Episcopi penes patronos consiliis ut, ad normam canonis 1451, patronatui renuntiarent, Praeses eiusdem loci publico edicto diei 29 Iunii 1926 comitia indidit, in quo cautum est quod si nullus ex candidatis una et altera vice numerum suffragiorum absolute maiorem retulisset, is electus renuntiaretur, qui tertia vice maiorem etsi relativum suffragiorum numerum obtinuisset.

Die statuta, duo habita sunt comitia, quorum in primis sacerdos I... novem ex viginti tribus suffragiis obtinuit, in alteris sacerdos A... tresdecim item ex viginti tribus suffragiis retulit. Quapropter idem Praeses pro canonica institutione sacerdotem A... Episcopo praesentavit.

Non acquieverunt tamen sacerdos I... eiusque asseclae, qui rata habentes priora suffragia, nullius esse momenti reclamarunt quae postea subsecuta sunt. Tunc Episcopus, die 17 Ianuarii .1927, decretum dedit, quo, quaestione in iure et in facto perpensa, statuit « doversi ritenere valida l'elezione del sacerdote A... avvenuta nell'adunanza del 29 Giugno 1926; il decreto stesso venisse pubblicato per quindici giorni all'albo pretorio

di Castelspina, trascorsi i quali senza giustificata e documentata opposizione, si procederebbe senz'altro alla canonica istituzione del sacerdote A... nel benefìcio parrocchiale di Castelspina ».

Contra huiusmodi decretum penes hanc Sacram Congregationem duplex quaestio mota est, alia *iuris,* agi nempe in casu de iurepatronatus non collegialiter sed per singulares personas exercendo, quod regitur canone 1460 § 2; alia *facti,* nullam esse electionem, cum a suffragio ferendo plures cives prohibiti sint, vel quia extra oppidum Castelspina degerent, vel quia per procuratorem vel per epistolam suffragium ferre iis vetitum est.

AD IUS QUOD ATTINET. - « Nullum ius patronatus — praescribit Codex in canone 1454 — admittatur, nisi authenticis documentis aut aliis legitimis probationibus evincatur ». Ante Codicem vero legitimi, tituli, iuris patronatus alii erant originarii, ahi translati vi vel derivati, inter quos numeran* tur successio hereditaria, donatio, praescriptio, etc.

Ad praescriptionem quod spectat, « quia patronatus est ius temporale, usucapitur eo tempore eoque modo quo cetera iura temporalia usucapiuntur... sin ab ecclesia libera, opus est tempore immemorabili et multiplicatis praesentationibus » (D'Annibale, *Summ, theol, mor.,* p. III, n. 27).

Transfertur quoque iuspatronatus donatione, quae si fit ecclesiasticis, non opus est Ordinarii permissione, ut communiter a Doctoribus traditur, secus si laicis. Species quaedam donationis est transactio qua patroni, conventione inita, alios quibus ius non est, ad patronatum exercendum gratuito admittunt.

Praeterea, quod exercitium spectat iuris patronatus, diversa regula statuitur in canone 1460 § 1 et 2, prout agitur de patronatu collegialiter exercendo, quo in casu praesentatus is habetur qui in primo vel in altero scrutinio suffragiorum numerum absolute maiorem retulit; quibus sine effectu institutis, satis est in tertio scrutinio suffragiorum maior relative pars; quod postremum obtinet, si patronatus sit penes singulares personas.

His in iure perpensis, quaestio de qua agitur in duas dispescitur partes,, utrum nempe sustineatur memorata transactio diei 28 Maii 1756, adeo ut ex ea desumi possit legitima iurispatronatus probatio, de cuius constitutione documenta originaria et authentica desunt; et an omnia, ad validitatem actus necessaria, in electione sacerdotis A... servata revera fuerint.

Iamvero, quoad primum, patet transactionem nihil fuisse nisi conventionem, communi consensu initam, inter omnes ius patronatus in paroecia Castelspina exercere praesumentes. Quod si non constat de formali Episcopi approbatione, constat tamen curiam Alexandrin am eandem uti

praecipuam normam semper habuisse, qua quaestiones deeursu temporis exortae, diremptae sunt. Et in relatione historica, transactioni praemissa, mentio fit de pluribus sententiis ab eadem curia saeculis anteactis prolatis, in quibus ius patronatus tamquam res incontroversa admittitur, quamvis de legitimis patronis quaestio semper fuerit. Transactione inita, quia ab anno 1756 usque in praesens eandem servatam semper fuisse constat, ex hac quoque immemorabili eiusdem observantia iure arguitur patronatus legitima constitutio.

Sed quaestionis caput potius est in ratione ema idem patronatus a ius habentibus exerceatur, utrum nempe collegialiter, ut in decreto Episcopi statuitur, an vero per singulares personas.

Attamen transactionem legenti statim patet agi in casu de patronatu collegiali. In narratione enim, eidem praemissa, dicitur, quod, anno 1751, vacante paroecia, quaestio de parochi praesentatione inter patronos orta, est, qui quidem, non ut personae singulares, sed in partes vel in familias distributi, ius suum vindicabant. « Sia insorta lite tra la Città d'esso luoga per una parte, i particolari della famiglia Malvicina da un'altra, ed altri particolari della famiglia de' Buzzi, de' Grilli e Guglyni da un'altra parte, per causa della nomina del novo parroco », quatenus hoc ius privative sibi spectare unusquisque patronorum contendebat.

Hanc rerum condicionem non immutavit, sed sanxit memorata transactio, cum statuerit quod «il iuspatronato... spettar debba in 1'awenire al Consiglio ordinario di quella Comunità con l'agionta di tutti li capi di. casa delle famiglie Malvicini, Buzzi, Grilli e Guglyni dello stesso luogo ed in esso abitanti », simulque collegialis convocationis ac suffragiorum formam constituit. Res confirmatur eiusdem interpretatione ac saeculari observantia.

Cetera denique quae de nullitate electionis allata sunt, cum a suffragio ferendo nonnulli prohibiti sint, maioris quidem momenti non sunt. Agebatur enim de iis qui vel nullo iure suffragii ferendi potiebantur, quia, etsi memoratis familiis pertinentes, atque in oppido Castelspina orti,, domicilium tamen pluribus abhinc annis alio fovebant, vel qui, contra praescriptum feanonis 163, per epistolam vel per procuratorem suffragium ferre praesumebant.

RESOLUTIO. - His omnibus perpensis, in plenario huius S. Congregationis conventu, die 15 Martii 1930 habito, dubium propositum est solvendum:

An decretum curiae Alexandrinae diei 17 Ianuarii 1927 sustineatur^ in casu.

Et Emi Patres responderunt:

Affirmative, seu standum decreto Ordinarii.

Facta autem de his Ssmo Dno Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per Secretarium huius Sacra Congregationis in audientia diei 21 Martii .1930, Sanctitas Sua hanc resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

NIVERNEN. SEU TARBIEN. ET LOURDEN.

CANONIZATIONIS E. MARIAE BERNARD AB SOUBIROUS, E CONGREGATIONE SORORUM CARITATIS ET INSTITUTIONIS CHRISTIANAE « DE NEVERS ».

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet, post indultam eidem Beatae venerationem, in casu et ad effectum de quo agitur.

Nuper Lapurdi in Gallia, Sanctissimo Domino Nostro per suum Legatum praesente, septuagesimus quintus maxima sollemnitate celebratus est annus, ex quo Beata Maria Virgo humili puellae Bernardae Soubirous, ad specum *Massabielle* prope illud oppidum, pluries mirabiliter apparuit, seseque «Immaculatam Conceptionem» esse patefecit. Eam vero nunciam mittens paenitentiae et gratiae, admonuit non in hac terrestri vita¿ sed post mortem gloriam esse adepturam. Quod mire evenit, sicut et alteri puellae, Catharinae Labouré, contigit, superioribus hisce diebus Beatorum fastis adscriptae, quam pariter Beata Virgo Immaculata sua apparitione dignata est, eamque suarum quidem gratiarum instrumentum elegit, sed sub impenetrabili humilitatis velo delitescere, dum viveret, voluit. Licet autem Bernardae Immaculata Virgo non secreto, uti B. Catharinae, sed palam, coram frequenti populo apparuisset, ac celeberrimus miraculis, innumerisque peregrinationibus specus ille late per orbem innotuisset, humillima tamen puella, post redditum veritati testimonium, sese e mundi oculis eripuit, vitamque religiosam apud Sorores Caritatis et christianae Institutionis Niverni amplexata, intra claustri septa ad mortem usque in Christo abscon-

dita defituit, pluribus interim, Deo sic disponente, animi corporisque probata cruciatibus, ut paenitentiam, quam aliis nunciaverat, et ipsa pro peccatoribus, gratissima Deo hostia, susciperet.

Vix autem sancto exitu die 16 Aprilis mensis anno 1879 ad caelestia regna evolavit, eius sanctitatis et miraculorum fama late se effudit. Quibus rite probatis, a Ssmo D. N. Pio Papa XI, feliciter regnante, die **la** Iunii mensis anno sacro 1925 beatificationis honoribus fuit cohonestata.

Insequenti anno, quum nova signa a Deo esse patrata viderentur, Canonizationis Causa resumpta fuit, et super duabus sanationibus, quae veri miraculi notas praeseferre visae sunt, Carthagine, Niverni et in Curia Tarbien. et Lourden. processus sunt adornati, de quorum iuridica vi favorabile decretum ab hac Sacra Congregatione prodiit.

Prior mira sanatio Ni verni evenit. Emus D. Alexius Lemaître, Archiepiscopus Carthaginen., e Nivernensi dioecesi oriundus, plusquam decennali gravi amoebica infectione laborabat, qua in tropicalibus regionibus, ubi antea Apostolici Vicarii munere naviter fungebatur, fuerat correptus. Plures curationes incassum cesserunt, et morbus adeo invaluit, ut ex unanimi curantium sententia insanabilis, saltem in instanti, evaserit. Emus Antistes Lemaître, die 3 Augusti, anno 1925, fere tribus post mensibus a Mariae Bernardae Soubirous beatificatione, Parisiis pia peregrinatione profectus est, ut Mverni sollemnibus in neo-beatae honorem festis peragendis adesset. In ipso itinere se adhuc eidem morbo graviter obnoxium sensit. Nivernum cum pervenisset, sacri Beatae corporis delationi interfuit, et perfecte tunc illico sanatus est.

Periti ex officio perfectam esse sanationem eamque duraturam invicte demonstrant: quod a testibus omnibus comprobatur, qui eundem florentissima valetudine ac virium robore in actuosissimo vitae genere quo antea, impigre iam tot annos perseverare unanimiter confirmant,,

Eependisse itaque vices Beata Maria Bernarda videtur, a morbo clientem suum, Nivernensem civem, liberans, qui magno cum incommodo ad eam colendam accesserat. Ceterum ecclesiastica historia testatur pluries Deum in Sanctorum corporum translationibus miracula patravisse.

Altera sanatio Lapurdi contigit. Soror Maria a S. Fideli, ex Instituto Sororum a Bono Pastore, tuberculari diathesi affecta, appendicotomiam Augusto mense, anno 1926 passa est. Duobus post mensibus prioribus alterius morbi symptomatibus tubercularis naturae, sive in dextero genu, sive in dorsuali spina tentari coepit, qui, postremus praesertim, adeo invaluit, ut medicus a curatione illum naturae viribus, nisi forte post diuturnum temporis spatium, sanari non posse edixerit. Quam sententiam, iudicialibus actis sedulo perpensis, officiales periti confirmant. Item ex actis

constat, quum infirmae conditiones in peius merent, ad Beatae Mariae Bernardae patrocinium invocandum novendiale^ preces effusas fuisse. Quinta harum die, h. e. sexta Februarii mensis anno 1928, hora post meridiem sexta, extemplo Soror Maria a S. Fideli sanatam se sentit. Sequenti mane surgit e lecto, et ut perfectam sanationem comprobet, non palpari tantum, sed et validis ictibus in dorsuali spina percutí vult; ac praeterea aliquantisper saltat. Sanata ergo est tum in dorsuali spina, tum in genu. Post tres annos periti physici accurata exploratione peracta, nullum praegressi morbi residuum invenerunt. Medicus a curatione, et tres periti a Sacra Congregatione delecti naturae viribus sanationem hanc tribui posse concorditer negant, miraculum agnoscentes.

De his sanationibus in tribus, ut iuris est, Congregationibus disceptatum est: in priori, quae Antepraeparatoria audit, apud Rmum Cardinalem Alexandrum Verde, causae Ponentem seu Relatorem^ die 6 Decembris mensis, anno 1932; in Praeparatoria, in Vaticanis aedibus, coram Emis Cardinalibus, die 21 Martii vertentis anni; demum in Generali, coram Ssmo D. N., die 16 mensis huius. In qua Rmus Cardinalis Alexander Verde, causae Ponens seu Relator, dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet, post indultam eidem Beatae venerationem, in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi Cardinales, Officiales Praelati et PP. Consultores suam protulere sententiam.

Beatissimus Pater attente omnium suffragia excepit; suam tamen mentem aperire distulit, eo fine ut divini luminis maior copia suis et adstantium precibus imploraretur.

Quum autem supremum suum iudicium edere decrevisset super miraculis, hac Virgini praedilecta puella intercedente, patratis, hanc opportune selegit diem, Marialis mensis postremam, feriam quartam intra Octavam Ascensionis Domini. — Christus, autem, « ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus » : quae dona per beatissimam Matrem suam et nostram largiri dignatur, docente cum Ecclesiae sensu Mellifluo Doctore: «Totum nos habere voluit per Mariam». Ipsa enim omnium gratiarum nobis Mediatrix est, et cum Filio humani generis redemptionis cooperatrix miserentissima. Beatissimo autem Patri speciale gaudium hodierna dies, natalis Eius anniversaria, afferat, Eumque dulcissima Patrona Maria diutissime sospitet atque regat.

Ad Se itaque advocari iussit Emos Cardinales Camillum Laurenti, S. E. C. Praefectum, et Alexandrum Verde, causae Eelatorem, nec non E. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem, meque infrascriptum Secretarium, et divina hostia religiosissime litata, iisdem adstantibus edixit: *Constare de duobus miraculis, Beata Maria Bernarda intercedente,*

a Deo patratis: videlicet: *de instantánea perfectaque sanatione tum R.* P. i). *Aiexii Lemaître, Archiepiscopi Carthaginensis a diuturna gravi amoebiasi, tum Sororis Mariae a S. Fideli a tuberculari affectione dorsuaHis spinae et dexteri genu.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. B. C. referri mandavit die 31 Maii anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *S. C. R. Praefectus.*

L. % S.

A. Carinci, *Secretarius,*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

I

DECRETUM

DE INDULGENTIIS PEE, RECITATIONEM DIVINI OFFICII CORAM SSMO SACRAMENTO LUCRANDIS.

Cum non omnibus qui tenentur, semper et ubique liceat *integrum* divinum Officium, etsi in partes distributum, coram Ssmo Sacramento, sive publicae adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, ad mentem atque effectum praecedentium ad rem decretorum (A. A. S., vol. XXII, p. 493, vol. XXIII, p. 23, vol. XXIV, p. 411), recitare; ne tot e clero peculiari noe ad cultum Ssmae Eucharistiae incitamento absque eorum culpa priventur, Ssmus D. îsT. Pius divina Providentia Pp. XI, ad preces infra scripti Cardinalis Maioris Paenitentiarii, in audientia die 6 Aprilis currentis anni eidem impertita, benigne concedere dignatus est ut, firmis omnino manentibus praecedentibus concessionibus, omnes et singuli, pro eorum statu, ad divini Officii recitationem adstricti, si hanc peragant, etiam in parte tantum, coram Ssmo Sacramento, ut supra *indulgentiam quingentarum dierum* pro unaquaque, ut dicunt, hora canonica, ceteris paribus, adipiscantur. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 18 Maii 1933.

L. Card. **LAURI,** *Paenitentiarius Maior.*

L.)$i S.

L Teodori, *Secretarius.*

n

DECRETUM

INVOCATIO IN CONFICIENDIS VEL REFICIENDIS SACRARUM AEDIUM SUPELLECTILIBUS AC LITURGICIS VESTIBUS RECITATA INDULGENTIIS DITATUR.

Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die xix mensis Maii c. a. concessa, benigne indulsit ut ii omnes, qui in conficiendis vel reficiendis sacrarum aedium supellectilibus ac liturgicis vestibus, cum privatim tum in institutis hoc consilio conditis, operam suam gratui to praestent; itemque qui, ut Missionalium incepta provehant, iisdem vel manuum suarum opera opitulentur, *partialem CGC dierum indulgentiam* toties lucrari queant, quoties, dum in huiusmodi opus incumbunt utque illud sanctius efficiant, precatiunculam *Iesu, via et vita nostra, miserere nobis,* saltem corde contrito recitaverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Paenitentiariae, die 2 Iunii 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. © S.

I. Teodori, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RIT!

Martedì, 30 Maggio 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Eoli e Revmi Signori Cardinali e con il voto dei Revmi Prelati e Consultori teologi componenti la Sacra Congregazione dei Riti, ha avuto luogo la Congregazione detta *Antipreparatoria,* per discutere sopra due miracoli che si asseriscono da Dio operati ad intercessione della Beata Giovanna Antida Thouret, fondatrice delle Suore di Carità, miracoli che vengono proposti per la sua Canonizzazione.

Martedì, 13 Giugno 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali e col voto dei Revmi Prelati e Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, ha avuto luogo la Congregazione detta *Preparatoria* sul martirio, causa del martirio e segni o prodigi dei Servi di Dio Rocco Gonzales de Santa Cruz e compagni, della Compagnia di Gesù, uccisi, come si asserisce, in odio alla fede nel 1628.

Martedì, 20 Giugno 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Eoli e Revmi Signori Cardinali, e col voto dei Revmi Prelati e Consultori teologi componenti la Sacra Congregazione detta *Nuova Preparatoria* per discutere su due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione del Beato Pompilio Pirrotti, Confessore, dei Chierici Regolari Poveri della Madre di Dio, detti Scolopi ; miracoli che vengono proposti per la canonizzazione del suddetto Beato.

NECROLOGIO

8 Gennaio 1933. Monsig. Giacomo Crouzet, Vescovo tit. di Zefirio.
15 Maggio » Monsig. Enrico Arlet, Vescovo di Angouleme.
16 » » Monsig. Ulisse Bascherini, Vescovo tit. di Amatunte.
22 » » Monsig. Giovanni Francesco O'Hern, Vescovo di Rochester (U. S. A.).
23 » » Monsig. Ippolito Agudelo, Vescovo di Pasto.
21 Giugno » Monsig. Nicola M. Audino, Vescovo di Mazzara del Vallo*
22 » » Monsig. Giuseppe Ballerini, Vescovo di Pavia.

Annus XXV - Vol. XXV 10 Augusti 1933 Nam. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PH PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE PONTIFICIA BASILICA PATAVII S. ANTONIO DICATA

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Iam annus elapsus est, ex quo, ut pactum conventum, quod *Concordatum* vocant, inter Apostolicam Sedem et supremos Italici Begni moderatores ad rem deduceretur, Antoniana Basilica Thaumaturgo Patavino dicata itemque continentibus aedificiis atque operibus per Apostolicum in Italia Nuntium potiti sumus, eidemque *in spiritualibus et temporalibus* administrationem concredidimus. Iamvero hae sacrae aedes — in quibus gloriosissimi illius Iesu Christi Confessoris exuviae adservantur, « miraculorum fulgoribus illustrantis Ecclesiam»,[1] et ad quas ex Italia praesertim titque ex ñnitimis Nationibus christifideles non pauci peregrinantur — pro sua momenti gravitate postulant, ut Nos Basilicae huius administrationis normas, *cum in spiritualibus, tum in temporalibus* auctoritate Nostra constituimus. Hae profecto normae, quas per transacti huius anni spatium iam ex parte experiendo aptas recognovimus, in animarum salutem eiusdemque t empli decus non parum contulerunt.

Itaque, re mature perpensa, de Apostolicae plenitudine potestatis, haec quae sequuntur ¿ per Apostolicas has Litteras statuimus ac decernimus:

1. Basilica divo Antonio Patavii dicata, et quae supra memoravimus aedificia, a iurisdictione Ordinarii Patavini in omnibus exempta, iurisdi-

[1] Cfr. Litt. Decret. Greg. IX, *Cum dicat Dominus,* d. 3 Iun. 1232.

ctioni Nostrae directo subiiciuntur; quam per peculiarem Pontificium Delegatum exercemus, cui propterea omnes *in spiritualibus et temporalibus* facultates concedimus.

2. Eiusdem Basilicae clerus ex Fratribus Minoribus Conventualibus constat, qui, laudabili studio summaque in Patavinum Thaumaturgum religione, « ecclesiam coeperunt construere »[1] atque inibi nullo non tempore fidelium pietati inservierunt. Qui quidem non pauciores quam XXXV sunto; ex quibus sacerdotes saltem XX, sacris confessionibus fidelium utriusque sexus audiendis rite adprobati. In continenti regulari domo, quae ex Veneta eiusdem Ordinis provincia pendere pergat, ad sacrorum canonum praescripta et ad suarum constitutionum normas, ab Apostolica Sede probatas, vitam perfecte communem traducant.

3. Pontificio Delegato absente, eius *in temporalibus* locum teneat, ad ordinariam rerum administrationem quod attinet, Minister provincialis, quotiens in eum, hac super re, et Pontificii Delegati et generalis Ordinis Ministri vota consenserint. — Itidem, in rebus temporalibus administrandis, in colligenda stipe et in rationariis conficiendis ordinandisque nonnulli Franciscalis huius familiae Fratres, consentiente Ministro provinciali a Pontificio Delegato delecti, praesto sint eidemque adiutricem operam navent. Quotannis vero, mense Iulio, idem Delegatus de acceptis et de expensis Nobis rationem reddat.

4. Huius domus Superior, cum Pontificiae etiam Basilicae Bector sit, a Nobismet ipsis deligetur, exhibitis antea Nobis ab generali Ministro ternis nominibus; quae quidem a Capitulo provinciali fuerint proposita, vel ab ipso Ministro generali, quotiens Capitulum celebratum non fuerit. — Bector, pro Basifica contiguisque aedificiis, parochus constituitur.

5. Quandoquidem autem pio operi provehendo, quod a *pauperum pane* nuncupatur, ad Basilicam et ad continentem domum largitiones affluere solent, volumus ut harum largitionum ratio in peculiarem librum redigatur; utque ex iisdem, quemadmodum germana operis natura postulat, panis solummodo comparetur, qui egentibus distribuatur. — In obeundo munere, quod ad pium hoc opus spectat, Pontificio Delegato operam praestabit suam peculiare Consilium, quod ex Ministro provinciali, ex Basilicae Rectore et ex uno e laicis sodalibus, qui coetui *Venerandae Arcae #. Antonii* praesunt, constare debet.

6. Conventualis Ordinis Fratres, qui Basilicae inserviant, Minister provincialis regularis vitae studiosi ores destinet et ad sacras confessiones audien-

[1] Alexander IV, Litt. Apost., d. 17 Iul. 1256.

das aptos Pontificio Delegato praesentet; qui quidem eos ad can. 877 normam probatos, necessaria iurisdictione augeat. Aliis item sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus, si qui pro rerum opportunitate invitandi sint, Delegati Pontificii est iurisdictionem impertire sacras confessiones audiendi cum in Basilica, tum in continentibus aedificiis.

Decernimus praeterea ut quatuor saltem Paenitentiarii minores in Basilica exstent praestoque sint, peculiaribus facultatibus ac privilegiis praediti, a dilecto filio Nostro Cardinali Paenitentiario Maiore concedendis; qui quidem eos, a Ministro generali propositos et post experimentum apud sacrum Tribunal Paenitentiariae Apostolicae in Urbe laudabiliter factum probatos, rite nominet.

Iidem, ut ceteri regularis huius domus Fratres, omnibus communis suae vitae normis ac regulis obtemperare debent; itemque, Rectoris ac Ministri provincialis auctoritati obnoxii, divina officia in Basilica celebrare.

In eadem domo ad sacrorum canonum normam, *casus theologiae moralis* habeatur, rem quidem moderante Franciscali Fratre Conventualis illius familiae, moralis disciplinae magistro. Cui coetui Pontificius Delegatus praesit, si Patavii commoretur.

Hanc vero opportunitatem nacti, eos omnes in Domino adhortamur, quotquot in insigni hac Patavina Basilica sacrarum confessionum muneri addicti sunt, ut id ipsum maxima diligentia maximoque devovendi se spiritu expleant; utque moralis theologiae studium numquam praetermittant, cuius procul dubio doctrina quemadmodum confessariorum ministerio omnino est necessaria, ita perfacile in oblivionem excidit. Meminerint iidem hoc potissimum consilio ductos christifideles Patavium confluere, ut per paenitentiae Sacramentum sua admissa rite eluant, utque prope Thaumaturgi sepulchrum ad frugem bonam se recipiant, qui non modo pietatis precandique ardore enituit, sed sacrarum etiam disciplinarum studio; quapropter ab Assisiensi Patriarcha officium sacram theologiam legendi Fratribus primum meruit obtinere.

7. Denique, ad ineunda matrimonia quod attinet, si quidam, pro sua pietate, ac post habitam ab iis, quorum est, debitam veniam, huiusmodi consilii causa eo conveniant, Sacramentum hoc in Antoniana Basilica, vel in ceteris, quae supra memoravimus, aedificiis rite celebrari potest, servatis tamen de iure servandis, atque ea lege, ut quae in iure de loci Ordinario leguntur, Pontificio Delegato, quae vero de parocho, Rectori Basilicae, congruis congrua referendo, attribuantur.

Ad haec autem omnia exsecutioni mandanda venerabilem fratrem Franciscum Borgongini-Duca Archiepiscopum tit. Heracleensem, eumdem-

que Apostolicum in Italia Nuntium deputamus eique necessarias et opportunas tribuimus facultates tum omnes dirimendi controversias in exsecutionis actu quomodolibet orituras, tum subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica auctoritate constitutum, eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem a negotiis extraordinariis intra sex menses, ab his Litteris datis computandos, authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar transmittendi.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet,'

Earum vero exemplis aut excerptis, etiam impressis, notarii publici cuiusvis manu subscriptis ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem,^quae haberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat hanc paginam Nostrae voluntatis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire; si quis autem hoc attentare praesumpserit^ indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, die decima tertia mensis Iunii, in festo S. Antonii Patavini, anno Domini millesimo nongentesimo tricesimo tertio, Pontificatus Nostri duodecimo.

Fr. T. PIUS O. P. CARD. BOGGIANI
Cancellarius S, B. E.

EUGENIUS CARD. PACELLI
A Secretis Status.

Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco •& Plumbi

Heg. in Cane. Ap., vol- XL VIII, n. 27. - **G. Stara Tedde.**

LITTERAE APOSTOLICAE

FACULTAS CONCEDITUR RECOGNOSCENDI AC ELEYANDI EXUVIAS SS. VIX FUNDATORUM O. S. M. AD SEN ARTUM MONTEM AD ID LEGATO EMO VERO CARD. ALEXIO H. LÊPICIER

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ad Senarium Montem prope Floren» tinam civitatem in templo Ordinis Servorum Beatissimae Mariae Virginis sacrae septem Sanctorum Fundatorum eiusdem Ordinis exuviae religiosissime asservantur, quas rec. mem. Decessor Noster Leo Pp. XTTT Litteris suis Apostolicis sub anulo Piscatoris, datis die xxrv m. Iulii, an. MDCccLXXXvm, Eomani Pontificis et Sanctae Sedis Apostolicae sub potestate ac protectione perpetuum in modum constituit; ita ut absque expressa Summi Pontificis venia, nemini, quavis auctoritate insignito, liceret sive urnam aperire, in qua sacra eorundem Septem Fundatorum lypsana custodiuntur, sive quamlibet ex illis partem auferre vel distrahere. Nunc vero, cum anni septingentesimi ab inito Ordine Servorum Mariae occasione nova atque affabre ornata theca parata sit in altare conlocanda sacelli quod, stipe conlata ab omnibus Ordinis domibus ob memoratum annum septimum saecularem, grati animi causa erga Sanctos ipsius Ordinis Patres Fundatores, ampliore atque ornatiore forma exaedificatum est, hodiernus Prior generalis Ordinis praelaudati enixas ad Nos preces admovet, ut pro benignitate Nostra, tam aperiendi urnam in qua nunc Sacrae Belliquiae servantur, quam explendi recognitionem earundem exuviarum ac repòsitionem ipsarum in nova ornatiore theca dignemur opportunam ac necessariam facultatem concedere. Nos autem, conlatis consiliis cum dilecto filio Nostro Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, omnibus attentis rerum adiunctis, nec non conspicuis erga Ecclesiam meritis perpensis eiusdem Ordinis Servorum Mariae, precibus ad Nos motis adnuendum ultro libenterque censemus. Qua re, hisce Litteris Apostolicis, auctoritate Nostra benigne indulgemus, ut, servatis de iure servandis, iisque non obstantibus quae statuta sunt supra memoratis Litteris Apostolicis « Singularem omni » a Decessore Nostro Leone Pp. XLII editis, tum ad recognitionem exuviarum Sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum Beatissimae Mariae Virginis, tum ad earundem repositionem in ornatiore capsa in novo sacello conlocata deveniri queat; ad quam recognitionem, Nostro nomine atque auctori-

tate faciendam, dilectum filium Nostrum Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalem Alexium Henricum Lépicier, titulo S. Susannae, delegamus, derogantes pro hac vice tantum tenori praefati Brevis Decessoris Nostri Leonis Pp. XIII, quod ut pleno suo robore ac firmitate maneat denuo statuimus. Volumus autem ut, cum e veteri urna signa amoveantur, nec non cum nova sacris Relliquiis custodiendis theca signis seu sigillis pontificiis consignetur tum Praefectus Magistrorum Coeremoniarum Pontificalium, vel alius e Conlegio cui praeest ab ipso delegatus, tum Sacrae Rituum Congregationis Secretarius, vel alius ab ipso delegatus in remotione atque appositione signorum adstent, itemque aptum de rebus expletis documentum edant ad *Acta* Sacrae Rituum Congregationis suo tempore transmittendum. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die xxxi m. Iulii, an. MDCCCCXxxrn, Pontificatus Nostri duodecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

AD EGREGIUM VIRUM HENRICUM DE VERGÉS, SUMMUM MODERATOREM SODALITATIS CONFERENTIARUM S. VINCENTII DE PAULO, PARISIIS.

PIUS PP. XI

Notre cher fils, salut et bénédiction apostolique. — Les constatations si heureuses qu'il Vous est donné de faire au sujet des récents progrès de l'Œuvre des Conférences de St Vincent de Paul Nous rendent particulièrement agréable le besoin que Nous éprouvons de vous remercier de l'hommage annuel de vos vœux et de vous redire une fois de plus l'intérêt tout spécial avec lequel Nous suivons la marche bienfaisante de votre grande et glorieuse Croisade. En effet, au miliexi des tristesses que l'heure présente ne Nous épargne pas par ailleurs, il Nous est une bien douce consolation de savoir que la Charité ne sommeille pas et que les malheurs eux-mêmes contribuent puissamment à dilater ses frontières et à intensifier son action. Aussi, c'est avec une joie toute particulière que Nous saluons le centième anniversaire de la fondation de votre Société, heureux de voir comment l'Œuvre des Conférences de Saint Vincent de Paul bien loin d'avoir été usée par le temps et d'avoir besoin d'une nouvelle sève de vie, n'a fait

que marcher vers une jeunesse toujours plus florissante, et en travaillant •dans l'esprit de son admirable fondateur a pu. réaliser dans l'humilité et •dans le silence de si nombreux fruits de bien. Le souvenir de cette abondante moisson est assurément pour l'œuvre de Frédéric Ozanam une raison bien légitime de solemniser son premier centenaire: comme il est aussi un motif bien fondé pour elle de prendre un nouvel essor dans son vaste champ d'action en faisant appel avec plus de foi que jamais à toutes les bonnes volontés pour les mettre avec joie au service de la misère, à la plus grande gloire de Jésus-Christ e* de son Eglise. C'est dans cette douce confiance que Nous formons dès maintenant Nos meilleurs vœux pour le plein succès de ce prochain centenaire; et c'est en implorant du bon Dieu un accroissement de lumière et de grâces pour votre paisible mobilisation de charité fraternelle que Nous vous accordons à tous — à vous-même avant tout, Monsieur le Président, à tous les directeurs et directrices des Conférences, à tous vos associés et à tous vos chers pauvres —• le reconfort de la bénédiction apostolique.

Du Vatican, le 18 Janvier 1933.

PIUS PP. XI

ACTA 88, CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

i

DECRETUM

DAMNATUR OPUS, CUI TITULUS « CONGRÈS D'HISTOIRE DU CHRISTIANISME (JUBILE ALFRED LOISY) ».

Feria IV, die 28 Iunii 1933

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii* Emi ac Revmi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt opus quod inscribitur:

Congrès d'histoire du christianisme (**JUBILÉ ALFRED LOISY**), publié sou» la direction de P. L. **COUCHOTJD.**

Et sequenti Feria Y, die 29 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. ÍT. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 14 Iulii 1933.

A. Subrizi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius»*

II

DECRETUM

DAMMANTUR « OPERA OMNIA » CAROLI GUIGNEBERT PROFESSORIS IN UNIVERSITATE PARISIENSI «À LA SORBONNE ».

Feria IV, die 12 Iulii 1933

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda mandarunt *Opera omnia* **CAROLI GUIGNEBERT»**

Et sequenti Feria V, die 13 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N". D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori Sancti Omen impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Bomae, ex Aedibus Sancti Officii, die 14 Iulii 1933.

A. Subrizi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

III

DECEETUM

SACERDOS PROSPER ALFARIC EXCOMMUNICATUS VITANDITS DECLARATUR ET PAENA DEGRADATIONIS DAMNATUR.

Verbo, opere et scriptis veritatum fidei christianae fundamentalium oppugnator, imo et ipsius historicae Christi exsistentiae inficiator acerrimus, Sac. Prosper Alfaric e loco Livinhac-le-Haut dioecesis Euthenensis in Gallia, olim e Societate Sancti Sulpitii et in Seminariis Bajocensi, Burdigalensi et Albiensi docendi munere successive auctus, deinde apostata ab ordine sacro et a fide, reus attentati matrimonii (quod dicunt) civilis, nunc in Universitate Argentoratensi historiae religionum professor, cum non semel antea a legitimis superioribus ecclesiasticis *paterne,* novissime vero per E. P. D. Ordinarium Argentoratensem, iussu et auctoritate Sancti Officii, *canonice* monitus, in sua sententia pertinaciter perseveraverit et perseveret, Emi ac Revmi Domini Cardinales, fidei morumque integritati curandae praepositi, aegre quidem sed ineluctabili sui muneris necessitate compulsi, in plenario consessu habito feria IV, die 19 Iulii 1933, statuerunt ac decreverunt:

« Sac. Prosper Alfaric, de quo supra, praesenti Decreto, in excommunicationem latae sententiae ad praescriptum canonis 2314, § 1, n. 1 et in omnes contra publice excommunicatos latas paenas declaratur incursus; una vero simul excommunicatione nominatim et personaliter percellitur, vitandus edicitur ac degradatione damnatur. A qua quidem excommunicatione haud aliter absolutionem se obtenturum sciat, nisi exhibitis antea certis ac diuturnis sincerae resipiscentiae signis, errores suos omnes formiter retractaverit per declarationem a Sancto Officio probandam ac publici iuris faciendam; quibus omnibus tantum praestitis, et non antea, iterum admitti poterit, ceteris paribus, ad participationem Sacramentorum, more laicorum ».

Et feria V, die 27 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit ac publicari iussit.

Datum Bomae, ex Aedibus Sancti Officii, die 29 Iulii 1933.

A. Subrizi, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIOECCLESIABUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

23 Iunii 1933. — Cathedrali nuper erectae Ecclesiae de Bacolod praefecit E. D. Casimirum Lladoc, Vicarium generalem dioecesis de Caceres.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thabracensi, E. D. Augustum Cogneau, Vicarium generalem dioecesis Corisopitensis, quem constituit Auxiliarem R. P. D. Adulphi D upare, Episcopi Corisopitensis.

— Cathedrali Ecclesiae Helenensi, R. D. Raphaelem Hayes, parochum ecclesiae S. Catharinae Senensis in urbe Pittsburg, dioecesis Pittsburgensis.

25 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Myndiend, R. D. Antonium Giordani, Archidiaconum ecclesiae cathedralis Camerinensis.

27 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Lavantinae R. P. D. Ioannem Iosephum Tomazic, hactenus Episcopum Bargalensem.

1 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Seattlensi, R. D. Gerardum Shaughnessy, Societatis Mariae.

3 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Manizalensi, E. D. Ioannem Emmanuelem Gonzalez, rectorem Seminarii archiepiscopalis Medellensis.

21 Iulii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Arcadiopolitanae, E. D. Aemilium Yelle, e Societate Presbyterorum a S. Sulpitio, rectorem Seminarii S. Sulpitii in civitate *Montreal,* quem deputavit Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Arthuri Beliveau, Archiepiscopi Sancti Bonifacii.

21 Iulii 1933. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Iosephi in Ameri«a, B. B. Carolum Hubertum Le Blond, sacerdotem dioecesis Clevelandensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Isbitanae, E. D. Andream Eohracher, canonicum Cathedralis Gurcensis et rectorem Seminarii maioris, quem deputavit Auxiliarem E. P. D. Adami Hefter Episcopi eiusdem dioecesis Gurcensis.

31 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Barensi, E. P. D. Marcellum Mimmi, hactenus Episcopum Cremensem.

SACRA CONGREGATIO ORIENTALIS

i

PATEIAECHATUS ALEXAKDEIM COPTORUM

ORDO LAMPADIS SIVE UNCTIONIS INFIRMORUM

(FORMULA BREVIOR)

Collocatur penes aegrotum lampas olei olivarum cum septem ellychmis, aut septem candelae non accensae, et in casu necessitatis una sufficere potest. Oportet ut, priusquam hanc unctionem recipiat, aegrotus confiteatur peccata sua.

Sacerdos exorditur ab oratione gratiarum actionis:

Sacerdos: Gratias agamus bonorum Auctori misericordi, Deo Patri Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, quia Ipse protexit nos, adiuvit et servavit nos, suscepitque nos ad se, misertus est nostri, perduxitque nos ad hanc horam. Ipsum nunc precemur, ut custodiat nos hoc sancto die et omnibus diebus vitae nostrae, in omni pace, omnipotens Dominus Deus noster.

Diaconus: Ad orationem state.

Sacerdos: Domine Deus omnipotens, Pater Domini Dèi et Salvatoris nostri Iesu Christi, gratias agimus Tibi de omnibus, et propter omnia, et in omnibus, quia protexisti nos, adiuvisti nos, conservasti nos, suscepisti nos ad Te, et misertus es nostri, auxilium dedisti nobis, et ad hanc horam nos perduxisti.

Diaconus: Orate ut Deus misereatur nostri.

Sacerdos: Eapropter petimus et obsecramus bonitatem Tuam, o amator hominum, ut concedas nobis hunc diem sanctum, et omnes dies vitae nostrae in pace cum timore Tuo transigere. Omnem invidiam, omnem tenta-

tionem, omnem operationem Satanae, et consilium hominum improborum impetumque hostium tam occultoram quam manifestorum, depelle a nobis, ab omni populo Tuo et ab hoc loco sancto: quae autem bona, quae placita sunt, nobis iube. Tu enim Ipse es, qui dedisti nobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, omnemque virtutem inimici. **Et ne** nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, per gratiam et misericordiam, amoremque erga homines Filii Tui Unigeniti, Domini, Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, per quem Tibi debetur honor, gloria **et** imperium, cum ipso, et Spiritu Sancto vivificante, Tibique consubstantiali, nunc **et** semper, **et** in omnia saecula saeculorum. Amen.

Et post orationem actionis gratiarum, submittit Psalmum 50:

Miserere mei Deus... super altare Tuum vítulos.

notandum, quod si tempus non suppeditaverit, praedictae orationes omitti possunt.

Sacerdos dicit orationem infirmorum:

O Salvator hominum, Tu dedisti per oleum sanctum gratiam prophetis, regibus et archisacerdotibus: ita da per hoc oleum divinum gratiam tuam servo Tuo (servae Tuae), qui (quae) ungitur in eo, et protege eum (eam) ab omni impugnatione diabólica et inclina ad eum in facie misericordiae Tuae **et** respice in oculo benignitatis Tuae et benedic ei et extende manum potentiae Tuae et da servo Tuo (servae Tuae) salutem animae et corporis, per intercessiones olivae plantatae in domo Dei, Matris salutis.

Populus: Kyrie, eleison.

plectetur provincias civiles: *Surigao* cum insulis *Dinagat* et *Siargao, Agusom, Misamis* orientalem cum insula *Camiguin, Misamis* occidentalem, *Bukidnon* atque provinciae *Lanao* partem meridionalem hisce circumscriptam limitibus, nimirum, a solis ortu ad occasum, a flumine *Malaig,* a montibus *Butig,a,* rivo *Porque,* a lacu *Bapau,* a monte *Imaoan vellrilaoan,* et a collibus vergentibus ad litus maris *Tukuran* versus. Harum vero provinciarum fines modo erectae dioecesis erunt quoque limites. 4) Novae huius dioecesis Cagayanae sedem episcopalem in urbe *Gagayana,* a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur, constituimus; eique propterea omnia concedimus iura et privilegia quae episcopalibus civitatibus sunt propria. 5) Episcopi autem cathedram in ecclesia paroeciali, Deo in honorem S. Augustini dicata, in ipsa Cagayana urbe exstante, figimus; quam proinde ad cathedralis ecclesiae gradum et dignitatem perpetuo evehimus, eique eiusque pro tempore Episcopis iura omnia, honores, insignia, favores et privilegia tribuimus, quibus ceterae cathedrales ecclesiae earumque Antistites iure communi vel legitima consuetudine fruuntur et gaudent; ipsam vero cathedralem eiusque Episcopos iisdem adstringimus oneribus et ob nationibus quibus ceteri per orbem Episcopi et cathedrales ecclesiae subiciuntur. 6) Hanc novam insuper dioecesim Cagayanam sufïraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Manilanae eiusque pro tempore Episcopos Archiepiscopi Manilani metropolitico iuri subiicimus. 7) Quod autem attinet ad huius Cagayanae dioecesis regimen et administrationem, ad Capituli cathedralis vel Consultorum collegii institutionem, ad Seminarii dioecesani erectionem, ad Vicarii capitularis seu Administratoris Apostolici, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones decernunt. 8) Quod vero ad clerum saecularem praecipue spectat, decernimus ut statim ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso clerici qui ibidem legitime exstent, novae dioecesi censeantur adscripti. 9) Volumus insuper ut episcopalem huius novae dioecesis mensam praeter curiae episcopalis taxas et emolumenta, oblationes omnes constituant, quae forte a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent. 10) Mandamus denique ut documenta omnia et acta, quae hanc novam dioecesim eiusque fideles respiciunt, quamprimum fieri poterit, a Zamboangensis dioecesis episcopali curia, nuper erectae dioecesis Cagayanae cancellariae tradantur.

Quibus omnibus ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda quem supra diximus venerabilem fratrem Gulielmum Piani, in Philippinis insulis Apostolicum Delegatum, deputamus, eidemque propterea necessarias et opportunas facultates tribuimus tum definitive sententiam dicendi de quavis difficultate vel oppositione in exsecutionis actu quomodolibet

oritura, tum subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, eidemque ad Sacram Congregationem Consistorialem quamprimum authenticum transmittendi exemplar peractae exsecutionis aetorum onus facimus.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum interest, vel eorum qui sua interesse praesumant, auditi non fuerint ac praemissis non [consenserint, etiam si expressa et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse; sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super hié a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen ahcuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent.

Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quisbusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, assignationis, erectionis, evectionis, concessionis, statuti, derogationis, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo tertio, die vigesima mensis Ianuam, Pontificatus Nostri undecimo.

E. Card. PACELLI
a Secretis Status.

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loeo ^ Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol- XLVI1, n. ***11.*** **- M. Riggi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

VENERABILIS DEI FAMULA GEMMA GALGANI VIRGO SAECULARIS LUCENSIS BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Crucifixi Domini Nostri Redemptoris Passionis reeolendae studium, QUO veri Iesu amatores sectatoresque aestuant, ex ipsis usque diebus Apostoli Pauli, qui nihil aliud quam gloriari in Cruce Domini Nostri Iesu Christi optabat, hisce quoque Nostris temporibus piissimam extulit virginem Lucensem, quae miram vitae innocentiam pari cum paenitentia sociavit atque impensissimo famulatu Iesum Crucifixum prosecuta est.

Brevis vero vita eius ac doloribus vexata, sed bono Christi odore flagravit, clarissimum Nobis relinquens exemplum illius amoris, quo in omni nostra tum corporis tum cordis tribulatione et angustia Iesus est diligendus «eiusdemque Crux amplectenda. Virgo eadem Camiliani in agro atque archidioecesi Lucensi intra fines Etruriae die decima secunda m. Martii an. millesimo octingentesimo septuagesimo octavo ex piis honestisque coniugibus, qui censu quoque erant conspicui, Henrico Galgani atque Aurelia Landi îorta est eidemque insequenti die salutaribus ablutae Baptismatis aquis nomen Gemmae impositum est. Ab ea usque parva aetate, quae ineptus nugisque maxime dedita esse solet, puella innocentissima non modo nihil pueriliter agere sed levitates iugiter defugere, solatia vanitatesque singulari animi constantia adversari consuevit: acceptisque a piissima genetrice primis religionis ac pietatis rudimentis, iam erga Iesum Christum Crucifixum ita a pueritia sua amore flagrabat, ut tunc temporis etiam in divini Redemptoris meditandam immo et contemplandam Passionem inexplebili cupiditate traheretur. Septennis Gemma Lucensi in civitate sacro Ohrismate inuncta est, ibique cum nonum agens annum Eucharisticum Sacramentum primum sumpserit, summae pietatis sensibus, qui futuram •eius vitae sanctitatem praenuntiabant, atque erga Dominum suum Iesum •caritate vehementer exarsit. Sororibus autem a Sancta Zita, ex Instituto Oblatarum Spiritus Sancti, educanda litterisque instruenda tradita, usque ad decimum quintum suae aetatis annum Venerabilis Dei Famula in studia exercenda ita incubuit, ut tam doctrina quam disciplina facile ceteras inter alumnas excelleret; at in piis peragendis meditationibus multum temporis impendere solita, divinum etiam audiendi verbum erat cupidissima^

suamque propterea magistram demisse enixeque rogavit ut diebus quibus sive in studiis sive in muliebribus exsequendis operibus optime se gessisset, ad praemii instar per unam saltem horam acerba Christi e cruce pendentia supplicia sibi explanaret; et tanta his audiendis vehementia commovebatur, ut saepe saepius cum magistra ipsamet multas lacrimas effunderet. Gravi dein morbo correpta, genitore suo medicisque suadentibus, studiis, ac pio Instituto valedixit et ad suam domum reversa est; ibique domesticis negotiis addicta, haud parvam curam in iuvandos bonis consiliis atque exemplis fratres sorores que contulit. Anno millesimo octingentesimo nonagésimo sexto, iam incensa desiderio inserviendi Domino Iesu haud communi modo, aliam acerbam infirmitatem patientissime pertulit: totus sane Gemmae vitae mortalis cursus doloribus repletus est. Ipsius interea patre variis calamitatibus in egestatem redacto atque immatura morte brevi exstincto, parentibus amatissimis ita orbatam, cunctisque destitutam fortunae bonis, Venerabilem Dei Servam « Camaiore » in loco in domum suam quaedam ex amitis eius, spiritu caritatis ducta, parumper recepit;, at Gemma cum virginitatem suam Iesu illibatam devovent, occasionis nuptiarum vitandae caussa, gratiis actis amitae, ad propriam domum, licet squalore obsitam ac miserrimam, reverti maluit, quamvis gravibus saepe corporis affiictatiOnibus affecta, quas initio singularem ob modestiam,., ne arcessiti medici eam tangerent, dissimulare vel occultare pro viribus' studuit. Vicennis vero gravissimo morbo usque ad mortem tentata, Dei Famula, morae impatiens, iam iam supremum inhiabat diem quo ad eae-i lestem Sponsum advolaret, sed a periculoso morbo praeter exspectationem, quamvis modo, ut fertur, non naturali convaluit. Mortis f au cibus sic erepta et consuetis officiis reddita, etiam postea, quasi lilium inter spinas, continentibus iisque acerbissimis est vexata doloribus, quos veluti pretiosa Christi dona continenti animi voluptate amplexa est sive ut simili or suo caelesti Sponso fieret, sive ut pro peccatoribus ab aeterna damnatione praeservandis debitas divinae iustitiae paenas generose meret. Ulti- : mis suae vitae annis a Lucensi quadam piissima familia « Giannini » quasi filia humaniter recepta, eo in novo domicilio religiosis exercitiis vacandis totam se dedit; de domo numquam exibat nisi ecclesiam adeundi caüssar * mane surgens cotidie ante lucem illico templum proximum petebat, ibique duobus adstans Sacris et Eucharistico Sacramento se se reficiens; domum dein rediens, a vanitatibus prorsus aliena, ad familiaria negotia vel humilia incumbere sollicita erat; cum ah quo agens tanta utebatur suavitate, ut mirus eius animi candor omnibus pateret; numquam vera de se ipsa disserens nonnisi percontata atque invita loquebatur. Religiosissima sane adulescens adeo in dies virtutibus palam proficiebat, ut non

modo a familiaribus domus sed ab aliis quoque, qui illuc adveniebant, maximi haberetur; multi enim tum illius virtutes admirandi caussa, tum ut eiusdem consilia exquirerent, tum denique ut ipsiusmet precibus sese commendarent, domum « Giannini » petebant; nec etiam defuerunt qui, etsi Dei Servam ab initio contempserint, eandem postea cognitam atque auditam magna veneratione prosecuti sint. Hoc autem tempore Venera^ bilis Dei Famula cum toto animi ardore contemplandae Christi Passioni se dedisset, magno desiderio mota est se Deo vovendi inter sacras virgines a Passione Domini nuncupatas, quae Sanctum Paulum a Cruce suum habent conditorem; ideoque rogavit domus Cornetanae ipsius Instituti antistitam ut in eandem congregationem reciperetur; sed divino consilio factum est ut pluribus obstantibus difficultatibus, Yenerabibs Dei Serva verba precesque suas frustra consumeret, ac proinde in saeculo, praeter voluntatem, vivens mirando religiosae vitae spectaculo mundanis omnibus esset. Hic tamen, quem S. Paulus a Cruce in sacram hereditatem filiis filiabusque suis reliquit, erga Christi Passionem amor totum incendit animum purissimae virginis Lucensis, cum ea ipsa caritate iam a pueritia sua flagraret. Carnem igitur suam crucifigens in Christo, omnes devios naturae motus Ven. Famula Dei fortiter iugiterque usque ad mortem compressit: unde summa ac voluntaria paupertate, mundi omnium oblectamentorum despectione, mira erga omnes aequanimitate, profunda animi humilitate atque ingenua simplicitate, in tot tantisque sive corporis sive animi cruciatibus mirabili patientia, angelica puritate, perfecta obedientia, filiali in Deo atque immensa fiducia, vehementissima denique in Deum et in proximos caritate exornata est. Debili vero corpore, quamvis magno animo munita, brevi Lucensis innocentissima virgo suae vitae cursum consummavit; quintum enim supra vicesimum annum vix expletum agens, die sabbati, undecima Aprilis, pervigilio scilicet Dominicae Resurrectionis, an. MDCCCCIII «magis divini amoris aestu quam vi morbi consumpta » ad dilectum Sponsum suum Iesum, vinculis tandem corporis soluta, advolavit. Mortales Venerabilis Dei Famulae exuviae, lugubri veste indutae, more Religiosarum, prout iam ipsa exoptaverat. sollemni funere in ecclesia peracto, in coemeterium delatae sunt, ibique selecto in tumulo conditae, frequentissimis ex omni ordine civibus adstantibus, qui piae Virginis sanctitate commoti erant atque eximiis virtutibus, quas quidem supernaturalium charismatum ornamentum vividiores efficere ferebatur. Cum autem ex ipso mortis tempore huiusmodi sanctitatis fama magis magisque in dies excreverit, in curia Lucensi processus ordinarii iam quattuor post annos ab obitu inchoati sunt. Hisce vero peractis et ad Sacrorum Rituum Congregationem delatis, rec. mem. Decessor Noster Benedictus

Pp. XV sollemne per decretum editum die vicesima octava m. Aprilis an. millesimo nongentesimo vicesimo introductionis Causae Commissionem manu propria signavit. Probationibus itaque legitime sumptis riteque expensis, de virtutibus heroicis eiusdem Servae Dei Nos ipsi, die vicesima nona m. Novembris a. MDCCCCXXXI, Venerabilis Dei Famulae Gemmae Galgani virtutes tanquam heroica qualitate praeditas et exornatas sollemni Nostro iudicio adprobavimus et declaravimus. Agitata dein quaestione de duobus miraiculis, quae a Deo patrata ferebantur per Venerabilis Gemmae intercessionem, post duas Congregationes, antepraeparatoriam nempe et praeparatoriam, nec non aliam generalem congregationem, quae coram Nobis die tricésima prima mensis Ianuarii vertentis a. MDCCCCXXXIII habita est, rebus omnibus acerrimo studio investigatis, Nosmetipsi, die quinta proximi praeteriti mensis Februarii, proposita miracula constare sollemniter sancivimus, ulteriusque proinde in casu procedi posse. Cum itaque esset de gradu heroico virtutum ac de miraculis debitum prolatum consilium, illud tantum discutiendum supererai num Venerabilis Dei Famula inter Beatos caelites *tuto* foret recensenda. Hoc dubium propositum est a venerabili fratre Nostro Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopo Ostiensi et Albanensi, Causae Ponente seu Relatore, in generalibus Sacrorum Rituum Congregationis comitiis coram Nobis habitis die quartadecima memorati mensis Februarii, omnesque qui aderant tam Cardinales quam Sacrorum Rituum Consultores ac Praelati unanimi consensu affirmative responderunt. Nos autem in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus donec a Patre luminum caelestis sapientiae auxilium impetraremus. Quod cum impensis precibus fecissemus, tandem die decima nona mensis Februarii, Dominica nempe in Sexagesima huius anni, Eucharistico Sacro rite litato, adstantibus dilecto ñlio Nostro Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Laurenti, Diacono S. Mariae Scalaris, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, nec non venerabili fratre Nostro Ianuario Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Pignatelli di Belmonte, Episcopo Ostiensi et Albanensi, Causae Relatore, itemque dilectis filiis Alfonso Carinci, Congregationis Rituum a Secretis, et Salvatore Natucci, generali Sanctae Fidei promotore, ad solemnem Venerabilis Dei Famulae Gemmae Galgani Beatificationem *tuto* procedi posse pronunciavimus. Quae cum ita sint, cleri populique archidioecesis Lucensis nec non Congregationis Clericorum excalceatorum Ssmae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi vota implentes, auctoritate Nostra apostolica, praesentium Litterarum tenore facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famula Gemma Galgani, virgo saecularis Lucensis, *Beatae* nomine in posterum nuncupetur, atque eius corpus ac lipsana,

seu relUquiae, sollemnibus tamen in supplicationibus non deferenda, publicae proponantur fidelium venerationi; eiusdemque imagines radiis decorantur. Praeterea eadem apostolica Nostra auctoritate concedimus ut de illa recitetur Officium et Missa celebretur, singulis annis, de Communi Virginum cum lectionibus et orationibus propriis per Nos adprobatis iuxta Missalis ac Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat permittimus in dioecesi Lucensi in qua nata est Dei Famula et migravit ad Dominum, itemque in templis ac sacellis ubique terrarum sitis quibus utitur memorata Congregatio Clericorum excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis D. N. Iesu Christi, cum eius conditorem S. Paulum a Cruce ipsa Dei Famula in suo erga Passionem Domini Redemptoris amore merito ducem ac magistrum habuerit, ab omnibus fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad templa seu sacella, in quibus festum agitur, convenientibus. Demum facultatem impertimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Servae Gemmae Galgani supradictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum, servatis servandis, postquam eadem sollemnia in sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus constitutionibus atque ordinationibus Apostolicis necnon decretis de non cultu editis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii enunciatae Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, eadem prorsus fides, in disceptationibus etiam iudicialibus adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significatione hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die xiv m. Maii, an. MDCCOCXXxni Pontificatus Nostri decimo secundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

IL

VENERABILIS DEI FAMULA CATHARINA LABOURÉ E S. VINCENTII A PAULO SOCIETATE PUELLARUM CARITATIS BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Horti conclusi qua violae odoratae, flores quidem humiles at eximio fragrantés odore, in Ecclesia mirabiliter exstant aliquando animae christifideles, quae claustralibus vel religiosis

in domibus parietum umbris occultae, flores honestatis ac sanctitatis, christianae perfectionis culmen per humilem atque absconditam, quamvis laboriosam, in Christo vitam, adipiscuntur. E quibus una procul dubio habenda est Venerabihs Dei Famula Catharina Labouré, quae, Puellarum Caritatis in S. Vincentii a Paulo Societate humillimis muneribus functa, usque ad mortem, licet pluribus charismatibus donata, voluntarie abscondita in Deo atque occulta permansit.

Anno millesimo octingentesimo sexto, die secunda mensis Maii, e coniugibus morum integritate ac religione praestantibus Petro Labouré et Magdalena Gontard intra fines dioecesis Divionensis in loco «Fain-les-Moutier» nuncupato nata est ipsa Dei Famula, cui insequenti die Catharinae nomen ad sacrum Baptismatis fontem impositum est, etsi in posterum apud suos etiam Zoë vocata sit. Iam in pueritia indolis suavitate, morum candore animique pietate eluxit, et post genetricis mortem vix\ novennis Beatissimae Deiparae uti filiam sese commisit. Apud amitam, quae ipsius matrem in eandem educandam tunc suffecerat, biennio transacto, in domum paternam reversa, adulescentula adhuc rei familiaris curam suscepit, nullis laboribus parcens ac durioribus quidem vacans operibus; quod autem a domesticis curis ei supererai temporis, in pietatis religionisque exercitationes sive domi sive in ecclesia impendebat; ita ut iuvenibus puellisque patrii loci tanquam virtutum ac sanctae vitae exemplar imitandum a concivibus suis iam tunc commendaretur. Ex ipso vero tempore quo duodecim agens annos ad Eucharisticas dapes primum accessit, plane singularis pietatis sensibus exarsit, omnibusque religionis caritatisque in actionibus se exercens, perfectiorem vitam aggressa est. Cum autem cuperet, iuvenis adhuc, in aliquam religiosam familiam adscita Deo inservire, mox Institutum Vincentianum Puellarum Caritatis ingredi constituit, sed ob difficultates atque obstacula a genitore suscitata pium suum consilium tunc temporis dimisit, auxilium a Deo solum in re tanti momenti fidenter exspectans. Magno propterea animi gaudio, vicesimum quintum attingens annum, paterno consensu tandem aliquando obtento, voti compos facta, excepta est antea inter postulantes domus, quam Castri ad Sequanam in oppido tunc Puellae Caritatis habebant; et dein in parisiensem domum principem « Seminarii », uti aiunt, translata, ibi religiosae probationis suae tempus piissime transegit. Eidem, ut fertur, Venerabili Dei Famulae, ab ipso tirocinii tempore quo se parabat ad religiosam vitam Vincentiani Instituti, Immaculata Virgo Maria benignissime apparuit, eidemque curam concredidit sacri cudendi Nomismatis referentis quidem in recta fronte Deiparae ipsiusmet, quae virgineo pede serpentis caput protereret, manibusque extensis subiectum terrae orbem radiis illustraret, effigiem, circum circa haben-

iœm verba « O Maria concepta sine peccato ora pro nobis qui ad te confugimus »;; in versa autem fronte sanctum Mariae nomen, eminente supra Crucis signo, duobus inferius adiectis cordibus, altero obsito spinis, altero ense transfosso. Mirabilis est in oculis nostris ipsius miraculosi Nomismatis pervulgatio! Per ipsum enim Deus innumerabilia usque ab initio operatus est prodigia ac largissime etiam nunc operatur; sed tamen tanta Venerabilis Dei Famula tunc temporis in mandato Beatissimae Virginis exsequendo humilitate enituit, ut in huiusmodi apparitionum praeceptique nárratione, quadraginta sex per annos, semetipsa silentio obducta, ne nomen quidem suum revelari unquam sineret. At nec solum humilitate Venerabilis Dei Serva excellere visa est. Eadem sane, expleto tirocinio, in alteram Societatis Puellarum a Caritate parisiensem domum, quam ab «Enghien» nuncupant, missa, in proximos magna caritate fulsit, cura quam erga pauperes senes hospitio receptos mirabiliter gessit. Omnia in Deo conspiciens, verba sua, optata, cogitationes ad Deurn^dirigens maxima iugiter pietate eluxit, erga Iesum Christum sub Eucharisticis velis delitescentem succenso amore flagra vit, Sanctissimam Virginem Dei Matrem qua filia amantissima coluit, ac proinde in puritatem suam, ut digna tantae Matris esset, vigilando sedula; sui ipsius oblita muneribus sibi creditis imperturbabili patientia studioque attento functa est; sororibus sociis se continenter aequo animo praebuit; in diligenda denique paupertate sapiens res omne genus contempsit, ita ut post eius obitum, ne una quidem res ad ipsam pertinens a sodalibus tanquam relliquia quaesita dari potuerit. Sanctam véro vitam *absconditam cum Christo in Deo* transactam ultima die mensis Decembris anno millesimo octingentesimo septuagesimo sexto, aetatis igitur suae septuagesimo, religiosis votis iteratis, Venerabilis Dei Famula, omnibus e domo sodalibu adstantibus, placidissimo exitu cum immortali commutavit. Corpus autem, post pretiosum Dei Famulae in conspectu Domini obitum, ad cryptam delatum est sacelli domus, quam in « Beuilly » Societas Puellarum Caritatis possidebat, eoque in loco, singulari venia a civitatis rectoribus obtenta, humatum, frequentissimis ex omni ordine civibus, sed praesertim sociis e pluribus Vincentianis domibus, ac filiarum Mariae Immaculatae societatibus, pueris puellisque et pauperibus, qui sanctitatis vitae fama ac virtutibus Catharinae Labouré commoti erant. Sed huiusmodi sanctitatis fama, Venerabili Dei Serva demortUa, vividior in dies facta est; quapropter, in Parisiensi curia Ordinariis processibus confectis, nil mirum si a rec. mem, Decessore Nostro Pio Pp. X Venerabilis ipsius Dei Famulae Catharinae causa digna habita fuerit^ quae Sacrae Eituum Congregationi cognoscenda committeretur, et anno millesimo nongentesimo septimo ipse Pontifex manu propria die xn mensis Decembris Commissionem introductionis cau-

sae signaret. Inquisitionibus itaque iudicialibus in Famulae Dei vitam resque gestas expletis, ceterisque omnibus rite absolutis, Nos, cum mox etiam super Venerabilis Servae Dei virtutibus disceptari coeptum sit, sollemni decreto, quod die decima nonam. Iulii anno millesimo nongentesimo tricesimo primo editum est, ipsius Venerabilis Catharinae Labouré virtutes heroicum attigisse fastigium sancivimús. Agitata dein quaestione de duobus miraculis, quae a Deo patrata ferebantur per eiusdem Venerabihs intercessionem, post duas Congregationes antepraeparatoriam nempe ac praeparatoriam nec non aliam generalem Congregationem, quae coram Nobis die septima mensis Februarii, hoc ipso anno, habita est, rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, Nosmetipsi, die tertiadecima mensis Februarii memorati, proposita miracula constare sollemniter declaravimus ulteriusque proinde in casu procedi posse. Cum igitur esset de virtutum heroicitate ac de miraculis prolatum consilium, illud tantum supererai discutiendum, num Venerabilis Ancilla Dei inter Beatos caelites *tuto* recensenda foret. Hoc dubium propositum est a dilecto filio Nostro Alexandro Sanctae Eomanae Ecclesiae Diacono Cardinali Verde, huius Causae Ponente seu Relatore, in Comitiis generalibus coram Nobis die vicesima quinta mensis Februarii vertentis anni millesimi nongentesimi tricesimi tertii habitis, omnesque qui aderant tam Cardinales quam Sacrorum Rituum Consultores et Praelati unanimi consensu affirmative responderunt. Nos autem in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, donec enixis precibus a Patre luminum supernum subsidium pòsceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem die decima secunda mensis Martii huius anni, scilicet Dominica secunda in Quadragesima, Eucharistico Sacro rite litato, adstantibus dilectis filiis Nostris Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono Cardinali Laurenti, qui Sacrorum Rituum Congregationi praepositus est, atque Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono Cardinali Verde, Causae Relatore, nec non dilectis filiis Alfonso Carinci, Congregationis Rituum Secretario, et Salvatore Natucci Sanctae Fidei promotore generali, tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Servae Catharinae Labouré beatificationem, auctoritate Nostra pronunciavimus. Quae cum ita sint, precibus quoque permoti universae Societatis Puellarum Caritatis et Congregationis Missionis, quae pariter institutore gaudent sancto Vincentio a Paulo, necnon Societatum Filiarum Mariae Immaculatae, quae Venerabilis ipsius Virgini Deiparae obsequentis Catharinae incitamento iam pro vide constitutae sunt, quaeque memorato Nomismate prodigioso uti insigni proprio utuntur, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum tenore, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famula Catharina Labouré, e Societate Puellarum Caritatis,

Beatae nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana seu ralhquiae, non tamen sollemnibus in supplicationibus deferenda, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines eius radiis decorantur. Eadem praeterea apostolica Nostra auctoritate concedimus ut de illa quotannis Officium recitetur de Communi Virginum cum lectionibus propriis per Nos adprobatis, et Missa celebretur de eodem Communi cum orationibus propriis pariter per Nos adprobatis, servatis servandis, sed tamen in dioecesi dumtaxat Divionensi, ubi nata est Serva Dei, atque in archidioecesi Parisiensi cum in eadem migraverit ad Dominum, itemque in templis ac sacellis ubique terrarum sitis, quibus utuntur tam Societas Puellarum Caritatis quam Congregatio Missionis, ab omnibus fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur quod ad Officii recitationem, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus îam e saeculari quam e regulari clero ad ecclesias sive sacella, in quibus festum agitur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia beatificationis Venerabilis Famulae Dei Catharinae Labouré supradictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum, servatis servandis, postquam eadem sollemnia in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et decretis de non cultu editis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii memoratae Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, in disceptationibus etiam iudicialibus eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis **significatione** hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvni mensis Maii, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimo secundo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

28 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Orisenae praef ecit R. P. D. Benedictum Paulum Alves de Souza, hactenus Episcopum dioecesis Spiritus Sancti.

8 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Massanae, R. D. Faustinum Baldini, Praepositum ecclesiae cathedralis S. Miniati.

10 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Tudertinae, R. P. D. Alfonsum Mariam De Sanctis, hactenus Episcopum Signinum.

— Cathedrali Ecclesiae Fluminensi, R. D. Antonium Santin, parochum ecclesiae cathedralis Polensis.

15 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Modrenae, R. D. Iacobum Hugonen Ryan, Rectorem Magnificum Universitatis Catholicae Washingtoniae in archidioecesi Baltimorensi.

SACRA CONGREGATIO CAEREMONIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, successivis decretis Sacrae Congregationis Orientalis, Ecclesias quae sequuntur de novo Pastore providere dignatus est, nimirum:

5 Augusti 1933. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Proconnesiae praefecit R. P. **D.** Basilium Caftan, hactenus Archiepiscopum Berytensem et Gibailensem Melchitarum.

— Episcopali Ecclesiae Alexandriae Armenorum, R. P. Iacobum Nessimian, hactenus Archiepiscopum Mardensem, data eidem facultate, retinendi ad personam titulum Archiepiscopi.

S Augusti 1933. — Archiepiscopali Ecclesiae Mardensi Armenorum, R. D. Aloisium Batanian.

10 Augusti—Archiepiscopali Ecclesiae Aleppen. Armenorum, E. D. Gregorium Hindié.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DIOECESIS *N.*

COEMETERIORUM PAROECIALIUM

Die 11 Iulii 1931

SPECIES FACTI. - In quadam civitate dioecesis JV..., abhinc pluribus annis, impensis paroeciae *A*... coemeterium conditum fuit, fidelibus catholicis totius civitatis sepeliendis. Idipsum, anno 1912, pecunia, magna ex parte, ab ea eiusque paroecia filiali collata, amplificatum est. At crescente in dies civium numero, eorum necessitatibus impar factum est ; quapropter, anno 1929, parochi dictae civitatis, conlatis inter se consiliis, alterum coemeterium in eadem civitate condi statuerunt, vetusque coemeterium paroeciae *A*... eiusque filiali tradi iusserunt.

Rem confirmavit Ordinarius qui tamen, decreto diei 27 Decembris .1929, praescripsit ut in veteri hoc coemeterio sepelirentur fideles tantummodo harum duarum paroeciarum, vetito ne in posterum huius loculi vel sepult era venderentur fidelibus ceterarum paroeciarum.

Contra hoc decretum parochus *A* ... huic Sacrae Congregationi die 2 Augusti 1930 recurrit, conquestus quod eodem: 1) ius violetur quo unicuique sepulturam sibi eligere permissum est, ad normam canonis 1223 Codicis I. C, et cum prohibitio in casu maiorem civium partem respiciat, ius ipsum universae civitati ablatum fuisse ait; 2) grave administratoribus veteris coemeterii affertur detrimentum, qni ingentes sumptus pro eiusdem aedificatione impenderunt, et quotidie, eiusdem servandi causa, impendunt; 3) nulli consulitur urgenti necessitati, cum locus in vetere coemeterio ad fidelium corpora humanda per 25 adhuc annos satis sit.

Curia dioecesana, contra, aequum censet decretum, et quia Societas, ad novum coemeterium condendum nuper constituta, non semel pecunia

adnfinistratoribus veteris coemeterii adiumento fuit; et quia nullum ius eligendae sepulturae fidelibus tollitur vel limitatur, cum decretum potissimum in hoc intendat ut unaquaeque paroecia suum habeat coemeterium; et quia, rerum necessitate cogente, necesse omnino fuit novum in civitate, cuius incolae in praesens ad ducenta millia numerantur, parare coemeterium.

Cum de hac necessitate nulla sit quaestio, tota controversia haec est, num memorato decreto diei 27 Decembris 1929 ius fidelium sibi eligendi sepulturam ubi maluerint, Curia violaverit vel limitaverit.

AD IUS QUOD ATTINET. - In canone 1223 § 1 Codicis I, C praescribitur: « Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae ». Quam libertatem adeo integram omnibus fidelibus servari voluit Codex, ut et uxorem et filios puberes a maritali vel a patria potestate in sepultura eligenda immunes prorsus fecerit (can. 1223 § 2); atque religiosis clericisque saecularibus districte prohibuit ne quem inducant ad sepulturam in ipsorum coemeteriis eligendam, factamque sub eorum impulsu electionem nullam declaravit (can. 1227). Quae Codicis praescriptio, quod uxores et fihosfamilias spectat, et in vetere iure canonico vigebat, ut est in cap. 1,3, 6, 8,10 X *de sepult.;* et in cap. 1> 2, *de sepult.* 12, in Sexto, etc.

At his iuris principiis non videtur contradicere memoratum Curiae decretum, cuius finis praecipuus fuit statuere quinam sit locus communis sepulturae fidelium uniuscuiusque paroeciae in memorata urbe, quin exinde ius sepulturae electivae, singulis fidelibus permissae, ullo modo coerceretur. Id aperte patet ex litteris eiusdem Ordinarii, die 29 Octobris 1930 ad hanc S. Congregationem missis, in quibus haec leguntur: « Il decreto fu dato semplicemente per stabilire un piano di sistemazione dei cimiteri parrocchiali nella città, per cui alle due parrocchie reclamanti fu assegnato il vecchio cimitero e le rimanenti parrocchie, *salvo il diritto individuale di scelta del luogo di sepoltura,* furono invitate a concorrere alle spese del nuovo cimitero, reso necessario per salvaguardare nell'avvenire gli interessi dei cattolici e delle loro chiese nella stessa città ».

Iamvero nullum dubium est quominus Ordinarius disponere valeat locum sepulturae communis singularum paroeciarum, nec non prohibere ne fideles unius paroeciae in proprio alterius paroeciae cemeterio *ordinario* sepeliantur, excipe casum electae inibi sepulturae. Quod indubie eruitur ex praescripto canonis 1208 § 1, vi cuius Ordinarii est coemeteria paroecialia constituere, eademque moderari.

RESOLUTIO. - BÜs omnibus perpensis, in plenariis comitiis huius S. Congregationis, die 11 Iulii 1931 habitis, propositum est hoc dubium solvendum:

An et quomodo recursus parochi A... diei 2 Augusti 1930 excipiendus sit, in casu.

Et Emi Patres responderunt:

Recursum esse reiiciendum, et ad mentem. Mens est ut, praeter sepulturam gentilitiam ad tramitem canonis 1229, salva fiat sepultura legitime electa ad normam canonis 1226, collati cum canone 1228 Codicis I. C.

Pacta autem de his Ssmo Dno Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per subscriptum Secretarium huius Sacrae Congregationis in Audientia diei 15 Iulii 1931, Sanctitas Sua datam resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Successivis ut infra decretis Sacri Consilii christiano nomini propagando, Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pius Pp. XI, dignatus est praelucere :

***11** Iulii 1933.* — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Ratiariensi, R. P. D. Andream Killian, hactenus Episcopum Portaugustanum, quem deputavit Coadiutorem, cum iure futurae successionis, R. P. D. Gulielmi Spence, Archiepiscopi Adelaidensis.

— Titulari archiepiscopali Ecclesiae Cypselenae, R. D. Raymundum Prendiville, quem deputavit Coadiutorem, cum iure futurae successionis, R. P. D. Iosephi Clune, Archiepiscopi Perthensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bargalensi, R. D. Gorgonium Brandsma, e Societate S. Ioseph de Mill-Hill pro missionibus ad exteros, quem constituit Vicarium Apostolicum de Kisumu.

II

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis praeterea renunciati sunt:

23 Maii 1933. — R. P. Georgius M. Iosephus Hubertus Gislenus de Jonghe d'Ardoye, e Societate Parisiensi missionum ad exteros, electus Episcopus tit. Amathuntinus, *Vicarius Apostolicus de Yunnanfu.*

23 Maii 1933. — R. P. Ioseph Lörks, e Societate Verbi Divini, electus Episcopus tit. Medelitanus, *Vicarius Apostolicus Novae Guineae Centralis.*

— R. P. D. Bartholomaeus Stanislaus Wilson, Episcopus titulo Acmoniensis, *Vicarius Apostolicus Sierrae Leonis.*

— R. P. Ludovicus Joie, O. F. M. Capuccinorum (in religione fr. Ernestus a Mbntagny-la-Ville), designatus Episcopus tit. Ceramensis, *Coadiutor cum iure futurae successionis* R. P. D. Ludovici Gumy, *Episcopi Portus Victoriae.*

30 Maii — R. P. Franciscus (Venantius) Filippini, O. F. M., electus Episc. tit. Thinisensis, *Vicarius Apostolicus de Mogadiscio.*

Successivis ut infra decretis Sacra Congregatio de Propaganda Fide renunciavit ad suum beneplacitum:

5 Maii 1933. — R. P. Aegidium M. Roy, ex Ordine Fratrum Minorum, *Praefectum Apostolicum de Kagoslnima.*

29 Maii. — R. P. Conradum Dubbelmann, Ordinis Praemonstratensis, *Praefectum Apostolicum de Jubbulpore.*

3 Iunii— R. D. Felicem De Kempeneer, e Congregatione Missionis, *Superiorem ecclesiasticum Missionis de Bïkoro.*

S Iulii. — R. P. Matthaeum Michelon, e Congregatione Veronensi Filiorum Ss. Cordis, *Superiorem ecclesiasticum Missionis de Kodolc.*

— R. P. Romualdum Migliorini, Ordinis Servorum Mariae, *Praefectum Apostolicum de Swaziland.*

14 Iulii. — R. P. Octavium Vandewalle, e Congregatione Immacnlati Cordis B. M. V. (de Scheut), *Praefectum Apostolicum de Montana.*

IÌ1

DESIGNATIONES

Ad normam can. 1594 §3, Vicarius Apostolicus de Chiquitos designavit pro appellationibus a suo tribunali, curiam metropolitanam Sucrensem: quam designationem Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI approbavit in audientia diei 8 Maii 1933.

Item ad normam can. 1594 § 2, Metropolita Bombayensis designavit ad eumdem effectum curiam dioecesanam Poonensem: approbante Ssmo in Audientia diei 22 Maii.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

i

NIVEBNEK **SEU** TARBIEN. **ET** LOUBDEN.

CANONIZATIONIS B. MARIAE BERN ARD AE SOUBIROUS, E CONGREGATIONE SORORUM CARITATIS ET INSTITUTIONIS CHRISTIANAE « DE NEVERS ».

SUTER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam praedictae Beatae venerationem, tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Medio circiter volvente xix saeculo, quum perversa rationalistarum doctrina infensissimum christianae veritati bellum inferret, omnemque supernaturalis ordinis compagem, impio ausu, convellere niteretur, gloriosissimae memoriae Pontifex Pius IX, universo plaudente catholico orbe, Immaculatam B. M. Virginis Conceptionem ut fidei dogma sollemniter definivit. Quae fulgidissimi Matris Dei privilegii proclamatio, dum superbienti mundo lugendam humani generis per peccatum ruinam revocat, simul divinae redemptionis gratiam mirifice extollit, atque hominum corda ad superna erigit.

Quod vero Romae per infallibile magisterium Summus Pontifex definiebat, ipsa Immaculata Virgo Deipara, benedicta inter omnes mulieres, suo veluti ore confirmare voluisse videtur, quum non multo post celebri apparitione se ad specum *Massabielle* prope Lapurdum, in Pyrenaeis montibus, manifestavit: quo loci ex universo orbe gentes confluerent, ut pientissimae Matris beneficia persentirent, et veluti continua miraculorum serie mentes magis hominum sanarentur, quam corpora. Sed illud mirabilius quod ut tantum beneficium hominibus sanctissima Dei Genetrix impertiret atque, ut ea quae in mundo fortia existimantur confunderet, infirmum prae caeteris elegerit instrumentum, iuxta illam divinam oeco^ nomiam, quam exaltat Paulus: *Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia* (1 Cor., 1, 27); Bernardam dicimus Soubirous, carissimum nunc ac celeberrimum mundo nomen, tunc vero ignoratam omnibus, nondum trilustrem puellam.

Ea Lapurdi nata, in montana Pyrenaeorum regione, die 7 Ianuarii mensis, anno 1844, ex patre Francisco et matre Ludovica Casterot, biduo post, baptismo abluta est nomenque Mariae Bernardae accepit.

Paupérrimo victitans, et aliquandiu pascendis gregibus addicta, expers quidem omnis humanae doctrinae, sed suavissima morum simplicitate atque nitidissimo animi candore, Deo cara ac Virgini Matri Mariae dilecta, adolescebat. Eespexit Maria filiolae suae humilitatem; innocentemque puellam anno 1858 a die 11 Februarii mensis ad diem 16 Iulii octies et decies successivis apparitionibus caelestique adloquio dignata est. Cui tandem sciscitanti ab Ea nomen : *Immaculata,* inquit *Conceptio ego sum.*

In qua tam celebri apparitione ac tot a Deo illustrata signis, triplex notare iuvat collatum piae adolescentiae charisma: *fidentem* eam primo dicamus, quae coram frequenti populo saepius in ecstasim rapta benigno Virginis adspectu mirabiliter recreata est: item ad mundum *Nuneiam Virginis* pronunciemus, quae, Maria iubente, paenitentiam et orationem populo praedicavit; sanctuarium eo in loco exstruendum sacerdotibus praecepit,, eiusdem loci gloriam, sanctitatem et futura beneficia praesentiens; eam tandem et *Testem veritatis* agnoscamus, quae pluribus adversantibus, summo simplicitatis candore una cum summa supernaturali prudentia atque animi fortitudine, apparitionum et commissi sibi a Virgine mandati verfc tatem constanter testata est, omnibus ecclesiasticis aeque ac saecularibus iudicibus mirantibus.

Quibus omnibus ab indocta atque rudi puella, divino instinctu, mirabiliter expletis, eam Deus procul in solitudinem religiosi claustri abductam, mundoque veluti ereptam, ad mirabüiora praeparabat, ut scilicet^ cum Christo confixa cruci atque cum Eo veluti consepulta, interiorem supernaturalem vitam altius animo in humilitate hauriret, atque olim in luce sanctitatis veluti mundo resurgens, firmiore hoc sanctitatis testimonio novam Lapurdensi sanctuario gloriam adderet. Mvernum itaque, vocanti Deo obsecundans, Iulio mense anno 1866 se contulit, ut in ea principe domo Sororum a Caritate et Institutione Christiana religiosam vitam susciperefc. Tirocinium emensa, temporanea vota sequenti anno, decennio post perpetua nuncupavit. Mirabiles in ea illuxere virtutes, sed virgineam eius animam praecipue eae, quae praedilectam Mariae Virgini decent discipulam ornarunt: profunda humilitas, tersissima puritas, incensa caritas. Quas, diuturni morbi doloribus animique angoribus, quibus quandoque premebatur, patientissime toleratis, et probavit et auxit. In ea religiosa domo humillima virgo ad mortem usque permansit, quam post suscepta Ecclesiae sacramenta, dulcissimam Matrem Mariam invocans, sanctissime obivit die

16 Aprilis mensis anno 1879, aetatis suae trigesimo sexto, ab inchoata religiosa vita duodecimo.

Quae vero eatenus velut sub humilitatis modio delituerat, illico post eius mortem mundo lucere visa est. Quare Ordinaria auctoritate de virtutum et miraculorum fama processus sunt adornati, et ad Urbem deducti. Venerandae memoriae Pius Papa X causae introductionis Commissionem sua manu die 13 Augusti mensis anno 1913 signavit. Apostolica deinde auctoritate super virtutibus et miraculis fuere constructi processus et, iuris ordine stricte servato, Ssmus D. N. die 14 Iunii mensis anno sacro 1925 Venerabilem Dei famulam Beatorum fastis adscripsit. Quum nova viderentur a Deo, ea intercedente, miracula esse patrata, causa die 9 Iunii mensis anno 1926 fuit resumpta, et miracula per decretum, die 31 Maii mensis hoc anno latum, approbata. Ut ad optatum finem, ad canonizationem nempe, causa haec progredi posset, unum supererai discutiendum dubium: *An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam Beatae Maria Bernardae Soubirous venerationem,* tuto *procedi posset ad sollemnem, praedictae Beatae Canonizationem.* Quod a Rmo Cardinali Alexandro Verde causae Ponente seu Relatore in generalibus Sacrae huius Congregationis comitis, die 27 nuper elapsi mensis coram Ssmo D. N. habitis, fuit propositum. Sacri huius coetus Patres Cardinales, Officiales Praelati et Consultores unanimi consensione in aífirmativam concessere sententiam. Beatissimus vero Pater aliquantisper cunctandum esse duxit, ut in re tam gravi divini luminis copiam imploraret.

Ut autem decretum hoc promulgaretur diem hanc, Dominicam IV post Pentecosten, suavissimo Visitationis festo sacram, Sanctitas Sua elegit feliciter. Sicut enim hoc in eventu Beatae Mariae Virginis humilitas, per eius divinae maternitatis revelationem fuit a Deo exaltata, et per Eamdem Baptista sanctificatio fuit, ita hodie ad canonizationis honores, Beata Maria Virgine velut manu ducente, per Summi Pontificis oraculum, humillimam Mariam Bernardam Soubirous properare toto orbe plaudente conspicimus.

Devotissime itaque sacrosancto Eucharistico sacrificio litato, arcessitis Emis Cardinalibus Camillo Laurenti, **S.** R. **C.** Praefecto et Alexandro Verde Causae Ponente seu Relatore, nec non R. P. Salvatore Catucci Fidei Promotore generali meque infrascripto Secretario, eisque adstantibus, pronunciavit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Beatae Mariae Bernardae Soubirous Canonizationem.*

Hoc autem decretum promulgari et in S. R. C. acta referri mandavit die 2 Iulii anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. j$f S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

LUCEN. IN ITALIA

CANONIZATIONIS BEATAE GEMMAE GALGANI VIRGINIS

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio reassumptionis Causae Canonizationis B. Gemmae Galgani Virginis, in casu et ad effectum de quo agitur.

Vix peractis, die 14 elapsi Maii mensis hoc anno, melitae Lucensis Virginis Gemmae Galgani beatificationis sollemniis, iam nova feruntur a Deo eius intercessione patrata miracula. Quapropter instante E. P. Aegidio a Sacris Cordibus, e Congregatione Clericorum excalceatorum SSmae Crucis et Passionis D. N. Iesu Christi, Causae Postulatore, Emus ac Emus D. Card. Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Ostien. et Albanen., Causae Ponens seu Eelator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis die 25 huius mensis apud Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio reassumptionis Causae Canonizationis B. Gemmae Galgani, Virginis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Et Emi ac Rmi Patres Cardinales, sacris tuendis ritibus praepositi, audita eiusdem Emi ac Rmi D. Cardinalis Ponentis relatione, attentis quoque Postulatoriis litteris Emi ac Rmi D. Cardinalis Laurentii Lauri, Maioris Paenitentiarii, Ecmi ac Rmi D. Antonii Torrini Archiepiscopi Lucen, aliorumque Episcoporum et Rmi P. Praepositi generalis Congregationis Clericorum excalceatorum Ssmae Crucis et Passionis D. N. I. C, audito R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, omnibus de iure perpensis, respondere censuerunt: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem reassumptionis Causae, si Sanctissimo placuerit.*

All'esercito del Reich Germanico sarà concessa una cura d'anime esente per gli ufficiali, funzionari e militari cattolici ad esso appartenenti e rispettive famiglie.

La direzione dell'assistenza spirituale dell'esercito spetta al Vescovo militare. La sua nomina ecclesiastica sarà fatta dalla Santa Sede, dopo che Essa si sarà messa in comunicazione col Governo del Reich per la designazione, d'accordo con lui, di una persona idonea.

La nòmina ecclesiastica dei parroci militari e degli altri ecclesiastici militari è fatta dal Vescovo militare, dopo aver udito la competente Autorità del Reich. Il Vescovo militare può nominare solo quegli ecclesiastici, che abbiano ottenuto dal loro Vescovo diocesano il permesso di entrare nella cura d'anime dell'esercito ed il relativo certificato d'idoneità.

: Gli ecclesiastici aventi cura di anime presso l'esercito, hanno competenze parrocchiali sulle truppe e rispettive famiglie, loro affidate.

Le norme precise per l'organizzazione dell'assistenza spirituale

ARTIKEL 27.

Der Deutschen Reichswehr wird für die zu ihr gehörenden katholischen Offiziere, Beamten und Mannschaften, sowie deren Familien, eine exemte Seelsorge zugestanden.

Die Leitung der Militärseelsorge obliegt dem Armeebischof. Seine kirchliche Ernennung erfolgt durch den Heiligen Stuhl, nachdem letzterer sich mit der Reichsregierung in Verbindung gesetzt hat, um im Einvernehmen mit ihr eine geeignete Persönlichkeit zu bestimmen.

Die kirchliche Ernennung der Militärpfarrer und sonstigen Militärgeistlichen erfolgt nach vorgängigem Benehmen mit der zuständigen Reichsbehörde durch den Armeebischof. Letzterer kann nur solche Geistliche ernennen, die von ihrem zuständigen Diözesanbischof die Erlaubnis zum Eintritt in die Militärseelsorge und ein entsprechendes Eignungszeugnis erhalten haben. Die Militärgeistlicheh haben für die ihnen zugewiesenen Truppen und Heeresangehörigen Pfarrechte.

Die näheren Bestimmungen über die Organisation der katholischen

cattolica presso l'esercito saranno emanate con Breve Apostolico.

Il regolamento della situazione dei cappellani militari in quanto funzionari dello Stato sarà fatto dal Governo del Reich.

ARTICOLO 28.

Negli ospedali, nei penitenziari e negli altri stabilimenti tenuti da enti pubblici, la Chiesa sarà ammessa, nel quadro dell'orario generale della casa, a provvedere ai bisogni spirituali delle anime ed a compiervi le funzioni religiose. Se in tali istituti viene stabilita una regolare assistenza spirituale e se a tale scopo verranno assunti ecclesiastici, come impiegati dello Stato o comunque pubblici, ciò sarà fatto d'accordo con l'Autorità ecclesiastica superiore.

ARTICOLO 29.

I cattolici residenti nel Reich Germanico ed appartenenti a minoranze etniche non tedesche avranno, riguardo all'ammissione della loro lingua materna nel culto, nell'insegnamento religioso e nelle associazioni ecclesiastiche, un trattamento non meno favorevole di quello che corrisponde alla condizione di diritto e di fatto dei cittadini di origine e di lingua tedesca nel territorio del rispettivo Stato estero.

Heeresseelsorge erfolgen durch ein Apostolisches Breve. Die Regelung der beamtenrechtlichen Verhältnisse erfolgt durch die Reichsregierung.

ARTIKEL 28.

In Krankenhäusern, Strafanstalten und sonstigen Häusern der öffentlichen Hand wird die Kirche im Rahmen der allgemeinen Hausordnung zur Vornahme seelsorgerlicher Besuche und gottesdienstlicher Handlungen zugelassen. Wird in solchen Anstalten eine regelmässige Seelsorge eingerichtet und müssen hierfür Geistliche als Staats- oder sonstige öffentliche Beamte eingestellt werden, so geschieht dies im Einvernehmen mit der kirchlichen Oberbehörde.

ARTIKEL 29.

Die innerhalb des Deutschen Reiches wohnhaften katholischen Angehörigen einer nichtdeutschen völkischen Minderheit werden bezüglich der Berücksichtigung ihrer Muttersprache in Gottesdienst, Religionsunterricht und kirchlichem Vereinswesen nicht weniger günstig gestellt werden, als der rechtlichen und tatsächlichen Lage der Angehörigen deutscher Abstammung und Sprache innerhalb des Gebietes des entsprechenden fremden Staates entspricht.

ARTICOLO 30.

Nelle domeniche e nelle feste di precetto, nelle chiese cattedrali, come pure in quelle parrocchiali, filiali e conventuali del Reich Germanico si reciterà alla fine del servizio religioso principale, in conformità con le prescrizioni della Sacra Liturgia, una preghiera per la prosperità del Reich e del popolo germanico.

ARTIKEL 30.

An den Sonntagen und den gebotenen Feiertagen wird in den Bischof skirchen, sowie in den Pfarr^, Filial- und Klosterkirchen des Deutschen Reiches im Anschluss an den Hauptgottesdienst, entsprechend den Vorschriften der kirchlichen Liturgie, ein Gebet für das Wohlergehen des Deutschen Reiches und Volkes eingelegt.

ARTICOLO 31.

Le organizzazioni e associazioni cattoliche, che abbiano scopi esclusivamente religiosi, culturali e caritativi e che come tali dipendano , dall'Autorità ecclesiastica, saranno protette nelle loro istituzioni e nella loro attività.

Le organizzazioni cattoliche, che, oltre quelli religiosi, culturali e caritativi, hanno pure altri scopi, fra i quali anche i sociali o i professionali, godranno, senza pregiudizio della loro eventuale inserzione nelle unioni dello Stato, della protezione, di cui all'art. 31 capov. 1, in quanto diano garanzia di svolgere la loro attività fuori di ogni partito politico.

Il catalogo delle organizzazioni e associazioni, che cadono sotto le disposizioni di questo articolo, verrà fatto d'accordo fra li Governo del Reich e l'Episcopato tedesco.

ARTIKEL 31.

Diejenigen katholischen Organisationen und Verbände, die ausschliesslich religiösen, rein kulturellen und karitativen Zwecken dienen und als solche der kirchlichen Behörde unterstellt sind, werden in ihren Einrichtungen und in ihrer Tätigkeit geschützt.

Diejenigen katholischen Organisationen, die ausser religiösen, kulturellen oder karitativen Zwecken auch anderen, darunter auch sozialen oder berufsständischen Aufgaben dienen, sollen, unbeschadet einer etwaigen Einordnung in staatliche Verbände, den Schutz des Artikels 31 Absatz 1 gemessen, sofern sie Gewähr dafür bieten, ihre Tätigkeit ausserhalb jeder politischen Partei zu entfalten.

Die Feststellung der Organisationen und Verbände, die unter die Bestimmungen dieses Artikels fallen, bleibt vereinbarlicher Abmachung zwischen der Reichsregierung

und dem deutschen Episkopat vorbehalten.

In quanto vi siano organizzazioni giovanili — sportive od altre — sostenute dal Reich e dagli Stati particolari, si avrà cura che ai loro membri sia reso possibile il regolare adempimento dei loro doveri religiosi nelle domeniche e negli altri giorni festivi e non siano obbligati a fare cose non compatibili con le loro convinzioni e coi loro doveri religiosi e morali.

Insoweit das Reich und die Länder sportliche oder andere Jugendorganisationen betreuen, wird Sorge getragen werden, dass deren Mitgliedern die Ausübung ihrer kirchlichen Verpflichtungen an Sonn- und Feiertagen regelmässig ermöglicht wird und sie zu nichts veranlasst werden, was mit ihren religiösen und sittlichen Überzeugungen und Pflichten nicht vereinbar wäre.

ARTICOLO 32.

A causa delle attuali particolari circostanze della Germania, e in considerazione delle garanzie, create dalle disposizioni del presente Concordato, di una legislazione che salvaguardi i diritti e le libertà della Chiesa Cattolica nel Reich e nei suoi Stati, la Santa Sede emanerà disposizioni, le quali escludano per gli ecclesiastici ed i religiosi l'appartenenza a partiti politici e la loro attività a favore dei medesimi.

ARTIKEL 32.

Auf Grund der in Deutschland bestehenden besonderen Verhältnisse, wie im Hinblick auf die durch die Bestimmungen des vorstehenden Konkordats geschaffenen Sicherungen einer die Rechte und Freiheiten der katholischen Kirche im Reich und seinen Ländern wahrenden Gesetzgebung erlässt der Heilige Stuhl Bestimmungen, die für die Geistlichen und Ordensleute die Mitgliedschaft in politischen Parteien und die Tätigkeit für solche Parteien ausschliessen.

ARTICOLO 33.

Le materie, relative a persone e cose ecclesiastiche, delle quali non si è trattato negli articoli precedenti, saranno regolate nel campo ecclesiastico secondo il diritto canonico vigente.

ARTIKEL 33.

Die auf kirchliche Personen oder kirchliche Dinge bezüglichen Materien, die in den vorstehenden Artikeln nicht behandelt wurden, werden für den kirchlichen Bereich dem geltenden kanonischen Recht gemäss geregelt.

Se in avvenire sorgesse qualche divergenza sull'interpretazione o sull'applicazione di una disposizione del presente Concordato, la Santa Sede ed il Reich Germanico procederanno di comune intelligenza ad una amichevole soluzione.

Sollte sich in Zukunft wegen der Auslegung oder Anwendung einer Bestimmung dieses Konkordates irgendeine Meinungsverschiedenheit ergeben, so werden der Heilige Stuhl und das Deutsche Reich im gemeinsamen Einvernehmen eine freundschaftliche Lösung herbeiführen.

ARTICOLO 34.

Il presente Concordato, il cui testo tedesco e italiano fanno medesima fede, dovrà essere ratificato e gli istrumenti della ratifica dovranno essere scambiati quanto prima. Esso entrerà in vigore il giorno dello scambio di detti istrumenti.

In fede di che i Plenipotenziari hanno firmato il presente Concordato.

Fatto in doppio originale.

Città del Vaticano, 20 Luglio 1933.

ARTIKEL 34.

Das vorliegende Konkordat, dessen deutscher und italienischer Text gleiche Kraft haben, soll ratifiziert und die Ratifikationsurkunden baldigst ausgetauscht werden. Es tritt mit dem Tag ihres Austausches in Kraft.

Zu Urkund dessen haben die Bevollmächtigten dieses Konkordat unterzeichnet.

Geschehen in doppelter Urschrift.

In der Vatikanstadt, am 20. Juli 1933.

L. © S. EUGENIO CARDINALE PACELLI.

L. © S. FKANZ VON PAPEN.

Protocollo finale.

Al momento di procedere alia firma del Concordato oggi conchiuso fra la Santa Sede ed il Reich Germanico i sottoscritti Plenipotenziari, dovutamente autorizzati, hanno fatto le seguenti concordi dichiarazioni, che formano parte integrante del Concordato medesimo.

All'art. 3.

Il Nunzio Apostolico presso il Reich Germanico è, in conformità colle Note scambiate fra la Nunziatura Apostolica in Berlino e il Ministero degli Esteri in data delPll e del 27 marzo 1930, il decano del Corpo Diplomatico ivi accreditato.

All'art. 13.

Si è d'accordo che il diritto della Chiesa di riscuotere tasse rimane garantito.

All'art. Uf capov. **2** *n.* **2.**

Si è d'accordo che se esistono obbiezioni di natura politica generale, dovranno essere comunicate nel più breve tempo possibile. Se nessuna dichiarazione del genere verrà pre-

SchlussprotokolL

Bei der Unterzeichnung des am heutigen Tage abgeschlossenen Konkordats zwischen dem Heiligen Stuhl und dem Deutschen Reich haben die ordnungsmässig bevollmächtigten Unterzeichneten folgende übereinstimmende Erklärungen abgegeben, die einen integrierenden Bestandteil des Konkordats selbst bilden.

Zu Artikel 3.

Der Apostolische Nuntius beim Deutschen Reich ist, entsprechend dem Notenwechsel zwischen der Apostolischen Nuntiatur in Berlin und dem Auswärtigen Amt vom 11. und 27. März 1930, Doyen des dort akkreditierten Diplomatischen Korps.

Zu Artikel 13.

Es besteht Einverständnis darüber, dass das Recht der Kirche, Steuern zu erheben, gewährleistet bleibt.

Zu Artikel U Absatz **2** *Ziff.* **2**

Es besteht Einverständnis darüber, dass, sofern Bedenken allgemein politischer Natur bestehen, solche in kürzester Frist vorgebracht werden. Liegt nach Ablauf

sentata nel termine di venti giorni, la Santa Sede avrà il diritto di ritenere che contro il candidato non esistono tali obbiezioni. Fino alla pubblicazione della nomina sarà mantenuto il più stretto segreto sulla persona in questione.

Questo capoverso non importa un diritto di veto da parte dello Stato.

von 20 Tagen eine derartige Erklärung nicht vor, so wird der Heilige Stuhl berechtigt sein, anzunehmen, dass Bedenken gegen den Kandidaten nicht bestehen. Uber die in Frage stehenden Persönlichkeiten wird bis zur Veröffentlichung der Ernennung volle Vertraulichkeit gewahrt werden.

Ein staatliches Vetorecht soll nicht begründet werden.

All'art. 17.

Gli edifici ed i fondi dello Stato, destinati a scopi della Chiesa, sono ad essi lasciati come finora, salvo i contratti eventualmente esistenti.

Zu Artikel 17.

Soweit staatliche Gebäude oder Grundstücke Zwecken der Kirche gewidmet sind, bleiben sie diesen, unter Wahrung etwa bestehender Verträge, nach wie vor überlassen.

All'art. 19 periodo 2

La regola fondamentale è costituita, al momento della stipulazione del Concordato, specialmente dalla Costituzione Apostolica « Deus scientiarum Dominus » del 24 maggio 1931 e dalla Istruzione del 7 luglio 1932.

Zu Artikel 19 Satz 2.

Die Grundlage bietet zur Zeit des Konkordatsabschlusses besonders die Apostolische Konstitution «Deus scientiarum Dominus» vom 24. Mai 1931 und die Instruktion vom 7. Juli 1932.

All'art. 20.

I Convitti, soggetti alla direzione della Chiesa, presso alte scuole e ginnasi saranno riconosciuti, per quanto riguarda le tasse, come istituzioni essenziali della Chiesa in senso proprio e come parti costitutive dell'organizzazione diocesana.

Zu Artikel 20.

Die unter Leitung der Kirche stehenden Konvikte an Hochschulen und Gymnasien werden in steuerrechtlicher Hinsicht als wesentliche kirchliche Institutionen im eigentlichen Sinne und als Bestandteil der Diözesanorganisation anerkannt.

All'art. ***24.***

Qualora col nuovo ordinamento delle scuole magistrali istituti privati posseggano i requisiti generalmente richiesti dallo Stato per la formazione di maestri e di maestre, si avrà nell'ammissione dei medesimi conveniente riguardo anche ad istituti esistenti degli Ordini e delle Congregazioni religiose.

Zu Artikel ***24.***

Soweit nach Neuordnung des Lehrerbildungswesens Privatanstalten in der Lage sind, den allgemein geltenden staatlichen Anforderungen für Ausbildung von Lehrern oder Lehrerinnen zu entsprechen, werden bei ihrer Zulassung auch bestehende Anstalten der Orden und Kongregationen entsprechend berücksichtigt werden.

All'art. 26.

Si verifica una grave necessità morale, quando difficoltà insormontabili, 0 che non si possono rimuovere senza eccessivo incomodo, impediscono di poter produrre a tempo debito i documenti necessari alla celebrazione del matrimonio.

Zu Artikel 26.

Ein schwerer sittlicher Notstand liegt vor, wenn es auf unüberwindliche oder nur mit unverhältnismässigem Aufwand zu beseitigende Schwierigkeiten stösst, die zur Eheschliessung erforderlichen Urkunden rechtzeitig beizubringen.

All'art. 27 capon. 1.

Gli ufficiali, impiegati e soldati -cattolici, e le loro famiglie, non appartengono alle parrocchie locali e non sono tenuti alle rispettive contribuzioni.

Zu Artikel 27 Absatz 1.

Die katholischen Offiziere, Beamten und Mannschaften, sowie deren Familien, gehören nicht den Ortskirchengemeinden an und tragen nicht zu deren Lasten bei.

Gavov. k.

Il Breve apostolico sarà emanato, dopo aver udito il Governo del Reich.

Absatz ***4.***

Der Erlass des Apostolischen Breve erfolgt im Benehmen mit der Reichsregierung.

All'art. 28.

Nei casi urgenti deve permettersi all'ecclesiastico l'ingresso in qualsiasi momento.

Zu Artikel 28,

In dringenden Fällen ist der Zutritt dem Geistlichen jederzeit zu gewähren.

AlVart. 29.

Essendosi il Governo del Reich dimostrato pronto ad accettare tale disposizione favorevole per le minoranze non tedesche, la Santa Sede dichiara che, a conferma dei principii da Lei sempre difesi circa il diritto alla lingua materna nella cura delle anime, nell'istruzione religiosa e nella vita delle organizzazioni cattoliche, procurerà, in occasione della stipulazione di future Convenzioni concordatarie con altri Stati, di fare inserire in esse una eguale disposizione per la tutela dei diritti delle minoranze tedesche.

Zu Artikel 29.

Nachdem die Deutsche Reichsregierung sich zu dem Entgegenkommen in Bezug auf nichtdeutsche Minderheiten bereitgefunden hat, erklärt der Heilige Stuhl, in Bekräftigung seiner stets vertretenen Grundsätze bezüglich des Rechtes der Muttersprache in der Seelsorge, im Religionsunterricht und im katholischen Vereinsleben, bei künftigen konkordätären Abmachungen mit anderen Ländern auf die Aufnahme einer gleichwertigen, die Rechte der deutschen Minderheiten schützenden Bestimmung Bedacht nehmen zu wollen.

AlVart. 31 capov. J¡.

I principii fissati all'articolo 31 capov. 4 valgono anche per l'organizzazione del lavoro obbligatorio.

Zu Artikel 81 Absatz k.

Die in Artikel 31 Absatz 4 niedergelegten Grundsätze gelten auch für den Arbeitsdienst.

All'art. 32.

Resta inteso che saranno simultaneamente prese dal Governo del Reich, a riguardo delle confessioni non cattoliche, eguali disposizioni circa l'attività politica nei partiti.

II contegno, di cui, in esecuzione dell'articolo 32, si farà obbligo ai sacerdoti ed ai religiosi, non significa limitazione di alcuna sorta nel-

Zu Artikel 32.

Es herrscht Einverständnis darüber, dass vom Reich bezüglich der nicht katholischen Konfessionen gleiche Regelungen betreffend parteipolitische Betätigung veranlasst werden.

Das den Geistlichen und Ordensleuten Deutschlands in Ausführung des Artikels 32 zur Pflicht gemachte Verhalten bedeutet keinerlei Einen-

l'insegnare e spiegare pubblicamente, come è loro dovere, le dottrine e le massime della Chiesa, non solo dommatiche, ma anche morali.

Città del Vaticano, 20 Luglio 1933.

gung der pflichtmässigen Verkündung und Erläuterung der dogmatischen und sittlichen Lehren und Grundsätze der Kirche.


In der Vatikanstadt, am 20. Juli 1933.

L. *m* **s.**
L. © S.

EUGENIO CARDINALE PACELLI.

FRANZ VON PAPEN.

Conventione inter Apostolicam Sedem et Rem Germanorum publicam rata habita, die 10 Septembris 1983 in Palatio Apostolico Vaticano Ratihabitionis Instrumenta accepta et reddita mutuo fuerunt. Exinde, i. e. a die 10 Septembris 1933, quo die huiusmodi Instrumenta permutata fuerunt, Conventio inter Ssmum Dominum Nostrum Pium PP. XI et Supremum Reipublicae Germanicae Praesidem (Deutsche Reichspraesident) icta una simul cum Protocollo finali, vigere et valere coepit ad normam art. 34 comm. 1 eiusdem Pactionis.



Annus XXV - Vol. XXV 2 Octobris 1933 Num. 15

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

LITTERAE DECRETALES

BEATO ANDREAE HUBERTO FOURNET, CONGREGATIONIS FILIARUM CRUCIS, SORORUM A S. ANDREA QUAS VOCANT, FUNDATORI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inclita Pictavorum Ecclesia, quae iure meritoque praeclarissima S. Hilarii Episcopi et strenui catholicae fidei propugnat oris nomine gloriatur, nova hodie laetitia vehementer congaudet ob novensilem sanctitatis florem in eius agro virescentem, illustrem videlicet Dei famulum Andream Hubertum Fournet, Filiarum Crucis Congregationis, quae Sorores a S. Andrea vulgo vocantur, Fundatorem, de Ecclesia Dei civilique societate tantopere meritum. Gallicae luetuosissimis perturbationis temporibus, bonorum omnium largitor Deus, acérrimos catholicae religionis defensores excitare dignatus est, qui, divi illius Hilarii vestigia sequuti, pessundata Ecclesiae iura fortiter defenderent, ac damna, dominico gregi a christiani nominis osoribus illata, sedulo alacriterque sarcienda curarent. Quos inter procul dubio accensendus est Beatus ille Andreas Hubertus Fournet, Gallorum gentis totiusque Ecclesiae vere ornamentum. Qui Malliaci, vulgo *Maillé,* quod est Pictaviensis dioecesis oppidum, in pago *Perusse,* octavo nonas Décembres, anno millesimo septingentésimo quinquagesimo secundo, a piis, honestis ditibusque parentibus Petro Fournet de Thoiré et Florentia Elisabeth Chasseloup ortum duxit

ac insequenti die in paroeciali ecclesia S. Petri a patruo sacerdote, eiusdem oppidi parocho, lustralibus aquis fuit ablutus. Assiduis parentum curis adeo respondit, ut, quamvis vividam et ad laetitiam pronam a natura indolem sortitus esset, religiosissimae matris exempla secutus, fervidae pietatis speciem dederit; et innocentiam praeseferens, omnibus amabilis evadebat et desideratissimus. Dum autem optimam spem de eo adhuc adulescentulo omnes conciperent, ut maiores in dies tum in pietate tum in litteris progressus facere valeret, iam a prima aetate ad collegium quod apud *Chatellerault* erat, a parentibus missus fuit, ubi unus e suis patruis sacerdotali dignitate auctis morabatur. Cum aliquot annos eodem in collegio diversatus esset, de iuris scientiae curriculo capessendo consilium cogitare coepit; quod ut exsequeretur Pictavium se contulit, et duos annos iurisprudentiae studiis vacavit. Inibi, etsi ad leviorem vitam ahquandiu deflectere visus fuerit, honestus tamen et a vitiis immunis permansit. Postea vero cum apud alium suum patruum et ipsum sacerdotem, qui paroeciam *Haims* administrabat, de animarum dirigendarum scientia et gratia instructum, se contulisset, tam gravia ab ipso colloquia audivit, ut ipse serio de illa vitae ineunda ratione cogitaret, ad quam a Deo ipso certo certius vocaretur. Sentiens itaque divinitus se in sortem Domini vocari, seminarium Pictaviense petiit, ibique maxima alacritate theologicis studiis incubuit et illustris pietatis exhibuit indicia. Magna dein cum laude sacram theologiam emensus, anno millesimo septingentésimo septuagesimo sexto exeunte, sacerdotio Christi, quod magnopere anhelaverat, insignitus est; et Episcopi mandato in *Haims* pagum missus, ut vicaria auctoritate parochum, et ipsum suum patruum, adiuvaret; quocum in zelo domus Dei et vitae sanctimonia valde profecit, ac très annos in hoc munere laudabiliter versatus est. Quibus expletis, pro alio suo patruo senescente ecclesiae S. Petri Malliaci parochus renuntiatus est. Cum autem munus hoc gerens vitae commoditates primum non omnino contemnere videretur, haud multo post apparuit quantum de eius perfectione divina gratia esset sollicita. Contigit enim quadam die ut quis mendicus ab eo eleemosynam rogitaret; cum vero Andreas nihil sibi tunc praesto esse illi respondisset, protinus pauper ille: Quomodo, inquit, nihil tibi suppetit^ cuius mensa argento resplendet? Minime turbatus Andreas, ac caelestem reprehensionem sibi factam agnoscens, quidquid argenti domi esset vendendum curavit, pauperibusque pretium distribuit. Coepit exinde erga egenos ita largissimus esse, ut nullum caritati limitem apponeret; omnimodae abnegationis atque austeritatis vitam suscepit, et a quacumque deliciarum specie prorsus abhorruit totumque gregi sibi credito bonus. pastor se devovit. Tanta, qua intrinsecus aestuabat in Deum et in proximos caritas, ex eius actibus undique refulgebat, ut, nulli parcens labori, ani-

mariani procurandae saluti, variisque sui ministerii muneribus, praedicationi potissimum divini verbi, per catecheses et paternas hortationes, dihgentissime incumberet. Praecipuus igitur eius concionum finis fuit animas suae curae commissas scuto roborare fidei; tum quia fidem ceterarum virtutum fontem esse et radicem putavit, tum quia gravissimis illis quibus versabatur temporibus supremum pastoris onus esse censuit fratres suos in catholica veritate confirmare et stabilire. Adventabant namque luctuosi dies, quibus, sub decimi octavi saeculi exitu, Christi religio et res ipsa publica tantum in Gallia afflictata est. Anno siquidem millesimo septingentésimo nonagésimo primo perversi viri, rebus publicis regendis in Gallia praepositi, omnibus Dei ministris sacrilegum iusiurandum imposuere praestandum et civili cleri constitutioni adscribi iusserunt, Andreas iurare renuit; ideoque e sua expulsus paroecia et in proscriptorum numerum relatus, apud dilectum suum gregem, ne illum bonus ipse pastor mercenariis traderet pastoribus, occultus aliquandiu permansit; sed postea ut parochianos sibi hospitium praebentes ab imminentibus mortis periculis subtraheret, sui Episcopi iussu, in Hispaniam exsul se contulit, diuque in *Los Arcos,* Pampilonensis dioecesis oppido, permansit, ubi pro animarum salute populique, qui eum hospitio receperat, christiana perfectione, ita consiliis, epistolis ac vitae praesertim sanctitate adlaboravit, ut in maxima omnium veneratione apud Hispanos brevi haberetur. Labente anno millesimo septingentésimo nonagésimo septimo, nondum in patria contra Ecclesiam insectatione composita, ad suam paroeciam clam se restituit, ut pro ovibus suis, si necesse esset, animam suam daret. Divina providentia omnino confisus, horreum in ecclesiam convertens, pastorale ibi ministerium clam exercuit; fideles undique cogere, sacrosancta mysteria inibi peragere, eorum confessiones excipere, eos sacro Dei verbo munire, piisque pietatis exercitiis colere ac fovere totis viribus studebat. Inter quae *ludibrio, et verbera,* ut Apostolus de fidelibus Dei famulis testatur, *expertus, egens, angustiatus, afftictus, in solitudinibus errans, in montibus et speluncis et in cavernis terrae, et testimonio fidei pro grege sibi commisso per omnia probatus,* et vere *forma gregis factus,* ovibus et pastoribus simul exemplar et munimentum, in hisce angustiis, pluries ad mortem quaesitus, non sine divina ope ab omnibus gravibusque periculis miriñce quidem aliquando evasit incolumis. Cessata tandem teterrima illa persequutione, totus ipse, animarum zelo aestuans, fidelibus, iis quoque a sua paroecia remotis, praesto fuit, ut congestas inter eos tot annis ruinas repararet; et cum maxima tunc temporis esset sacerdotum penuria, alios adivit locos, missiones in proximis oppidis praedicabat, et, sui penitus oblitus, nonnisi iis, quae ad Deum et proximos pertinebant, totum se applicans, uberrimam, apostolicus operarius, in agro Dominico segetem messuit.

Defectui clericorum in Galliis consulere exoptans, pueros, qui in sacris initiari cupiebant, instituendos curavit, eosque latinae linguae rudimenta edocuit, suisque expensis et piorum eleemosynis plures ad sacerdotale ministerium clericos adduxit. Quo melius autem christianae puellarum praesertim pauperiorum educationi nec non aegrotantium curae consuleret, circa annum millesimum octingentesimum septimum, piarum mulierum institutionem condendam cogitavit, quae activam simul et contemplativam vitam coniungeret. Cooperante itaque nobili ac piissima femina Elisabeth Bichier des Ages, alias quatuor virgines, nempe Annam Bannier, Veronicam Lavergne, Magdalenam Moreau, et Mariam Annam Guillon, «ongregavit, et duos post annos prima domus ad castrum Molantis, prope Mailiacum, verum religiosae communitatis characterem coepit assumere. Sorores istae, quae a S. Andrea etiam vulgo vocabantur, Filiae a Cruce appellatae fuere; illis enim Dei Servus Crucem uti signum ostendebat, in quo primum se ipsas et deinde mundum vincerent. Brevi, Dei opitulante gratia, nova haec sodalitas, omnibus accepta, crevit numero et mense Maio anni millesimi octingentesimi vicesimi in urbem Podium, vulgo *La Puye*, deducta est, viridesque ramos undique extendit. Graviorem huius Instituti regiminis partem Andreas Hubertus sibi reservavit, eam nempe, quae ad Sororum spiritualem efformationem attinebat. Postea vero imparem se sentiens paroeciali ministerio exercendo simulque Sororum Instituto, iam mire amplificato, informando, Malliacensi paroeciae, suo annuente Episcopo, non sine omnium moerore renuntiavit et Podium petiit, ut Filiarum Crucis spirituali directioni totum se daret. Eegulas itaque conscripsit sapientes, ecclesiastica auctoritate comprobatas ac dein suprema huius Sanctae Sedis sanctione munitas. Novarum domorum fundationi advigilavit diligenter; nonnullas ex illis, suae commoditatis immemor, itinerumque asperitate minime deterritus, lustravit. Egregius conscientiarum moderator, scrutationis cordium dono ornatus, magnificum omnium virtutum exemplar, quindecim fere annos Sodalitatis curam gerens vixit; et consiliis ac orationibus non solum Sorores, sed sacerdotes quoque et fideles ad pietatem ac vitae perfectionem adduxit. Tandem meritis plenus, octoginta et duos annos natus, tertio idus Maias, anno millesimo octingentesimo tricesimo quarto, hora nona, dissolvi cupiens et esse cum Christo, placidissimo exitu obdormivit in Domino. Simul ac beatissimae Dei Servi mortis notitia propagata est, convenerunt undique fideles ad eius corpus invisendum. Omnes, Crucis Filiae in primis, *patrem bonum,* uti vivum appellare solebant, tamquam parentem suavissimum, multis hönestarunt lacrimis; omnes virum sanctum e vivis sublatum fuisse conclamabant; et quidquid ad eum pertinuerat veluti sacrum lypsanum exquirebatur. Splendidissima funera, triumpho similia, cum maxima populi multitudine, non

tantum Podii, sed Mainaci quoque, celebrata sunt, ubi Famuli Bei *mozeta,* super tumulum imposita, in frusta discerpta prorsus fuit, ut frustulum quisque ex ea acciperet. Huius Servi Dei, cuius vitam, apostolatum et pretiosam mortem brevi narravimus, sanctitatis opinionem, quam, dum adbuc viveret, sibi merito comparaverat, Deus omnipotens multiplicibus signis et miraculis, post eius mortem, confirmare dicebatur. Quae omnia enarrare longum est. Ita ab adstantibus adnotatum dicitur Servi Dei cadaver vultum hilarem ac flexilitatem membrorum servasse, et pergrati odoris effiuvium emisisse. Duae splendidissimae nubeculae, Crucem S. Andreae efíormantes, cui fulgidissima stella supereminebat, Famuli Dei mortis tempore in caelo a quibusdam longe morantibus Sororibus visae dicebantur, earum Superioris obitum quodammodo annuntiantes. Aliud admirabile factum narratur inexbaustam Andreae Huberti caritatem confirmans. Ipse namque pauper moriens septem tantummodo gallicas libellas pauperibus distribuendas reliquit, in quarum elargitione illud insigne accidit, ut, licet ex iis continuo sumptum fuerit, numquam imminui visae sint, nec antea defecerint, quam multos post annos, quando ex reipublicae formae immutatione nummorum imago immutata fuerit. Sed plures etiam morborum sanationes, eius ope implorata, dicebantur sequutae: Soror quaedam a cbolera morbo correpta et ad extremum vitae redacta per appositionem Servi Dei linteoli sanatur. Alia quaedam mulier a cancerosa gianduia, pro cuius sectione chirurgus urgebat, Servi Dei intercessione penitus liberatur. Duae puellae phthysi laborantes ad eius sepulcrum illico sanitatem recuperant. Et innumerae aliae huiusmodi sanationes enarrantur, quae Famuli Dei Andreae sanctitatis opinionem lucide confirmant. Qua in dies succrescente, per exteras quoque et longe dissitas regiones propagata, de Beatorum caelitum honoribus Andreae Huberto Fournet decernendis causa agitari coepta est, et, processibus Ordinaria potestate rite confectis» ad Apostolicam Sedem delata est, ac die tandem decima nona Iulii mensis, anno millesimo octingentesimo septuagesimo septimo, eius introductionis Commissio a s. m. Pio Papa Nono, Praedecessore Nostro, signata est. Probationibus postea iuridice sumptis, opera potissimum dilecti filii Iulii Saubat, sollertissimi causae Postulatoris, riteque expensis, fel. rec. Benedictus Papa Decimusquintus, et ipse Decessor Noster, sexto idus Iulias anno millesimo nongentesimo vicesimo primo, solemniter in Vaticanis Aedibus de eiusdem Venerabilis Servi Dei virtutum heroicitate decretum edidit. Iudicium non multo post de miraculis, a Deo intercessione Servi Dei patratis, institutum est: de quibus duo ad eius Beatificationem obtinendam selecta sunt. Omnibus itaque severissimo processu ponderatis, et peritorum iuratorum sententiis habitis, Nos ipsi, octavo kalendas Apriles anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto, quo die Mariae Sanctae Doniinae ab

Angelo salutatae festus recolitur, plene *constare de duobus propositis miraculis:* de primo nempe, *instantaneae perfectaeque sanationis Sororis dementiae a tuberculosi peritonaei, intestinorum atque pulmonum;* et de altero, *instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Iuliae Paidinae a peritypMite tuberculari,* suprema auctoritate Nostra solemniter decrevimus. Sancito igitur venerabili Dei Servi Andreae Huberti virtutum gradu heroico, ac de praefatis duobus miraculis prolata sententia, illud supererat discutiendum an *tuto* Ipse inter Beatos Caelites esset recensendus. Proposito itaque dubio a cl. m. Vincentio cardinale Vannutelli, Episcopo Ostiensi et Praenestino, Sacri Collegii Decano, et Causae Ponente seu Eelatore, in comitiis in sede Vaticana habitis, omnes qui aderant, tum Cardinales, tum Praelati Officiales et Consultores S. Rituum Congregationis, unanimi consensu affirmative responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec a Patre luminum fervidis precibus auxilium exposceremus. Tandem decimo primo kalendas Maias, anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto, qua die castissimi Deiparae Sponsi, universae Ecclesiae Patroni solemnitas agitur, coram ei. rn. Antonio Cardinale Vico, Episcopo Portuensi et S. Kufìnae, Sacrorum Eituum Congregationis Praefecto, nec non praefato Cardinale Vannutelli Causae Relatore, et b. m. Angelo Mariani eiusdem Sacrae Congregationis a Secretis, ac venerabili fratre Carolo Salotti, tum S. Fidei Promotore generali, apostolica auctoritate deere* vimus procedi *tuto* posse ad Venerabilis Servi Dei Andreae Huberti Fournet Beatificationem. Cuius solemnia in Vaticana Basilica die sextadecima Maii mensis eodem anno, cum maximo populi concursu, peracta fuere. Novis autem post indultam Beato Andreae Huberto venerationem miraculis eius suffragio divinitus patratis, insequenti anno, die decima septima mensis Man, Causa reassumpta est, et a sedulo eius Postulatore duo haec miracula ad Canonizationem obtinendam exhibita sunt, unum in Pictaviensi, alterum in Pampilonensi dioecesi, ut ferebatur, eodem deprecatur e Beato Andrea Huberto patrata. Respiciebat primum sanationem puellae Lucianae Blanchard, Luciani et Mathildis Poisseau filiae, e Podio, Pictaviensis dioecesis oppido. Variis ipsa erat osseis deformitatibus affecta; sexdecim menses nata, nondum stare valuerat; dexteram tibiam habebat infiexam in orbem et pedem dexteram ita distortorio, ut hallus sinistram pedem tangeret; dexteram pariter genu valgum, coxa enim et crus dexteram angulunl in genu efformabant. Quae deformitates ex rachitismo processerai, quarum subita sanatio a medicis impossibilis habebatur, neque naturae viribus, neve medica arte. Iamvero, invocato a puellae parentibus et a tota Filiarum Crucis communitate Beati Andreae Huberti Fournet auxilio, tertia die ab inceptis novendialibus supplicationibus, nempe vicesima prima Maii anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo,

Luciana in instanti fuit perfecte sanata, et illico quae numquam vel stare potuerat, deambulavit. Miraculum alterum, eiusdem Beati Andreae patrocinio a Deo in *Tafalla,* dioecesis Pampilonensis oppido, patratum dicebatur. Soror Generosa a SS. Trinitate, Emmanuelis et Mariae Olivan filia, e Parvularum Sororum pro derelictis senibus adiuvandis Congregatione, usque ad decimum nonum suae aetatis annum bene valuit; ab anno vero millesimo nongentesimo tertiodecimo usque ad subsequentem vicesimum sextum annum varie crebroque fuit morbo tentata; a Novembri autem mense eiusdem anni ad insequentis anni labentem Ianuarium mensem graviter decubuit ac in vitae discrimen venit. Iuxta medicorum diagnosim illa cholelithiasi laborabat, ex qua cholecistites cum suppuratone exorta est; cui morbo plures variisque ex viis haemorrhagiae, subcutaneae quoque, adiungebantur. Die vicesima nona mensis Ianuarii, anno millesimo nongentesimo vigesimo septimo, infirma ad mortis statum iam proxima videbatur. Verum Soror Generosa, imposita sibi, circa huius diei horam nonam et semis, subucula, quae Podii B. Andreae Huberti sepulcro fuerat admota, levamen primum persensit; hora autem undecima, omnia morbi symptomata evanuisse animadvertit, ac protinus se perfecte sanatam sentiens e lectulo surrexit, cibos Communitatis sumpsit et, stupente medico ac mirantibus omnibus, ipsa ex illo istanti ad pristina sui Instituti officia rediit, quasi numquam infirma fuisset. De primo proposito miraculo Pictavii, dé altero vero Pampilone processus Apostolica auctoritate sunt adornati, eorumque validitate recognita, die decima octava mensis Iulii anno millesimo nongentesimo undetricesimo editum est decretum; servatis autem omnibus de iure servandis, ac trium peritorum officialium praehabito favorabili voto, de utraque sanatione supra naturae leges habita, •coram dilecto filio Nostro Alexandro S. B. E. Cardinale Verde, Causae huius Ponente seu Eelatore, in congregatione antepraeparatoria et praeparatoria quas vocant disceptatum est, atque statutum ut sanati puellae Xiucianae Blanchard cruris tabulae radiographicae fierent; et de sanatae Sororis Generosae valetudinis statu nova perageretur inspectio. Qua a duobus peritis physicis accuratissime perhabita, optima huius Sororis valetudo est comprobata. Quo vero nitidiore etiam luce miraculi fulgor ab omni vel tenui umbra vindicaretur, a tribus a S. Rituum Congregatione adlectis peritis, tum singillatim tum collegialiter, votum est datum, quod unanimi consensu miraculi notam in casu plenissime confirmavit. Tabulae quoque radiographicae quas supra diximus peractae, perfectam et perseverantem Lucianae Blanchard puellae sanationem pariter comprobarunt« Quapropter omnibus his exquisitissimis praehabitis diligentiis, generaba •comitia coram Nobis, die octava mensis Novembris praeteriti anni sunt habita, in quibus a Causae Ponente seu Relatore dubium est propositum:

An et de quibus miraculis post indultam Beato Andreae "Ruberto Fournet venerationem constet in casu et ad effectum de quo agitur. Venerabiles fratres Cardinales ac dilecti filii Officiales Praelati et Consultores suam quisque ediderant sententiam, quam Nos intento animo aucUvimus. Nostrum tamen edere iudicium distulimus, ut Nobis ceterisque temporis copia esset a Deo mgeminatis precibus maioris luminis gratiam impetrandi. Die tandem Novembris vicesima insequenti, coram dilectis filiis Nostris Camillo S. R. E. Cardinale Laurenti et Alexandro Cardinale Verde, Causae Relatore, nec non dilectis filiis Alfonso Carinci, eiusdem S. Rituum Congregationis a Secretis, et Salvatore Natucci, S. Fidei Promotore generali, plene constare ediximus de duobus miraculis, Beato Andrea Huberto Fournet intercedente, a Deo patratis scilicet: *Instantaneae perfectaeque sanationis puellae Lucianae Blanchard a genu valgo dextero cum tibiae dexterae et pedis dexteri distorsione ex rachitismo;* nec non *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Generosae Olivan a cholelithiasi cum cholecistite et haematemesi coniuncta.* Quod quidem Decretum publici iuris fieri et in SS. Rituum Congregationis acta referri mandavimus. Item, praefata servata forma, die octava Ianuam mensis decurrentis anni, Dominica infra octavam Epiphaniae Domini, S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph celebrandae sacra, Eucharistica Hostia litata, coram iisdem praefatis Cardinalibus atque S. Rituum Congregationis a Secretis et S. Fidei Promotore, approbatione stante duorum miraculorum post indultam Beato Andreae Huberto Fournet venerationem, « *tuto* » *procedi posse ad solemnem eius Canonizationem* pronunciavimus; et hoc quoque decretum in vulgus edi et in S. Rituum Congregationis tabularium referri iussimus. Quibus omnibus itaque peractis, ut constitutus a Decessoribus Nostris in tanto negotii ordo servaretur, primum quidem venerabiles fratres Nostros S. R. E. Cardinales, die tertiadecima proxime elapsi mensis Martii, apud Nos in Consistorium secretum convocavimus; in quo de Beati Andreae Huberti Causa per dilectum filium Nostrum Camillum Cardinalem Laurenti, S. Rituum Congregationis Praefectum, relatione praehabita, atque universis per eum recensitis actis, quae in eadem Causa ipsa Sacra Rituum Congregatio, praevio rigoroso examine, admisit et approbavit, Nos singulorum suffragium exquisivimus atque excepimus; ac suam iidem Cardinales sententiam aperuerunt: ad sollemnem nempe praefati Beati Canonizationem esse deveniendum. In Consistorio autem publico, quod die sextadecima eiusdem mensis Martii, in Ss. Processi et Martiniani navi Basilicae Vaticanae habuimus, dilectus filius Augustinus Schmid, Consistorialis Aulae Nostrae Advocatus, de eodem Beato Andrea Huberto orationem dixit et pro illius Canonizatione de more institit; Nos vero, etsi Beato illi summos triumphantis Ecclesiae decernere honores avere dixerimus, cum *de eximio*

viro ageretur, qui turbidentissimis temporibus per aspera ad ardua procedens ita christianis virtutibus, mirabilibus factis a Deo comprobatis, exceUuit ut in se non modo, sed in ceteris etiam expressam Iesu Christi imaginem referre eniteretur, tamen hoc tanti ponderis negotio, quod cum inerranti magisterio Ecclesiae coniungitur, usque adeo supersedendum putavimus, donec in consistorio *semipublico,* quod vocant, venerabilium fratrum Nostrorum S. E. E. Cardinalium, iterata vice, omniumque quotquot conventuri sint, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, Abbatumque *nullius.* servato Eomanae Ecclesiae instituto et more, sententiam rogaverimus; atque interim, ut Nobis a Spiritu Sancto Paraclito caelestia lumina impetrarent, Christi fideles universos adhortati sumus. Curavimus interea ut omnibus quos supra diximus venerabilibus fratribus legitimum compendium mitteretur vitae, virtutum et miraculorum nec non actorum in Causa Beati Andreae Huberti Fournet ut, re cognita ac perspecta, suam Nobis possent aperire sententiam-, atque ad diem secundam p. e. mensis Maii, in Consistorium semipublicum coram Nobis in Vaticanis Aedibus eos omnes ad hunc finem convocavimus; eosque allocuti sumus et rogavimus ut de proposita Causa quid sentirent singillatim significare vellent. Idem autem omnes sentire ac Nos solemniter professi sunt, Beatum nempe Andream Hubertum Fournet, sacerdotem et Filiarum Crucis seu Sororum a S. Andrea Congregationis Fundatorem, summis Caelitum honoribus honestandum esse, seu ad Eius solemnem Canonizationem esse deveniendum. Cui in Vaticana Basilica celebrandae praefiximus diem quartam subsequentis Iunii mensis, qua die scilicet Spiritum Sanctum Paraclitum peculiari cultu veneramur; ac universos hortati sumus ut ferventes funderent preces ne Nobis in tam gravi Nostri muneris parte eiusdem Sancti Spiritus luminis gratia deesset. De quibus ut publicum instrumentum conficerent, dilectos filios Protonotarios Apostolicos adstantes consueta fórma rogavimus. Cum ergo fausta a Nobis constituta dies illuxerit, plurimi tum saecularis, tum regularis cleri ordines, Bomanae Curiae Praesules et Officiales nec non venerabiles fratres Nostri S. E. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates Vaticanam Basilicam magnificentissime exornatam adiverunt; quibus pia supplicatione praeeuntibus, in eam pluribus fidelium millibus stipatam et Nos solemni pompa ingressi sumus; atque, adorato Ss. Eucharistiae Sacramento, ad cathedram Nostram perreximus ibique sedimus. Tunc dilectus filius Noster Camillus Cardinalis Laurenti, S. Rituum Congregationis Praefectus et Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Augusto Milani, Nostrae Consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis precesque instanter detulit, ut Nos catalogo Sanctorum D. N. Iesu Christi adscriberemus et tamquam Sanctum ab omnibus christifidelibus venerandum esse pronun-

ciaremus Beatum Andream Hubertum Fournet. Quod. cum iterum ac tertio, *instantius* nempe et *instantissime,* idem Cardinalis per eumdem Consistorialis Aulae Advocatum petiisset, superno lumine iterum ferventiusque implorato, infallibilem Nos, uti catholicae Ecclesiae supremus Magister, sententiam in haec verba protulimus: *Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium fratrum Nostrorum S. B. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Andream Hubertum Fournet Sanctum esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia universali eius memoria quolibet anno, die natali illius, nempe die tertiadecima mensis Maii, inter Sanctos Confessores non Pontífices pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Qua Canonizationis formula ita solemniter edicta, oblatis Nobis a praefato Aulae Consistorialis Advocato, Cardinalis Procuratoris nomine, precibus annuentes, Decretales has Apostolicas sub plumbo Litteras de eadem Canonizatione expediri decrevimus; a Protonotariis vero Apostolicis ad perpetuam huius memoriam instrumenta confici iussimus. Deo insuper Optimo Maximo gratias ob tantum beneficium ex toto corde egimus ac primum novensilis Sancti protectionem a Deo Ipsi invocavimus; plenariam dein cunctis praesentibus indulgentiam peramanter impertiti sumus. Sacrum postea sollemne litavimus, atque post evangelicam lectionem homilia adstantes allocuti sumus, breve Sancti Andreae Huberti elogium texentes, Eius universis Christi fidelibus sanctimoniae exemplum monstrantes, Eiusque patrocinium suppliciter rogantes ut adsit ille de caelo *laboribus inceptisque Nostris, eo unice spectantibus ut pax gentibus, non tam inscripta tabulis, quam animis consignata, arrideat, ut nec admissis venia, nec humanis laboribus panis d,esit, neque frustra caeleste pabulum mentes voluntatesque desiderent; ut adsit ille, salutarium fructuum sponsor et auspex, universae hominum consortioni; eamque, pacatis animis et ad potiora bona conversis, non modo fluxarum, harum rerum copia prosperitateque frui iubeat, sed ad supemam etiam beatitatem ita contenderei ut, eo deprecatore eoque patrono, in caelestem patriam tandem aliquando recipiatur per infinita saecula saeculorum. Amen.* Homilia vero habita, alteram elargiti sumus apostolicam benedictionem, et, favente Deo, pontificale Sacrum perfecimus. Novum itaque victricis Crucis triumphum canere et novam Ecclesiae parare gloriam hodie Nobis datum est, ad Caelitum honores evehendo novum Crucis Apostolum, Sanctum nempe Andream Hubertum Fournet, qui, in salutiferae Crucis mysterium pietatis aestu flagrans^ tot tantisque honoribus redem-

ptionis humanae signum omni ope exaltare studuit, et ipsam sanctimonialium a se conditam familiam a Cruce nuncupari voluit. Perennes igitur Deo omnipotenti gratias agamus, quod tantum Nobis munus, non sine singulari suo consilio, hocce quidem piaculari anno largitus est, quo, labente undevicesimo a reparata humani generis salute saeculo, sollemnius *fulget Crucis mysterium* ac totum per orbem terrarum *Crux spes unica* salutatur. Omnibus itaque quae inspicienda erant bene perpensis, certa scientia, apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, omnia et singula quae supra memoravimus confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Ecclesiae Catholicae denunciamus. Mandamus insuper ut harum Litterarum Decretalium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent. Si quis vero Decretales has Litteras Nostras definitionis, decreti, mandati et voluntatis infringere vel eis temerario ausu contraire vel attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et sanctorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Bomae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo tertio, die quarta mensis Iunii, in festo Pentecostes, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.



£g Ego IANUARIUS Episcopus Ostiensis et Albanensis Cardinalis GRANITO DI BELMONTE, S. Collegii Decanus.

£g Ego MICHAEL Episcopus Tusculanus Cardinalis LEGA.

£g Ego DONATUS Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis SBARRETTI.

£8 Ego fr. THOMAS PIUS Ord. Praed. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Cardinalis BOGGIANI.

£g Ego ALOISIUS Episcopus Praenestinus Cardinalis SINCERO.

Ego PETRUS titulo S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis GASPARRI, S. E. E. Camerarius.

Ego CATETANUS titulo S. Agathae Presbyter Cardinalis BISLETI.

Ego ACHILLES titulo S. Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis LOCATELLI.

Ego IOSEPH titulo S. Nicolai in Carcere Tulliano Cardinalis MORI.

Ego HENRICUS titulo S. Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis GASPARRI.

Ego ALOISIUS titulo S.Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis CAPOTOSTI, Prodatarius.

Ego LAURENTIUS titulo S. Pancratii Presbyter Cardinalis LAURI, Maior Paenitentiarius.

Ego fr. ALEXIUS HENRICUS MARIA titulo S. Susannae Presbyter Cardinalis LÊPICIER.

Ego EUGENIUS titulo SS. Ioannis et Pauli Presbyter Cardinalis PACELLI.

Ego FRANCISCUS titulo S. Mariae Novae Presbyter Cardinalis MARCHETTI-SELVAGGIANI.

Ego fr. RAPHAËL CAROLUS titulo S.Praxedis Presbyter Cardinalis Rossi,

Ego IULIUS titulo S. Mariae supra Minervam Presbyter Cardinalis SERAFINI.

Ego PETRUS titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI-BIONDI.

Ego CAMILLUS S. Mariae Scalaris Protodiaconum Cardinalis LAURENTI.

Ego FRANCISCUS S. Caesarii in Palatio Diaconus Cardinalis EHRLE.

Ego ALEXANDER S. Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis VERDE.

Fr. TH. PIUS O. P. Card. B OGGI ANI
Cancellarius S. B. JE.

CAMILLUS Card. LAURENTI
S. B. C. Praefectus.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Humbertus Benigni, *Protonotarius Apostolicus.*

Can. Alfridus Liberati, *Cane. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA

die undecima mensis Iulii, anno duodecimo.

Alfridus Marini, *Plumbator.*

Angelus Pericoli, *Scriptor Apostolicus.*

Beg. in Cane. Ap., vol. XLVIII, n. 19. **- G. Stara Tedáe.**

CONSTITUTIO APOSTOLICA

•S. SALVATOEIS IN BEASILIA

AB ARCHIDIOECESI S. SALVATORIS IN BRASILIA TERRITORII PARS DISMEMBRATUR ET INDE NOVA ERIGITUR DIOECESIS «DE BOMFIM» NUNCUPANDA

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius christifidelium regimini eorumque spirituali bono consulendum absque dubio maxime prodest recta Ecclesiarum circumscriptio. Quod serio considerans venerabilis frater Augustus Alvarus da Silva, metropolitanae Ecclesiae S. Salvatoris in Brasilia Antistes, ac potissimum prae oculis habens incolarum numero suam archidioecesim frequentissimam esse ac latissimo patere territorio, ab Apostolica Sede enixe postulavit, ut ipsa in duas dismembraretur partes ac nova exinde erigeretur dioecesis. Nos itaque, de venerabilium fratrum Nostrorum S. E. E. Cardina^lium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum consulto, habitoque venerabilis fratris Benedicti Aloisi Masella, Archiepiscopi titularis Caesariensis in Mauretania, et penes Brasilianam rempublicam Nuntii Apostolici, favorabili voto, omnibus mature perpensis, i>raefati S. Salvatoris Archiepiscopi precibus annuendum censuimus. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum, qui sua interesse praesumant consensu, Apostolicae potestatis plenitudine, ab archidioecesi S. Salvatoris in Brasilia territorii partem distrahimus, quae sequentes comprehendit paroecias: *Bomfim, Abaré, Bom Consélho, Campo Formoso, Cumbe, Capim Grosso, Coneeiçâo do Coite, Geremoabo, Itiuba, Jacobina, Morro de Chapeo, Monte Santo, Queimadas, Biachâo de Jacobina, Biachâo de JJtinga, Sande, S. Antonio da Gloria, Bombai, Tucano, Vana.* Totum autem territorium, his paroeciis efformatum, in novam erigimus dioecesim, quam ab urbe *Bomfim,* in qua sedem episcopalem statuimus, *de Bomfim* appellari volumus. Paroecialem vero ecclesiam *Domino de Bomfim* dicatam, in eadem urbe exstantem, ad ecclesiae cathedralis gradum et dignitatem evehimus. Huic autem noviter erectae dioeceseos cathedrali Ecclesiae eiusque pro tempore Episcopis omnia tribuimus iura, honores, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi vel legitima consuetudine in America Latina fruuntur et gaudent; item Episcopos ipsos eorumque cathedralem Ecclesiam omnibus adstringimus

oneribus et obligationibus, quibus ceteri Antistites eorumque Ecclesiae iure communi adstringuntur. Decernimus insuper ut nova haec dioecesis *de Bomfim* metropolitanae Ecclesiae S. Salvatoris in Brasilia sit suffraganea; et idcirco eius pro tempore Episcopos iuri metropolitico Archiepiscopi S. Salvatoris subiicimus. Cum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in hac nova dioecesi canonicorum Capitulum modo instituatur, indulgemus ut pro canonicis ad iuris tramitem dioecesani consultores interea eligantur. Mandamus insuper ut parvum saltem Seminarium dioecesanum, iuxta Codicis iuris canonici praescripta et normas a Sacra Congregatione de Seminariis et Universitatibus Studiorum traditas, quam primum fieri poterit erigatur; itemque ut ipsius quidem sumptibus ab hac quoque nova dioecesi *de Bomfim* bini delecti iuvenes, aut modo saltem unus, in Pontificium Seminarium Pium Latinum de Urbe, non intermissa vice, mittantur, qui sub fere oculis Nostris in spem Ecclesiae instituantur. Quod vero attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii capitularis sede vacante electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, rite servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod autem clerum praecipue spectat, statuimus ut, simul ac novae huius dioeceseos erectio ad exsecutionem mandata fuerit, eo ipso eidem ecclesiae censeantur adscripti clerici omnes, qui in eius territorio legitime degunt. Dotem autem et episcopalem mensam constituent emolumenta omnia et ceterae oblationes quae a. fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent, praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt. Volumus denique et mandamus ut omnia documenta et acta novam hanc dioecesim eiusque clericos et fideles respicientia, a cancellaria S. Salvatoris in Brasilia archidioecesis ad novae huius dioecesis curiam episcopalem quam primum fieri poterit tradantur ut in eius archivo rite serventur. Quibus omnibus ut supra dispositis et constitutis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda, quem supra diximus venerabilem fratrem Benedictum Aloisi Masella, in Brasiliana Republica Nuntium Nostrum, deputamus eique omnes tribuimus facultates necessarias et opportunas, tum omnes et singulas dirimendi controversias in exsecutionis actu quomodolibet orituras, tum subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum; eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar infra sex menses ab his Litteris datis computandos transmittendi. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen ahcuius Notarii publici subscriptis ac sigillo ahcuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur

fides, quae hisce Litteris tribueretur, si originaliter exhibitae, vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, evectionis, concessionis, statuti, derogationis, mandati et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis vero, ausu temerario, hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo tertio, die sexta mensis Aprilis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Fr. TH. PIUS O. P. Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

Fr. R. C. Card. ROSSI
a Secretis S. C. Consistorialis.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Vincentius Bianchi-Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco •£ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XLVII, n. 65. - G. **Stara Tedde.**

EPISTOLAE

I

AD EMUM P. D. ELIAM TIT. S. MARCI S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM DALLA COSTA ARCHIEPISCOPUM FLORENTINUM, DE CONCILIO PLENARIO ETRURIAE.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Singulari quodam studio nec parva animi delectatione tuas perlegimus litteras, quibus Nos consilii tui fecisti certiores de Concilio Plenario Florentiae ineundo, quod omnes ex Etruria humanissima regione Praesules delectosque ex utroque clero viros de rebus gravissimis deliberandi causa proxime coget. Quae enim in hoc tanto ac tali coetu expendenda censuistis, ea sunt non modo muneri vestro plurimum profutura, sed etiam maxime necessaria et vehementer urgenda. Profecto agendum est de exsequendo accuratius supremo illo Domini praecepto omnes docendi caelestia ac divina, quibus ignoratis

ipsa huius vitae via prorsus ignoratur ac ratio. Agendum quoque est de ipsa animarum sanitate, per Ecclesiae sacramenta alenda in dies ac validius roboranda. Agendum denique est de concordi catholicorum actione, qua genuina christiana vis in ipsas societatis venas influat, atque omnes ordines ac socialia instituta intime imbuat. Sicut igitur consilium vestrum iucunditate haud exigua cognovimus, ita commendatione vos debita ac paterna voluntate prosequimur. Quo autem congressio ista sollemnior evadat, eique Nos ipsi praesentes quodammodo simus, te, dilecte fili Noster, quem romana purpura recens decoravimus, Legatum Nostrum, uti iam antea ediximus, per hasce litteras renuntiamus, qui Nostram gerens personam coetibus^sacrisque caerimoniis nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas. Quotquot autem tecum convenerint, eis vocem Nostram benigne referes, qua sacros omnes administros paterne instanterque exhortamur, ut, arrepta probe occasione Iubilaei maximi a Nobis indicti, ferventiore in dies studio ac sollicitudine in animarum salutem incumbant, ut cum Pastorum Principe ipsi quoque singuli affirmare aliquando possint: « Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam ». Interea superna munera ac lumina enixe vobis imploramus, quibus ea, quae populo vestro salutaria fore videantur, et sapienter provideatis, et ad effectum feliciter deducatis. Cuius quidem secundi exitus coetus vestri propitiatrix esto apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, tuis in episcopatu conlegis, et universis, qui Concilio Plenario adfuerint, itemque reliquo clero et populo cuique vestrum commisso effusa in Domino caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die i mensis Maii, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

II

AD EMUM P. D. IOSEPHUM TIT. S. IOANNIS AD POETAM LATINAM S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM MAC RORY ARCHIEPISCOPUM ARMACHANUM, QUEM LEGATUM SUUM DEPUTAT AD AUSPICALEM LAPIDEM PONENDUM NOVI METROPOLITANI TEMPLI LIVERPOLIENSIS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae ad divini cultus splendorem et decus redundant, ea quidem, ut par est, singulari favore et studio complectimur. Magna itaque animi Nostri delectatione intelleximus venerabilem fratrem Archiepiscopum Liverpolitanum

eiusque fideles consilium iniisse exaedificandi novam, peramplam perque augustam sedem cathedralis ecclesiae metropolitanae, eamque Christo Domino ac Eegi summo pie opportuneque dedicandi. Pari simul laetitia audivimus, hoc ipso anno sacro feliciter vertente, proximo sollemni die Pentecostes, magna quidem Episcoporum fideliumque frequentia, faventibus quoque civitatis magistratibus, auspicalem novi templi lapidem, Liverpolii in florentissima urbe, positum iri. Quamobrem, consilia eiusmodi debita laude commendantes, ut proximae celebrationis sollemnitatem Nostra participatione augeamus, et sacro ritui auspicali Ipsi Nos praesentes quodammodo simus, in animo quidem habuimus dilecto filio Nostro Archiepiscopo Westmonasteriensi Legati Nostri munus committere; nunc vero, quum opportunum sit eius valetudini incommoda vitare, ex superadditis legationis huius laboribus profectum, ne desiderium, Nostrum ipsiusque Archiepiscopi Westmonasteriensis irritum evadat, te, dilecte fili Noster, pro tua in Deum pietate eximia et amplissimae dignitatis splendore, Legatum Nostrum deligimus ac renuntiamus, ut Liverpolii Nostram gerens personam, ipsis coetibus sollemnibusque caerimoniis Nostro nomine et auctoritate praesideas. Mentis autem Nostrae procul dubio praeclarus eris interpres, quum bonis istis fidelibus publice referes Nos de eorum catholica fide et religione vehementer gratulari, iisdem ex animo peroptantes, ut, quanto magis aedificandum Dei templum dignitate et maiestate praestiterit, tanto etiam fidelium in divino cultu pietas et studium augeatur. Hac firma fiducia freti, Eedemptorem nostrum benignissimum adprecamur, ut vobis gloriae Eius adlaborantibus virtute et Spiritus Sancti muneribus faveat iugiter et obsecundet; quorum quidem caelestium donorum coneiliatrix, peculiarisque caritatis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, et sollerti Archiepiscopo Liverpolitano, pariterque ceteris Praesulibus cum clero proximis sollemnibus adf uturis, iisque praecipue, qui de operis molitione quoquo modo meruerint, peramanter in Domino impertimus.

< Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die xxv mensis Maii, feria quinta in Ascensione Domini, anno MDCCCCXXXIH, Pontificatus Nostri duodecimo.

r PIUS PP. **xi**

III

AD R. P. RAPHAELEM M. BALDINI ORDINIS SERVORUM MARIAE PRIOREM GENERALEM, SEPTIMO EXEUNTE SAECULO A CONDITO ORDINE.

PIUS PP. XI

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Septimo abeunte saeculo, ex quo ista Mariae Servorum familia primum auspicato coaluit? iusta profecto laetitia omnes tecum sodales afficiuntur et saecularia solemnia apparare studiose naviterque intendunt. Bevocantibus enim vobis mirifica Ordinis exordia praeclarumque ei commissum munus, ac gloriosos tam diuturni aevi revolventibus fastos, permultae exstant de rebus gestis causae laetandi et spe etiam uberiore futura prospiciendi. Prima equidem origo soda«< litatis vestrae a magna Dei Genetrice est repetenda^ etiius nutu sancti septem Conditores in unum convenerunt, cuius gratia parva oriens societas laetam fructuum ubertatem, ut prodigiali^ illa vinea in Senario monte, ab incunabulis portendit. Ipsa autem Virgo lugubrem vestem ad memoriam materni sui luctus primis sodalibus indüi praecepit; ipsa S. Augustini regulas eis vos luit servandas, et nomen « Mariae Servorum », quod iam ex ore infantium et lactentium — mirabile auditu! — prodierat, benigne confirmavit. Hinc peculiarem vobis exstitit propositum persequendum, per cultum Mariae Virginis perdolentis animarum quaestus quam maximos facere^ Quis autem dicere potest quantam habeat vim et efficacitatem ad virtutes in populo fovendas pia Christi patientis meditatio ac maerentissimae Matris memoria et commentatio? Cui quidem praecellenti vocationi Mariae Servi mirifice responderunt. Ecce enim primi nobiles illi Ordinis conditores, qui, ceu mia cantia sidera, sanctitatis fulgore coruscant, et Philippus Benitius aliique non pauci, quibus caelestes honores ab Ecclesia decreti sunt. Deinde permulti numerantur sodales, qui vel infidehum regiones excelentes, vel adversus haereses pro veritate strenue decertantes, vel totius Ecclesiae Conciliis operam studiumque navantes, vel denique populis peste infectis, spreto mortis periculo, auxiliantes, de Ecclesia simul et civili consortione optime meriti sunt. Neque profecto defuerunt, qui liberalibus artibus addicti aut scientiis litterisque exornati, tum libris scriptis, tum cathedris clarueríntj quos inter recentiores memorare Nobis placet dilectum filium Nostrum Car» dinalem Alexium H. Lépicier, tum religiosae familiae, tum Sacri Purpura» torum Patrum Collegii, tum Ecclesiae ipsius ornamentum.

Nec viri tantum mirae huic vocationi responderunt, sed et mulieres, sive quae in claustris precibus ac contemplationi incumbunt, sive quae actuosae vitae se devoventes in omnibus christianae caritatis operibus sese exercent,

iuventam praesertim in scholis emettendo, infirmis ministrando^ infidelium conversioni operam praestando.

Quod si praesentem consociationis vestrae statum intuemur et Collegia praesertim novissime condita respicimus, inter quae splendidum istud in Urbe eminet ad Ianiculum montem, ubi tot Ecclesiae et Ordinis spes educantur ac foventur, optima Nobis, sicut vobis, praebetur causa fore confidendi, ut novi alumni maiorum gesta ac laudes aemulentur ac nobilissima vocatione sua digniores in dies efficiantur. Merito igitur proximum saecularem eventum magna animorum delectatione et iucunditate celebrare contenditis; quam quidem celebrationem Ipsi Nos in primis participamus, quibus plane est cognita constans fides et observantia vestra erga Apostolicam hanc Sedem pro qua maiores vestri minime dubitarunt, ubi se obtulit occasio, pulchram etiam occumbere mortem.

Nec quasi fortuito, sed benigno Dei numine propediem fiet, ut septies saecularis memoria a prima Ordinis institutione in medium incidat Iubilarem annum quo et peracta humani generis redemptio et Maria Yirgo, sub cruce Nati, omnium hominum Mater constituta pie solemniterque recolitur. Quam bonis igitur auspiciis, quantaque opportunitate ortus vestri celebratio proximo Augusto mense ordietur, die ipso quo Beata Martyrum Eegina « exaltata est super chorus angelorum ad caelestia regna »! Eo sane die, sacrae exuviae Septem Ordinis Patriarcharum magna pompa ac sodalium frequentia agnoscentur et in novam transferentur celiami quam in ipso Senario monte, familiae vestrae incunabulis, affabre aedificandam curatis. Illuc ergo Servi Mariae universi respiciant, illuc intueantur, ubi primo eorum familia exorta est, ubi Patrum cineres et ossa quies eunt; exinde novas sumant vires, ut exemplo et verbo, ut precibus et scriptis, ut piis sacrisque exercitationibus cultum et honorem Dominae suae alendo fovendoque, et ipsi ad vitae perfectionem excitentur, et fideles curis eorum demandati salutares Redemptionis fructus affatim percipiant. Hisce votis optatisque paternis saecularia sollemnia vestra prosequentes, dum vobis vehementer gratulamur, cuncta prospera ac secunda a Deo clementissimo ominamur.

Quarum interea caelestium gratiarum conciliatrix et peculiaris dilectionis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili, cunctisque Ordinis, cui praees, sodalibus, necnon monialibus, sororibus, ac Tertii Ordinis confratribus, omnibusque fidelibus, qui sollemnibus intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die xvi mensis Iulii, in Commemoratione B. M. V. de monte Carmelo, anno **MDCCCCXxxra,** Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. GOMREGATIONÜM

SACRA CONGREGATIO CONCILE

PRINCIPIS ALBERTEN, ET SASKATOONEN.

MISSAE PEO POPULO

Die 5 Martii 1932 ^

SPECIES FACTI. - In dioecesi Principis Alberten, et Saskatoonen., in regione Canadensi, huic Sacrae Congregationi ab Episcopo relatum est plures esse paroecias *de facto,* seu absque erectionis canonicae decreto, anteactis temporibus constitutas, quarum reditus voluntatis fidelium oblationibus, in Synodo dioecesana praefinitis, constant. Exinde dubium exortum est, utrum earum rectores, uti vere parochi, obligatione teneantur Missam applicandi pro populo.

Eadem quaestio fit de vicariis perpetuis, quorum ecclesiae, quamvis in paroecias nondum sint erectae, proprium tamen habent seiunctum territorium, atque a paroecia matrici omnino sunt separatae atque independentes.

AD IUS QUOD SPECTAT. - Paroeciae de quibus agitur, ideo dicuntur canonice non erectae, quia defuit formale erectionis canonicae decretum, earumque circumscriptio *de facto* tantum constituta reperitur.

Iamvero, ut aliqua paroecia, arguit Episcopus, in ecclesia constituatur, opus est, ex praescripto canonis 687 Codicis I. C, hoc erectionis decreto quo et personam iuridicam acquirat, et eiusdem populus et fines describantur (can. 1418), qui nulli praescriptioni unquam sunt obnoxii (can. 1509, 4). Quapropter, hoc inexistente, non videntur huiusmodi ecclesiarum rectores ex iustitia teneri ad Missam applicandam pro populo, cui obligationi subsunt ii tantummodo qui vere sunt parochi, ut statuitur in can. 475 § 2, et 476 § 6. Nec iuvat in casu morem vel consuetudinem inductam memorare, quae, attenta recenti dioecesis constitutione, ob brevis temporis lapsum, legitima esse nequit.

Attamen, etsi paroecia ordinario erigatur et erigenda sit per formale erectionis decretum, ad validam tamen eiusdem erectionem hoc decretum necessarium esse non videtur. Neque ius vetus, neque ius quo utimur, nempe Codicis, ad validitatem erectionis hoc postulat, et compertum est nullitatem cuiuslibet actus esse odiosam, eamque non praesumi, sed perspicue probandam (can. 11, 1680 § 1).

Canonica enim paroeciarum constitutio, ut patet ex litteris S. C. Concilii diei 18 martii 1881 *(Collectanea 8. C. de Prop. Fide,* II, n. 1548) non desumitur tantum ex formali erectionis decreto, sed colligitur et probatur quoque ex pluribus elementis, quibus paroecia ipsa de facto coalescit, nimirum ex certo territorio certis hmitibus circumscripto, ex coetu fidelium, ex rectore seu parocho animarum curam gerente, et tandem ex Episcopi auctoritate, hanc iuridicam condicionem servante et probante, uti est in Ferraris *(Bibl. can., v. parochia,* n. 10 ss.), qui docet : « Primo igitur requiritur ut auctoritate Papae vel Episcopi sit erecta...; erecta tamen praesumitur auctoritate Papae vel Episcopi *ex lapsu temporis,* quo rector ecclesiae publice divina officia peregit, Sacramenta administravit, ac reliqua parochialia praestitit et recepit ». Quapropter, si huiusmodi paroeciae ante Codicem certo habebantur ut canonice erectae, proindeque tamquam personae morales, haec iuridica condicio non immutata est iure per Codicem inducto, tum quia lex respicit futura, non praeterita (can. 10), tum quia iura aliis quaesita Codex minime sustulit (can. 4), tum demum quia persona moralis natura sua est perpetua (can. 102 § 1).

Nec contra hanc doctrinam, huc usque traditam, aliquid colligitur ex memoratis canonibus 687 et 1418 Codicis I. C, atque ex decreto S. Congr. Consistorialis diei 1 augusti 1919 *(Acta A. ß.,* XI, p. 346). Equidem; can. 687 agit unice de piis fidelium associationibus, quarum aliae possunt esse in personam moralem constitutae, aliae ab ecclesiastica auctoritate approbatae vel commendatae. Nec semper ex iure Codicis, et necessario, requiritur decretum formale ad personam moralem, sive collegialem, sive non collegialem, constituendam, cum in can. 100 § .1, *ex ipso iuris praescripto* hanc aliquando consequi posse expresse statuatur.

Quare duplex modus seu causa personalitatis iuridicae: decretum formale, et iuris praescriptum seu lex. Quando personalitas oritur *ex lege,* interdum expressis verbis memoratur, interdum nonnisi *indirecte* est colligenda, nimirum ex eo quod institutum sive consociatio, quocumque nomine vocetur, capax iuris edicitur (cfr. can. 324, 53.1, etc.).

Canon 1418 loquitur de instrumento constitutionis beneficii, quod, proprie loquendo idem non est ac decretum formale erectionis, quodque requiritur quidem *ex praecepto,* non tamen ad *valorem* constitutionis ipsius

beneficii. Idemque tenendum est de memorato decreto Sacrae Congregationis Consistorialis diei 1 Augusti 1919.

Haec omnia confirmantur in casu litteris quibus huiusmodi rectores ad curam animarum gerendam instituuntur et deputantur, in quibus sermo fit de paroecia; de iuribus seu facultatibus, rectoribus paroeciarum iure communi concessis; de professione fidei quam emittere tenentur parochi ex praescripto can. 1406 § 1 n. 7; de territorio demum circumscripto, peculiari uniuscuiusque rectoris curae commisso. Quae uni paroeciae canonice erectae applicantur; erectio proinde paroeciae habetur ex auctoritate, seu ex decreto Ordinarii,

Quod vicarias perpetuas tandem spectat, hoc unum est videndum, num earundem rectores plena potestate paroeciali, necne, sint praediti. Cum enim iura et officia vicariorum paroecialium desumantur plerumque ex litteris deputationis, ex statutis dioecesanis, et ex ipsius parochi commissione (can. 474-476), si hac plena potestate ii potiuntur, parochis revera aequiparantur ad normam can. 451 § 2 n. 2. Nihil proinde dubii est quominus et oneri Missam applicandi pro populo teneantur.

RESOLUTIO. — His omnibus perpensis, in plenariis comitiis huius Sacrae Congregationis, die 5 Martii 1932 habitis, proposita sunt haec dubia solvenda:

I. *An parochi teneantur ad Missam pro populo applicandam, in casui.*

II. *An vicarii perpetui eadem obligatione teneantur, in casu.*

Et Emi Patres responderunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II, *Affirmative, si plena potestate paroeciali sint praediti.*

Pacta autem de hisce Ssmo Dno Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per subscriptum huius Sacrae Congregationis Secretarium in Audientia diei 20 Martii 1932, Sanctitas Sua has resolutiones approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUM

T
JL

TATJEINEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI DOMINICI SAVIO ADOLESCENTIS LAICI.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus, Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Frudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu Jieroieo in casu et ad effectum de quo agitur.

Quum animo obversantur suavissimi adolescentuli Dominici Savio lineamenta virtutum, illud sponte occurrit quod, Deo inspirante, dicitur in libro Sapientiae (á, 13): *Consummatus in brevi, explevit tempora multa.* Vix trilustris enim adolescens, divina praeveniente gratia, ea floruit, inter varia pericula, nitidissima morum innocentia, fervida pietate atque studiosissima in proximum caritate, ut merito in eo singulare sanctitatis in tenera aetate agnoscas exemplum.

Quod divinitus ideo factum videtur, ut praecellens opera, quam Beatus Ioannes Bosco ad informandam christianis moribus iuventutem, per se suosque sodales Societatis Salesianae, tanto zelo et tam mirifico successu hac nostra aetate.suscepit, veluti quodam divinae benevolentiae testimonio confirmaretur.

Dominicus in pago vulgo dicto *Riva di Chieri,* in subalpinis, die 2 Aprilis mensis anno 1842 ortum duxit, eademque die baptismali lavacro Deo regenerata est. Parentes habuit Carolum et Birgittam Gajato, christianis moribus spectatissimos, sed tenui admodum fortuna et victum manuum labore sibi comparantes. Mitissima indole puer vividoque praeditus ingenio, iam inde a tenella aetate ea pietate ferebatur in Deum, ut perraro eo tempore exemplo, prudentissimus Sacerdos eum dignum censuerit, qui vix septennis ad sacram synaxim admitteretur. Caelesti pane refectus, angelicus puer aetate crescebat et gratia, magistris aeque ac discipulis carus, omnibusque morum comitate et candore amabilis. Sed provido consilio iam Deus para-

verat, ut tam lectus pietatis flosculus latius bonum Christi efflaret odorem inter ephebos, quos magnanima caritate Beatus Ioannes Bosco in *Oratorio,* quod dicitur, ab eo Augustae Taurinorum condito, coUigebat, unde, veluti e fecunda scaturigine, per totum orbem tam provida pro spirituali iuventutis salute institutio dimana vit.

Insignis ille educator benignissime, pro suo more, Dominicum nostrum, ingenue ei aperientem vividum, quo tenebatur, adipiscendae sanctitatis desiderium excepit, intuens quam pretiosum virtutis thesaurum Deus sibi committeret. In hac nova christianae educationis palaestra, in quam Dominicus mense Octobri anno 1854 primum ingressus est, omnes in eo perfecti alumni illuxere virtutes, ut enascenti Salesiano *Oratorio* mirabile quoddam accederet exemplum atque ornamentum. Disciplinae observantissimus atque litterarum studio magno cum profectu intentus, ea renidebat morum innocentia, ut qui maxime frequentes cum eo quotidianae vitae consuetudine conversabantur, nihil in quo vel leviter ille offendisset deprehenderint. Animi puritatem vultu, eloquio, incessu veluti spirare angelicus iuvenis videbatur. Ea vero caritate in proximum ferebatur, ut in tenero adolescente vix crederes. Sodalibus praesto in omnibus erat: maestos solari, devios fraterne corrigere, negligentiores ad sacramenta excipienda suaviter adducere, molestos patienter ferre, dissidentes inter se componere consuetum habuit: idque ea felici industria ac benignitate peragere satagebat, ut facile coniieeres quo pientissimus puer ferveret zelo, quove anhelitu, **ut** Beato Bosco patefecerat, sacerdotali muneri ohm explendo aspiraret. Quas excellentissimas virtutes iugi corporis mortificatione tuebatur atque oratione alebat. Praeter alias, quibus tenue corpusculum affiictabat, paenitentias, saepius ab obsonio sibi obveniente abstinebat, ut illu4 sodalibus amice praeberet, contentus ipse panis vel casei, aliorumque simihum fragments, quae forte in mensa dispersa aut humi collegisset: quod quidem paupertatis aeque ac mortificationis studio peragebat. Pientissimi eius animi fervor potissimum erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum ferebatur atque in Beatam Mariam Virginem. Angelico pani inhiabat, eique praeter communem eo tempore consuetudinem, quotidiana communione refici datum est. Diu coram Ssmo Sacramento, nisi revocaretur, orationem protrahebat ita collecto animo atque oris adspectu, ut dilectum discipulum diceres in coena supra pectus Domini recumbentem. Dulcissimam matrem Mariam suavi animi colebat affectu, Eique se totum una cum nonnullis aliis pientissimi^ Salesiani *Oratorii* alumnis die 8 Decembris mensis anno 1854, vovit, quo ipso die a Summo Pontifice Pio IX sa. me. Immaculatae Conceptionis B. M. V. dogma soUemniter proclamatum est. Ac revera niveum animi candorem ac caelestem quandam sanctitatis lucem ab Ea

referre purissimos iuvenis visus est. Quae omnia mirabiliora videntur consideranti candidissimum noe sanctitatis liKum non intra religiósi cjaustri septa, veluti in horto concluso, floruisse; séd in frequentissima adolescentium multitudine, quorum siqüi virtute lectissimi, plures tamen ex urbana plebecula, rudes adhuc animo moribusque, collecti: hunc vero perfectionis apicem ea iam pubescente aetate D orni n i cum nostrum attigisse, quae quanto solet esse morali robore infirmior, eo magis enascentium passionum motibus obnoxia.

Sed quum iam terris suavem sanctitatis suae fragrantiam diffüdisset, caelo inseri pius adolescens properabat. Morbo tentatus, medicorum consilio domui paternae, tunc Mondonii in oppido, restitutus est. Ingravescente, praeter exspectationem, morbo, sacramentis Ecclesiae refectus paucos post dies placidissimo exitu innocentem animam Deo reddidit. Emortualis eius dies, quin immo natalis in caelo, fuit nona Martii mensis anno 1857.

Sanctitatis fama, qua vivens fruebatur, post eius mortem mire increvit. Quapropter Ordinaria auctoritate a Cardinali Richelmy sa. me. Archiepiscopo Taurinensi, annis 1.908 et 1909 super ea inquisitiones sunt peractae. Die 11 Februarii mensis anno 1914 Pius X fel. rec. Commissionem introductionis causae sua manu signavit. Apostolica deinde auctoritate Augustae Taurinorum tum inchoativus, tum continuativus confecti sunt processus. Interim sive de scriptis Servi Dei, sive de cultu numquam praestito edita sunt decreta. Anno 1925 iuridicus processuum tum Ordinarii tum Apostolici valor recognitus est. De virtutibus in tribus Congregationibus, Antepraeparatoria, Praeparatoria et Nova Praeparatoria, severe, ut est in more, disceptatum est. Tandem die 27 nuper elapsi mensis coram Ssmo D. N. in Generalibus S. H. C. comitiis Emus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Belator dubium discutiendum proposuit: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum.in Deum, tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Foro titudine, earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi Cardinales, Officiales Praelati et Consultores suam quisque edidere sententiam. Beatissimus Pater intento animo omnium suffragia excepit, Suam tamen aperire mentem in hanc diem distulit, Dominicam quintam post Pentecosten, in cuius Missae Epistola pientissima Dominici vita veluti describitur. *«Omnes unanimes,* dicit B. Petrus, *compatientes, fraternitatis amatares, misericordes, modesti, humiles: non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedieentes* » (1 Petr. 3, 8-9). Perfecte huic divinae normae Dominicus se conformavit. Divina itaque Hostia sancte litata, Emis Cardinalibus Camillo Laurenti S. E. C

Praefecto et Alexandro Verde, Causae Ponente seu Relatore, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, meque infrascripto Secretario accitis pronunciavit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Dominici Savio in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit die 9 Iulii a. D. 1933.

C. Card, LAURENTI, *Praefectus.*

L. £p S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

NEAPOLITANA SEU BISUNTINA

CANONIZATIONIS BEATAE IOANNAE ANTEDAE THOÜEET VIRGINIS FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet post indultam eidem Beatae venerationem in casu et ad effectum de quo agitur.

Nolite timere, ait Augustinus, *contumelias et crucem et mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo, quem suscepit Filius Dei* (De Agone Christ., XI, 12). *Tota* Beatae Ioannae Antidae Thouret *vita,* sicut Christi, *crux fuit et martyrium* (Im. Chr., II, 12,29). Electissimo haec virgo propter Dei gloriam et proximorum salutem, divina caritate flagrans, S. Vincentii a Paulo spiritu permota nulli pepercit industriae, ut animas Christo lucrifaceret, et gallicae seditionis, quae paulo ante exarserat, ruinas per se suasque filias in variis Europae regionibus repararet. Ad quem finem magno labore atque animi robore institutum condidit Sororum, quae dicuntur a Caritate, sub S. Vincentii a Paulo patrocinio. Licet autem humani generis nostis huic tam salutifero operi adversando nullum non moverit lapidem, Ioanna Antida tamen caelesti Sponso innixa et Apostolicae Sedis auctoritate suffulta calumnias, ínsectationes, immo discrimina omnia impavida sprevit, et in his omnibus propter Christum omnigenas difiicultates superavit. Velut

autem gránum frumenti cadens in terram moritur et multum fructum affert, ita ipsa a Deo exaltata fuit, eiusque Institutum mire dilatatum.

Die 24 Augusti mensis anno 1826 Neapoli annos nata sexaginta mensesque novem sanctam obivit mortem.

Tantae Dei Famulae Beatificationis sollemnia, Ssmo D. N. iubente, septem abhinc annis, Sacro Pentecostes recurrente die, celebrata sunt.

Insequenti anno die 5 Iulii Commissionem reassumptionis Causae pro B. Ioannae Antidae Canonizatione Eadem Sanctitas Sua dignata est subsignare.

Super duabus sanationibus, quae veri miraculi notas a Deo per intercessionem B. Ioannae Antidae patrati praeseferre videbantur, Apostolica auctoritate adornati sunt processus, de quorum iuridica vi die 17 Iulii mensis, anno 1929, decretum est. Hoc posito iuridico fundamento, de iisdem sanationibus dissertum est.

Duae Sorores ex Instituto a Beata fundato, eiusdem intercessionis potentiam sunt expertae. Altera sanatio Neapoli evenit, altera in insula Melitae.

Soror Cecilia Pastena otite purulenta chronica in sinistra aure laborabat, quae eousque devenit, ut naturae viribus, insanabilis facta fuerit, nisi forte post longum temporis spatium, assiduisque adhibitis curis, uti medentes edixerunt. Iamvero nocte diem 20 lumi mensis anno 1927 subsequente, Soror Caecilia in instanti perfecte sanata est. Equidem supra naturae leges: uti octo seu curantes medici seu periti ab hac Sacra Congregatione deputati aperte confitentur, quin ceteros testes commemoremus.

Soror Paula Alieri articulan, acuto rheumatismo cum endomyocardite et mitralis valvulae insufficientia afficiebatur. Qui morbus a medicis gravis et insanabilis habitus fuit. At vero soror Paula die 23 Maii mensis anno 1926 in festo Pentecostes, dum beatificationis sollemnia Venerabilis Ioannae Antidae Thouret in Vaticana Basilica peragebantur^ vectorio lecto delata ad oratorium, ubi gratiarum actiones pro Matris glorificatione cunctae Sorores summo gaudio exsultantes Deo referebant, accedit. Tunc Paula de repente sanatam se persentit, surgit a lecto, flexis genibus orat, libero gressu ambulat, cum consodalibus in communi refectorio de iisdem, ac ceterae, cibis vescitur. Perfectam fuisse sanationem, et per miraculum evenisse quatuor a curatione medici, tresque periti ab hac Sacra Congregatione adlecti fatentur. Ceterum miraculi character in hac sanatione Sorores ipsas, quae Paulae, decurrente morbo, curas in nosocomio pro suo munere praestiterant, perculerat.

De his itaque sanationibus in Antepraeparatoriis Sacrae Eituum Congregationis Comitiis coram Emo Cardinali Ianuario Granito Pignatelli di

Belmonte, Episcopo Ostien., et Albanen. Causae Ponente seu Relatore, die 26 Ianuarii mensis elapso anno habitis disceptatum est. Praeparatoria Congregatio apud Vaticanas aedes die 30 Maii mensis hoc anno: Generalis demum coram Ssmo D. IST. Pio Papa XI diei mensis huius est coacta, in qua idem Rmus Cardinalis Granito Pignatelli di Belmonte, Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit discutiendum: *An et de quibus miraculis constet post indultam eidem Beatae venerationem in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati et PP. Consultores suas Pontifici aperuere sententias, quas Ipse attente excepit; suum tamen de more iudicium proferre distulit; ut maius a Deo lumen exquireret.

Haec vero dies, Dominica IX post Pentecosten, 6 Augusti,-Transfigura * tionis Christi mysterio recolendo sacra, opportune sane a Ssmo D.N. est selecta, qua decretum hoc promulgetur. Sicut enim in Transfiguration^ secunda vice apertum est caelum, et D. N. Iesu Christi gloria manifestata est, Deo Patre intonante: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite* (Matth. 17, 5), ita nunc per hoc decretum, per totius christiani populi Patris vocem, altera amplior B. Ioannae Antidaë glorificatio properans praeannuntiatur, eiusdemque Beatae virtutes et intercessionis potentia commendantur.

Ad se itaque Beatissimus Pater Rmos Cardinales Camillum Laurentii S. R. C. Praefectum, et Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Ostien. et Albanen., Causae Ponentem seu Relatorem, necnon R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium arcessiri iussit, et sacrosancto Eucharistico Sacrificio devotissime litato, pronuntiavit: *Constare de duobus miraculis, Beata Ioanna Antida Thouret intercedente, a Beo patratis:* scilicet: *de instantánea perfectaque sana* tione tum Sororis Caeciliae Pastena ab otite purulenta chronica in aüresinistra: tum Sororis P aulae Alieri a rheumatismo articular i acuto cum endomyocardite et insufficientia valvulae mitralis.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. R. C. referri manda-» vit. Die 6 Augusti anno Domini 1933.

C. Card. LATJRENTI, *Praefectus.*

L. £8 S.

A. Carinci, *Secretarius),*

SACRA;CONößEGATIO DE SEffiMMS
ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

DECRETUM

CANONICE ERIGITUR ROMAE PENES PONT. ATHENAEUM URBANIANUM INSTITUTUM MISSIONALE SCIENTIFICUM CUM IURE GRADUS CONFERENDI.

Ut sacrorum alumni, quos Dominus ad Evangelium inter Gentes praedicandum advocet, in omnibus disciplinis, tum sacris cum profanis, quae Missionariis opus sint, erudiantur, Emus D. Cardinalis Praefectus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide suppliciter postulavit ut Institutum Missionale Scientificum, penes Pontificium Athenaeum Urbanianum nuperrime conditum, canonica erectione rite donaretur, facta eidem in perpetuum potestate gradus academicos conferendi. Summus Pontifex Pius Pp. XI feliciter regnans, referente infrascripto Cardinali Sacrae huius Congregationis Praefecto, petitionem benevolenti animo excepit eidemque satisfieri iussit.

Quapropter haec Sacra Congregatio praesenti decreto Institutum Missionale Scientificum apud Pontificium Athenaeum Urbanianum canonice erigit atque erectum declarat cum iure gradus academicos conferendi secundum Statuta ab hoc Sacro Dicasterio approbata. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

' Datum Eomae, ex Aedibus Sancti Callisti, die I[a] Septembris 1933.

C. Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. SB S.

E» Eumni, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

I

DE CLAUSULIS « VISITANDI ECCLESIAM VEL ORATORIUM » ET « PRECANDI AD MENTEM SUMMI PONTIFICIS ».

DECLARATIO

Disputantibus nec in eamdem sententiam convenientibus viris doctis circa sensum ac vim clausularan! «visitandi ecclesiam aut oratorium publicum vel (pro legitime utentibus) semipublicum » et « precandi ad mentem Summi Pontificis », quae indulgentiarum concessionibus non raro addi solent, Ssmus D. N. Pius divina Providentia PP. XI, ad instantiam infra scripti Cardinalis Paenitentiarii Maioris, in audientiis* die 16 Iunii ac die 8 Iulii c. a. eidem impertitis, ad omnem in posterum dubietatem anxietatemque auferendam benigne declarare dignatus est, per visitationem ecclesiae vel (ut supra) oratorii, intelligi « accessum ad hoc vel ad illam saltem cum intentione quadam generali seu implicita honorandi Deum in se vel in Sanctis suis, aliqua adhibita prece, et quidem prece praescripta, si aliqua imposita fuit ab indulgentiae largitore, vel aliqua qualibet sive orali sive etiam mentali pro cuiusque pietate ac devotione »; clausulae vero « precandi ad mentem Summi Pontificis » plane satisfieri aduciendo ceteris operibus praescriptis recitationem ad eam mentem unius, ut aiunt, *Pater, Ave* et *Gloria,* relicta tamen libertate singulis fidelibus, ad normam can. 934 § 1, quamlibet aliam orationem recitandi iuxta uniuscuiusque pietatem aut devotionem erga Romanum Pontificem.

Datum Romae, ex Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 20 Septembris 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. © S.

I. Teodori, *Secretarius.*

II

INVOCATIO BEATAE MARIAE VIRGINI INDULGENTIIS DITATUR

Ssmus D. *"N.* Pius div. Prov. Pp. XI, in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 21 Iulii c. a. concessa, omnibus christifidelibus benigne largiri dignatus est *indulgentiam partialem trecentorum dierum* toties lucrandam quoties invocationem *Maria, Mater gratiae, Mater misericordiae, Tu nos ab hoste protege et mortis hora suscipe* saltem corde contrito recitaverint et *plenariam* suetis conditionibus semel in mense acquirendam, si quotidie per integrum mensem eamdem recitationem persolverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Bomae, ex Aedibus S. Paenitentiariae, die 25 Septembris 1933.

L. Card. DAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. © S.

I. Teodori, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sabato, 30 Settembre, Sua Santità ha ricevuto in solenne Udienza S. E. il Sig. Dott. OTTO STRANDMAN, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Repubblica di Estonia, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SACRA CONGREGAZIONE DEL CONCILIO

AVVISO

Si rendè noto che le domande di ammissione degli ecclesiastici allo *Studio* della Sacra Congregazione del Concilio, per la pratica giuridica, amministrativa e catechistica, si ricevono nella Segreteria della stessa Sacra Congregazione dal 10 Ottobre al 10 Novembre 1933.

Roma, 15 Settembre 1933.

G. Bruno, *Segretario.*

NECROLOGIO

2	*Marzo*	*1933.*	Monsig. Carlo Reth, Vescovo tit. di Lete.
30	*Agosto*	»	Monsig. Gioacchino Silverio de Sousa, Arciv. di Diamantina.
»	»	»	Monsig. Giovanni Dunn, Vescovo tit. di Camuliana.
1	*Settembre*	»	Monsig. Cristiano Schreiber, Vescovo di Berlino.
6	»	»	Monsig. Giovanni B. Ressia, Vescovo tit. di Elenopoli.
7	»	»	Monsig. Zaccaria Martínez Nuñez, Arcivescovo di San Giacomo di Compostella.
11	»	»	Monsig. Giovanni Pulvirenti, Vescovo di Cefalo.
16	»	»	Emo Sig. Card. RAFFAELE SCAPINELLI DI LÉGUIGNO, del titolo di S. Girolamo degli Schiavoni, Datario di Sua Santità.

Annus XXV - Vol. XXV 3 Novembris 1933 Num. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. xi

SACRUM CONSISTORIUM

i

CONSISTOBIUM SECEETTJM

Feria secunda, die xvi Octobris anno MDCCCCXXXIII, in Palatio Apostolico Vaticano fuit *Consistorium secretum,* cuius acta ex ordine referuntur:

I. - CAMERARIATUS SACRI COLLEGII

Ssmus Dominus Noster Perulam Sacri Collegii S. E. E. Cardinalium, quam habebat cl. me. Bonaventura Card. Cerretti dum viveret, tradidit Eevmo Cardinali Achilli Locatelli pro hoc anno ipsius Sacri Collegii S. E. E. Cardinalium Camerario.

Deinde haec fuit

II. - ALLOCUTIO SSMI DOMINI NOSTRI

YENEEABILES EEATBES

Auspicato, Venerabiles Fratres, imo felicissime et temporis adiunctis omnino congruenter accidit, ut in tali temporis momento coetum hunc Consistorialem celebremus.

Convenimus enim ex una parte medium iter in suo cursu habente boc Anno Sancto extraordinario, quem totus Nobiscum mundus Annum Sanctum Eedemptionis appellat, quippe quem

indixerimus in memoriam Redemptionis humanae a Iesu Christo Domino et Servatore nostro ante "undeviginti saecula peractae: est autem Redemptio omnium supernaturalium thesaurorum, nominatim vero omnis sanctitatis, radix et fons. Ex alia autem parte convenimus ut de sanctitate et de Sanctis tractemus. Agitur enim de sollemni canonizatione Beatae Mariae Bernardae Soubirous, seu virginis illius fortunatissimae, cui Beata Virgo Maria benignissime arrisit in specu Lapurdensi, peregrinationum et miraculorum absque numero theatro mox futuro; necnon Beatae Ioannae Antidae Thouret, pariter virginis, et fundatricis Instituti Sororum a Caritate.

Quamvis autem de utraque causa Sacrorum Rituum Congregatio, pro munere suo, et rigoroso ut in eiusmodi assolet examine, et diligentissimis discussionibus, etiam in plenariis coram Nobis conventibus habitis, sententiam suam pronunciaverit, placuit tamen suffragia vestra de more exquirere et habere. Quorum suffragiorum mox ferendorum intuitu, placet Nobis ut dilectissimus Nobis Cardinalis Camillus Laurenti, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, compendiosa narratione referat tum vitam, virtutes et miracula Beatarum virginum, quas supra laudavimus, tum acta universa quae in earundem causis Beatificationis et Canonizationis Sacrorum Rituum Congregatio, servatis de iure servandis, admisit et approbavit.

m.-RELATIO CAUSAE EE. MARIAE BERNARDAE SOUBIROUS ET IOANNAE ANTIDAE THOURET

Ad haec Revmus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationis Praefectus, Ssmi iussa faciens, sermonem habuit de causa Beatae Mariae Bernardae Soubirous, virginis, quo expleto Ssmus Revmorum Patrum Cardinalium suffragia hisce verbis exquisivit:

Audistis, Venerabiles Fratres, et in perspicua recensione Eminentissimi oratoris paene vidistis quae et quanta suadeant ut ad sollemnem Canonizationem Beatae Mariae Bernardae Soubirous procedatur: quid vobis videtur?

Tum singuli Patres sententiam suam aperuerunt. Hisce feliciter expletis item Revmus Cardinalis Camillus Laurenti, de causa Beatae Ioannae Antidae Thouret, virginis, compendiose diserteque retulit. Tum Ssmus:

En processit coram vobis, veluti rediviva ad vocem Eminentissimi oratoris sui, imago illa splendida sanctae fortitudinis quae fuit virgo Ioanna Antida Tbouret: an placet ut ad eius item sollemnem Canonizationem procedamus ?

Similiter itaque Revmi Patres quid ea de re sentirent singillatim declaraverunt. Horumque suffragia Beatissimus Pater his excepit:

Pergratum perque iucundum Nobis est vota vestra, "Venerabiles Fratres, votis Nostris in utramque nobilissimam causam conformia comperisse. Iam restat ut ad creationem Episcoporum procedamus.

IV. - OPTIO ECCLESIAE

Tum Revmus Cardinalis Henricus Gasparri, dimisso titulo Sancti Bartholomaei in Insula, optavit Ecclesiam suburbicariam Veliternam. Quo ex aula egresso Beatissimus Pater, panditam optionem benigno favore prosequi intendens, providit Ecclesiae Veliternae de Revmo Henrico S. R. E. Card. Gasparri, eum praeficiens in Episcopum et Pastorem, prout in decreto expediendo.

V. - PROVISIO ECCLESIARUM

In aulam Consistorialem iterum ingressus Revmus Cardinalis Henricus Gasparri, locum suum petiit postremum inter Cardinales ordinis episcopalis. Dein Ssmus sacrorum Antistites per Apostolicas sub plumbo Litteras iam Ecclesiis datos renunciavit ut infra:

ARCHIEPISCOPOS:

Laodicensem in Phrygia, Hamletum Ioannem Cicognani, Delegatum Apostolicum in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus.

Toletanum, Isidorum Gomà y Tomas, iam Episcopum Tirasonensem.

Syracusanum, Hectorem Baranzini.

Larissensem, Dominicum Spolverini.

Oxyrinchitanum, Ioannem Evangelistam de Lima Vidal, iam Archiepiscopum-Episcopum Villaregalensem.

Brysiensem, Henricum Streicher, iam Episcopum Thabracensem.

Sanctae Fidei in America Septemtrionali, Rodulphum Gerken, iam Episcopum de Amarillo.

Ratiarensem, Andream Killian, iam Episcopum Portaugustanum, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Roberti Gulielmi Spence, Archiepiscopi Adelaidensis.

Cypselensem, Raymundum Prendiville, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Patricii Iosephi Clune, Archiepiscopi Perthensis.

Arcadiopolitanum, Aemilium Telle, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Arcturi Beliveau, Archiepiscopi Sancti Bonifacii.

Barensem, Marcellum Mimmi, iam Episcopum Cremensem.

Proconnesium, Basilium Cattan, iam Archiepiscopum Berytensem et Gibailensem Melchitarum.

Phasianum, Iacobum Leen, Episcopum Portus Ludovici.

Mardensem Armenorum, Aloisium Batanian. ^

Aleppensem Armenorum, Gregorium Hindié.

Berytensem et Gibailensem Melchitarum, Maximum Saygh, iam Archiepiscopum Tyrensem Melchitarum.

Quitensem, Carolum Mariam Della Torre, iam Episcopum Guayaçuiilensem.

Docleaensem, Paulum Marella, Delegatum Apostolicum in Iaponia.

Limanum, Petrum Paschalem Franciscum Farfan, iam Episcopum Cuschensem.

EPISCOPOS:

Iluajuapamensem, Ianuarium Méndez y del Rio, iam Episcopum Tehuantepecensem.

Tifernatensem, Mauritium Franciscum Crotti.

Gadicensem et Septensem, Raymundum Perez y Rodríguez, Patriarcham Indiarum Occidentalium.

Halicarnassensem, Leopoldum Lara y Torres, iam Episcopum Tacambarensem.

Syenitanum, Iacobum Antonium Walsh.

Vaterfordiensem et Lismoriensem, Ieremiam Kinane.

Syracusensem, Ioannem Dufty.

Anthedonensem, Edgarium Antonium Haering, primum Vicarium Apostolicum de Shohchow.

Letaeum, Pacificum Titianum Micheloni, Vicarium Apóstol. Arabiae.

Tulanensem, Iosephum Bonhomme, Vicarium Apostolicum Basutolandensem.

Nobensem, Iosephum Trudel, Vicarium Apostolicum Taborensem.

Urusitanum, Gunelmum Thomam Porter, Vicarium Apostolicum **a** Litore Aureo.

Arcensem, Henricum Leven, Vicarium Apostolicum Insularum Sundae minorum.

Bonustensem, Martinum Lajeunesse, Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Ovidii Charlebois, Vicarii Apostolici de Keewatin.

Montereyensem Fresnensem, Philippum Scher.

Corumbensem, Vincentium Priante.

Thinisensem, Venantium Franciscum Filippini, Vicarium Apostolicum de Mogadiscio.

Amaihusium, Georgium de Jonghe d'Ardoye, Vicarium Apostolicum de Yiinnanfu.

Medelitanum, Iosephum Lörks, Vicarium Ap. Novae Guineae Centralis.

Hephaestiensem, Ioannem Capobianco, Auxiliarem B. P. D. Petri Pacifici, Archiepiscopi Spoletani.

Tavianum, Carolum Niemira, Auxiliarem E. P. D. Petri Casinari Bukraba, Episcopi Pinskensis.

Villaregalensem, Antonium Valentem de Fonseca, iam Episcopum titularem Ceramensem.

Ceramensem, Ernestum Aloisium Joie, Coadiutorem cum iure futurae successionis E. P. D. Aloisii Iustini Gumy, Episcopi Portus Victoriae.

Aelaniticum, Aloisium Hudal.

de Quer etaro, Marcianum Tinajero.

Sareptenum, Franciscum Auvity, Auxiliarem E. P. D. Martini Hieronymi Izart, Archiepiscopi Bituricensis.

Cucusenum, Sergium Der Abraamian,

Northantoniensem, Laurentium Youens.

Helenensem, Eaphaelem Hayes.

de Bacolod, nuper erecta dioecesi, Casimirum Lladoc.

Thabracensem, Augustum Cogneau, Auxiliarem E. P. D. Adulphi Ivonis Mariae Duparc, Episcopi Corisopitensis.

Myndiensem, Antonium Giordani.

Lavantimim, Ioannem Iosephum Tomazic, iam Episcopum titularem Bargalensem.

Seattlensem, Gerardum Shaughnessy.

Manizalensem, Ioannem Emmanuelem Gonzalez.

Bargalensem, Gregorium Brandsma, Vicarium Apostolicum de Kisumu.

Saneti Iosephi in America, Carolum Hubertum Le Blond.

Isbitanum, Andream Eohracher, Auxiliarem E. P. D. Adami Hefter, Episcopi Gurcensis.

Orisenum, Benedictum Paulum Alves de Souza, iam Episcopum dioecesis Spiritus Sancti.

Alexandrinum Armenorum, Iacobum ÎNTessimian, iam Archiepiscopum Mardensem, servato titulo Archiepiscopi ad personam.

Massanum et Populoniensem, Eaustinum Baldini.

Tudertinum, Alfonsum Mariam De Sanctis, iam Episcopum Signinum.

Fluminensem, Antonium Santin.

Modrenum, Iacobum Hugonem Ryan.

Boffensem in America, Eduardum Mooney, iam Archiepiscopum Irenopolitanum in Isauria, servato ad personam titulo Archiepiscopi.

Celsonensem, Valentinum Cornelias y Santamaria, iam Episcopum titularem Amathusium in Palaestina.

Monasteriensem, Clementem von Galen.

TeTiuantepecensem, Iesum Villareal.

Sitensem, Christianum Winkelmann, Auxiliarem R, P. D. Ioannis Glennon, Archiepiscopi Sancti Ludovici.

PJiocaeensem, Eugenium Baziak, Auxiliarem R. P. D. Boleslai Twardowski, Archiepiscopi Leopoliensis Latinorum.

Cremensem, Franciscum Franco, iam Episcopum Octeriensem.

Mazariensem, Salvatorem Ballo Guercio, iam Episcopum Oëensem et Praelatum *nullius* Sanctae Luciae.

Montis Politiam, Aemilium Giorgi.

VI. - CONFIRMATIONIS

Insuper Ssmus confirmare se dixit ratasque habere electiones, canonice factas in Synodo Episcoporum Syrorum, R. D. Georgii Steté ad Ecclesiam archiepiscopalem Damascenam Syrorum, et R. D. Hanna Hebbé in Auxiliarem, titulo episcopali TJrimensi condecoratum, R. P. D. Ignatii Gabrielis Tappouni Patriarchae Antiocheni Syrorum.

Item ratam habuit electionem, canonice factam in Synodo Episcoporum Maronitarum, R. D. Antonii Abd ad Ecclesiam archiepiscopalem Tripolitanam Maronitarum.

VTI. - PRAESTATIO IURAMENTI ET POSTULATIO PALLIORUM

Tum Revmus Cardinalis Henricus Gasparri, Episcopus Veliternus, ad solium accedens, iuramentum in manibus Beatissimi Patris praestitit.

Postea vero peracta est postulatio Palliorum Ecclesiarum metropolitanarum Toletanae, Syracusanae, Sanctae Fidei, Barensis, Quitensis et Limanae.

II

CONSISTORIUM PUBLICUM

Feria V, die 19 Octobris, in Aula supra Porticum Basilicae Vaticanae fuit Consistorium publicum pro Canonizatione Beatarum Mariae Bernardae Soubirous, virginis, ex Instituto Sororum a Caritate et Instructione Christiana Nivernen., et Ioannae Antidae Thouret, virginis, Fundatricis Instituti Sororum a Caritate. Praestita itaque de more a Revmis DD. Cardinalibus Summo Pontifici obedientia, Illmi Domini Ioannes Guasco et Vincentius Sacconi Sacrae Aulae Consistorialis Advocati, relatis breviter vita et miraculis respective Beatae Mariae Bernardae Soubirous, et Beatae Ioannae Antidae Thouret, pro earumdem Canonizatione instituerunt.

Et R. P. D. Antonius B acci, Apostolicarum litterarum ad Principes Secretarius, stans a sinistro latere Pontificii Solii, cappa indutus, DD. Advocatis in genua provolutis, Sanctitatis Suae nomine, his verbis respondit:

« Perhonorifico munere fungor ad orationes vestras respondendi Augustum Pontificem avere vehementer Beatas Virgines Mariam Bernardam Soubirous atque Ioannam Antidam Thouret, quarum vos causam diserte, ut soletis, perorando dixistis, in sanctarum caelitum numerum referre.

« Altera enim, ob suavissimi animi sui candorem, digna profecto visa est, cui Immaculata Deipara Virgo ad Lapurdensem specum se conficiendam dederit; ac dein, in Nivernensem Sororum a caritate et a christiana institutione Congregationem cooptata, regularis vitae disciplina ceterisque virtutibus ita excelluit, ut omnibus exemplo admirationique esset. Altera vero, ob quamdam virilis ingenii sui fortitudinem, catholicae fidei caritatisque robore adauctam, difficillimis temporibus — desaeviente nempe ubique per Galliam religiosarum civiliumque rerum perturbatione — non modo Ecclesiae hostibus christiano pectore obstitit, sed condito etiam sanctimonialium instituto, ad tot fiagitia expianda, ad tot detrimentis malorumque periculis medendum et ad feliciora reducenda tempora omni ope allaboravit.

« Accedit quod nihil antiquius habet Beatissimus Pater, quam ut, undevicesimo revoluto saeculo a divina peracta Eedemptione, videant omnes a,nimoque perpendant pulcherrimos sanctitatis flores, pretioso Iesu Christi •cruore irroratos et altos, in Catholica Ecclesia defuisse numquam, numquam deesse.

«Attamen, ut omnia, gravissima hac in causa, de more serventur, pontificalem sententiam suam, falli nesciam, non ante editurus est, quam in pro» ximo Consistorio semipublico omnes, qui aderunt, Purpurati Patres, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi mentem cuiusque suam aperuerint.

« Atque interea nos admonet universos, ut sibimet ipsi a Spiritu Sancto Paraclyto superni luminis copiam impetrare ne desistamus ».

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE DISMEMBRATIONE ALIQUOT PAROECIARUM DIOECESIUM GURCENSIS ET LABACENSIS, EARUMQUE AGGREGATIONE DIOECESIBUS UTINENSI, GORITIENSI ET TERGESTtNAE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo Christi fideles facilius ac expeditius valeant Pastores adire suos, maxime procul dubio interest, ut dioecesium fines, quantum fieri possit, iidem sint ac civilium Statuum limites.

Quum itaque, praefinitis politicis inter Italicum, Iugoslavicum et Austriacum Status finibus, nonnullae Labacensis et Gurcensis dioecesium territorii partes in Regno Italico inclusae fuerint, Nos, attento sollemnis Conventionis inter Sanctam Sedem et Italorum Regnum articulo sextodecimo, auditis venerabilibus fratribus Labacensi et Gurcensi, necnon Utinensi, Goritiensi ac Tergestino Antistitibus, ac omnibus mature perpensis, quas supra diximus territorii partes, ratione potissimum habita civilium provinciarum circumscriptionum, in quibus illae modo exstant, italicis dioecesibus aggregare peropportunum duximus.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine, haec quae sequuntur decernimus atque statuimus.

I. A dioecesi Gurcensi decanatum *Tarcisinum,* a dioecesi vero Labacensi paroeciam *Fusine in Valromana* dismembramus, eaque archidioecesi Utinensi perpetuo adnectimus.

II. Ab eadem dioecesi Labacensi decanatus *Idria* et *Vippaeco* subtrahimus, eosque Goritiensi archidioecesi adiungimus.

III. Tandem deeanatum *Postumia,* cnins territorium ad Labacensem dioecesim hucusque pertinuit, Tergestinae dioecesi assignamus.

Quibus omnibus ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda venerabilem fratrem Franciscum Borgongini-Duca, Archiepiscopum titularem Heracleensem, apud Regnum Italicum Nuntium Apostolicum, deputamus, eique necessarias et opportunas tribuimus facultates tum omnes et singulas dirimendi controversias in exsecutionis actu quomodolibet orituras, tum subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum; eidemque onus imponimus peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar transmittendi ad Sacram Congregationem Consistorialem intra sex menses ab his Litteris datis computandos. Volumus denique ut hae Litterae Nostrae triplici originali exarentur earumque transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Nostris Litteris tribueretur, si exhibitae ipsaemet vel ostensae forent. — Quae autem per hanc Nostram Constitutionem statuimus et decrevimus, ea omnia rata firmaque permanere auctoritate Nostra volumus ac iubemus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. Nemini vero ullo unquam tempore has Litteras Nostras dismembrationis, aggregationis, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere, vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo tertio, die decima mensis Februarii, Pontificatus Nostri anno undecimo.

EUGENIUS Card. PACELLI
a Secretis Status.

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Vincentius Bianchi-Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ^ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XLVI1, n. 14. - **M. Riggi.**

II

URBIS

DE NOVA S. FRANCISCI XAVERII PAROECIAE IN ITIBIS REGIONE VULGO « GARBATEIELA » NUNCUPATA ERECTIONE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod omnes sacrorum Antistites in sua quisque dioecesi curare debent, ut, si magna sit difficultas ad ecclesiam paroecialem accedendi aut nimia sit fidelium multitudo, quorum spirituali bono ad iuris, tramitem subveniri nequeat, paroeciae territorium dismembretur, et nova erigatur paroecia, id a Romano Pontifice pro Almae Urbis christifidelibus, suis peculiaribus curis commissis, potiore quadam solhcitudine est peragendum. Cum itaque Roma Urbs tanta domorum et incolarum frequentia postremis hisce temporibus aucta sit, extra Portam potissimum S. Pauli in via Ostiensi, novam S. Benedicti Abbatis paroeciam iam ab anno millesimo nongentesimo vigesimo sexto Nos constituendam curavimus. Sed, succrescente in regione illa incolarum numero, cum S. Pauli extra moenia paroecia, tantum adhuc pateret, ut ab uno vel diligentissimo Pastore vix regi potuisset, quo melius eius spirituali bono provideretur, ab illa, iam a die sexta Decembris anni millesinii nongentesimi trigesimi, regionis vulgo *Garbateila* nuncupatae territorium seiunximus, in quo novum Deo in honorem S. Francisci Xaverii templum exstrui coeptum est, atque sacerdotibus e- clero saeculari, a Nostro in Urbe Cardinale Vicario specialiter delegatis, animarum cura commissa fuit. Nunc vero, tum praefati S. Francisci Xaverii templi, tum ei continentis paroecialis domus exstructione perfecta, Nos, conlatis cum dilecto filio Nostro Francisco tituli S. Mariae Novae S. R. E. Presbytero Cardinale Marchetti Selvaggiani, Nostro in Urbe Vicario in spiritualibus Generali, consiliis, ad novae in regione illa paroeciae canonicam constitutionem deveniendum censuimus. Quare, obtento vel suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine, quod supra diximus territorium regionis *Garbatella* in novam ac distinctam parochiam, S. Francisci Xaverii nomine nuncupandam, per has Nostras Litteras erigimus et constituimus, eamque presbyteris cleri saecularis committendam volumus. Memoratam autem S. Francisci Xaverii sacram aedem ad noviter sic erectae paroeciae

ecclesiae paroecialis gradum et dignitatem extollimus; eique ac eius pro tempore parochis iura omnia, privilegia ac praerogativas concedimus, quibus ceterae in Urbe paroeciales ecclesiae earumque parochi iure communi vel legitima consuetudine fruuntur; eisque pariter onera omnia et obligationes imponimus,. quibus ceteri Urbis curiones adstringuntur: praecipue vero saltem duos habendi coadiutores, qui in paroecialibus muneribus obeundis validum ipsis praestent adiumentum. Novae autem huius paroeciae dotationem, ad parochi eiusque vices gerentium honestam substentationem, praeter domum parochialem, congruam dotem Nos ipsi assignabimus.

Rebus itaque ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda, quem supra diximus dilectum filium Nostrum in Urbe Cardinalem Vicarium deputamus, cui propterea necessarias et opportunas concedimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur alium virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, cum potestate controversias dirimendi in exsecutionis actu quomodolibet orituras; eique onus imponimus authenticum peractae exsecutionis exemplar redigendi et in Vicariatus tabulario illud asservandi. Volumus quoque ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigilli viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris Nostris tribueretur si originaliter exhibitae, vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ceterisque contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes auctoritate Apostolica derogamus. Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, erectionis, concessionis^ statuti, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Eomae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo tertio, die prima mensis Maii, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Fr. TH. P. Card. BOGGIANI — F. Card. MARCHETTI-SELVAGGIANI
Cancellarius S. B. E. — *Vicarius G-eneralis Sanctitatis Suae.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Vincentius ßianchi-Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco *ï%* **Plumbi**

Reg. in Cane. Ap., vol. XLVII, n. 58. - **G. Stara Tedde.**

EPISTOLAE

I

AD EMUM P. D. SEBASTIANUM TIT. SS. BONIFACII ET ALEXH S. B. E. PRESBYTERUM CARDINALEM LEME DA SILVETRA CINTRA ARCHIEPISCOPUM S. SEBASTIANI FLUMINIS IANUARII, QUEM MITTIT LEGATUM AD CONVENTUM EUCHARISTICUM BBASILIANUM, BAHIAM.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod erat in votis, primum ex amplissima Brasiliana natione Conventum Eucha* risticum, proximo Septembri mense Bahiae celebrandum, in urbe scilicet prima istic a Lusitanis condita et Sancto Salvatori dicata, singulari animi Nostri delectatione intelleximus. Si enim adversae huc usque rerum condiciones sollemnia ista differre potuerunt, minime vero vestrorum animorum ardorem restinxerunt, immo studia erga Sacramentum mirabile magis magisque in dies acuerunt. Mox autem auspicato continget, ut tamdiu optata Congressio Eucharistica anno hoc iubilari perficiatur, undevicesimo exeunte saeculo a sacrosanctae Eucharistiae institutione ac peracta humani generis Eedemptione. Magna equidem opportunitate dilecta ista terra Sanctae Cruci dicata in memoriam suorum civium revocabit quantopere Salvator noster homines dilexerit et quot quantisque beneficiis eosdem pretioso suo sanguine cumulaverit, ita ut omnes Brasiliani, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc pacis ac fraternitatis symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent. Hisce itaque sollemnibus proximis splendorem Nos addere cupientes, simulque optatis obsecundare venerabilis fratris S. Salvatoris Archiepiscopi, qui ipsius conventus celebritati ac decori magnifico in urbe sua apparatu prospicere studet, consilium cepimus tibi, dilecte fili Noster, committendi, ut personam Nostram in eo coetu geras. Te igitur per has Litteras Legatum Nostrum renuntiamus, ut nomine et auctoritate Nostra isti Congressioni praesideas, pro certo habentes te, pro eximia tua erga augustum Sacramentum pietate ac romanae purpurae splendore ac maiestate, exspectationi Nostrae plane digneque responsürum. Interea Christum Redemptorem effusa prece obsecramus, ut praecellentes Eucharistiae fructus per hanc sacram celebrationem tota natione ista uberiores efficiantur, et, omni virtute christiana accrescente

in ipsam rei publicae tranquillitatem atque emolumentum redundent. Horum quidem caelestium beneficiorum auspex, Nostraeque simul caritatis pignus, apostolica esto benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, sollerti S. Salvatoris Archiepiscopo, ceterisque sacrorum Antistitibus et fidelibus Christi universis, iis praesertim qui sollemnibus intererunt, peramanter in Domine impertimus.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Iunii, in festo Ss. Corporis Christi, anno **MDCCCCXXxrn,** Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

II

AD EMUM P. D. ALOISIUM TIT. S. PETRI AD VINCULA S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM CAPOTOSTI S. S. PRO -D AT ARTUM, QUEM LEGATUM MITTIT MACERATAM AD CONVENTUM EUCHARISTICUM EX UNIVERSA PICENA REGIONE.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Si peculiari semper favore illos catholicorum conventus prosequendos censuimus, qui eo spectant ut Augusti Sacramenti honores amplificentur, at nunc potissimum censemus, sacro hoc tempore, quo undevicesimum saeculum ab instituta in « Coena Domini » sacrosancta Eucharistia fauste volvitur. Hoc enim admirabile Sacramentum, quod tamquam caeleste animarum convivium perpetuumque Ecclesiae sacrificium Christus pro nobis moriturus instituit, profecto est «donum dignissimum ex intimo plane Corde prolatum eiusdem Bedemptoris, *desiderio desiderantis* singularem huiusmodi cum hominibus coniunctionem, maximeque factum ad salubérrimos fructus redemptionis eius dilargiendos » (Epist. Encycl. « Mirae caritatis » 18 Maii 1902). Quare nuntium libentissime accepimus eucharistici conventus, qui Maceratae ex universa Picenorum regione, proximo Septembri mense, cogetur; simulque votis venerabilis fratris Episcopi Maceratensis ac Tolentini libenter annuentes, sacrorum rituum splendorem Nostra quidem participatione adaugere statuimus. Te igitur, dilecte fili Noster, pro tua eximia erga Augustum Sacramentum pietate ac perampla Purpurati Patris dignitate, Legatum Nostrum hisce Litteris deligimus ac renuntiamus, ut sollemnibus coetibus sacrisque caeremoniis, Maceratae proxime habendis, Nostro|nomine Nostraque auctoritate praesideas. Deum interea precamur impense, ut commune Episcoporum studium et concordem fidelium

voluntatem caelestium luminum gratiarumque copia ad secundos exitus perducere velit. Illud autem praecipue ominamur, ut boni Piceni fideles, bortatibus Sacrorum Pastorum obtemperantes, non modo interdum per annum, sed quam saepissime ipsi *pane vitae* enutriantur, omne delectamentem ex eo haurientes. Hac firma fiducia freti, in auspicium divinorum munerum inque Nostrae caritatis pignus, tibi, dilecte fili Noster, sollerti Episcopo Maceratensi ac Tolentino ceterisque Picenorum Praesulibus, itemque fidelibus omnibus, qui conventui eucharistico intererunt, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxx mensis Iulii anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

III

AD EMUM P. D. PETRUM TIT. SS. XII APOSTOLORUM S. R. E. PRESB. CARD. LA FONTAINE VENETIARUM PATRIARCHAM, QUEM MITTIT VINDOBONAM LEGATUM A LATERE.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quinquagesimo ac ducentésimo exeunte anno, ex quo Vindobona e teterrimo obsidentium Turcarum discrimine erepta est, non solum ex Austria, sed ex aliis quoque, iisdemque non paucis, Europae regionibus catholicos viros novimus in nobilissimam hanc urbem conventuros esse, ut egregii eiusmodi facinoris memoriam recolant. Et merito quidem ; ut enim praeclara illa ex infensissimo hoste victoria, non unius tantummodo populi exercitu, sed foederatis e christianis nationibus copiis parta est, ita non de una dumtaxat civitate, non de uno imperio, sed de ipsa catholica religione, de civili ipso christianoque occidentalis Europae cultu ad moenia Vindobonensia dimicatum est. Quapropter felicissimi huius eventus recordatione non minus Ecclesia mater, quam Austriaca Respublica, quamque ceterae excultae gentes, vehementer laetatur ; atque imprimis Apostolica haec Sedes gaudet, cuius potissimum suasioni cuiusque curis foederatarum virium triumphus iure est tribuendus. Siquidem memoriae proditum est Decessorem Nostrum f. r. Innocentium XI, excitatis catholicorum principum studiis, illud assecutum fuisse, ut Leopoldus I imperator Ioanni Sobieski, Poloniae Regi illustri, adstipularetur ; qui consociatis omnibus copiis praefectus, civitati

obsessae et a Rogerio Starhembergensi Comite acriter defensae necessario tempore subvenit. Iamvero, quemadmodum Apostolica haec Sedes christianorum familiae numquam defuit, quoties ipsis esset cum religionis hostibus depugnandum, ita in praesens, quando auspicatissimae memoriae permovet recordatio animos, eorum libentissime fit laetitiae consors. Quapropter votis dilecti filii Nostri Cardinalis Archiepiscopi Vindobonensis ipsorumque Reipublicae illius moderatorum annuentes, proxima sollemnia ex animo participamus, iisdemque quodammodo praesentes esse volumus. Te igitur, dilecte fili Noster, quem doctrina, pastoralis sollicitudo aliaeque praeclarae animi dotes ad id muneris commendant, Legatum Nostrum per has Litteras eligimus et renuntiamus, ut catholicorum coetibus, sacris caerimoniis ceterisque sollemnibus, quae propediem Vindobonae peragentur, nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas. Idque putamus non sine fausti ominis significatione effectum iri; eam enim praeclarissimam urbem pastorali sollertia tua moderaris, quae, per saeculorum decursum, quemadmodum Vindobona, tot gloriis memoriisque referta, non semel christiani nominis hostes profliga vit atque subiecit. Ut igitur, quem supra memoravimus, Decessor Noster p. m. Innocentius XI, ad illius tempestati^ periculis medendum, venerabilem virum Marcum ab Aviano ad principem Austriae urbem Legatum suum « a Latere » misit, qui et principes et christianos populos ad unitatem et concordiam revocaret ; ita Nos, novo impendente in Catholicam Religionem discrimine — aberrantibus scilicet multorum animis ab avita fide, christianisque moribus in deterius actis —• te itidem Nostro nomine mittimus, ut non modo vetera egregie gesta dignius in memoriam redigantur, sed etiam ut omnes — te praesertim suasore atque auspice — ex horum sollemnium recordatione novae laetiorisque sumant victoriae auspicium. Quamobrem iis omnibus, qui proximae celebritati intererunt significare velis Nostris verbis quanta Nos animi delectatione noverimus et congressionis disceptationum ordinem, rationem, capita, et excitatos animos ad sanctissima eiusmodi incepta promovenda. In quibus memoratu digna videntur quum communes ad Deum admovendae preces paenitentiaque firmandae, tum studium catholicas vires consociandi ad ingruentia pericula, praesertim gliscentis atheismi, propulsanda. Peropportunum sane consilium ! In tanta enim humanarum rerum vicissitudine, in tanta fluxorum bonorum conquisitione, qua plerique distringuntur, catholici viri, Nostris monitis sacro praesertim ineunte anno iteratis obtemperantes, oculos animosque ad Deum convertant, ut superno lumine perfusi, sententiisque mutua caritate conlatis, communem quandam agendi rationem animadvertant ac statuant ad catholicam fidem animosius acriusque tuendam et ad christianorum morum sanctitatem

satius faciliusque servandam. Plures praeterea sunt quaestiones ad catholicae doctrinae normas decernendae; nimirum de viis aptioribusque modis, quibus integra custodienda sit familiae constitutio, quibus recta perficienda iuvenum educatio, quibus denique civiles socialesque res omnes evangelicis praeceptis imbuendae atque conformandae: itidem de christianae veritatis sententiis cogitatisque per diaria, per libros, per cinematographicas scenas ac radiophonicus concentus pervulgandis. Neque consilia atque incepta praetermittentur, quibus et missionalia opera magis cotidie magisque refoveantur, et laicorum apostolatus per Actionem Catholicam quam maxime increbrescat atque augeatur. Haec quidem omnia, quum nostrorum temporum necessitatibus optime respondeant, multa sunt cura multoque studio perpendenda; atque adeo ex iisdem haud mediocres confidimus profecturos esse salutares fructus. At vero maxima vis et efficacitas ad secundos congressionis exitus consequendos iure jes^b a Deo imploranda, exspectanda est a Deo. Eadem sane ratione dux ille praestantissimus, Ioannes Sobieski, cum hoste saevissimo dimicans, non bellica tantum exercituum fortitudine, sed virtute praecipue rehgionis confisus est, ut tum aperte declaravit, quum partam victoriam Innocentio XI, mirabili illa, christianoque animo omnino digna, nuntiavit sententia: « Venimus, vidimus, Deus vicit ». Optimo igitur consilio proximus catholicorum conventus ut per publicas piasque supplicationes apparatur, ita certam diem precationi et paenitentiae integram dicabit; atque die nomini Virginis Mariae sacro absolvetur, quod quidem venerabile nomen idem Decessor Noster, ob adeptum Vindobonensem triumphum, in Ecclesia universa singulis annis celebrari iussit. Ac praeterea, hac eadem faustitate, in cathedrali aede, Sancto Stephano dicata, cuius perfecti operis quinquies saecularia memoria pariter celebrabitur sollemnis ritus peragetur. Quapropter, dilecte fili Noster, obeundum tibi munus fidenter aggredere, quod Nos ex animo ominamur ut, opitulante Deo ac Deipara deprecante Virgine, in rei catholicae decus atque incrementum feliciter cedat. Caelestium interea gratiarum conciliatrix et peculiaris caritatis Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, itemque sollerti Cardinali Archiepiscopo Vindobonensi, ceterisque Praesulibus. et iis omnibus, qui conventui intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die **xxx** mensis Augusti, anno **MDCCccxxxm,** Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

i

TREVIRENSIS LIMBURGENSIS

DE FINIUM DIOECESIUM MUTATIONE

DECRETUM

R. P. D. Franciscus Rodulphus Bornewasser, Episcopus Trevirensis, plene consentiente R. P. D. Antonio Hilfrieh, Episcopo Limburgensi, supplices preces S. Sedi porrexit ut, in quorumdam fidelium utilitatem, districtus *Wetzlar,* comprehendens paroeciam *Wetzlar* et vicariam paroecialem *Braunfels,* a dioecesi Trevirensi, ad quam modo pertinet, dismembraretur, atque dioecesi Limburgensi incorporaretur.

Porro Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI, rei opportunitate perpensa, precibus benigne annuens, hoc Consistoriali decreto memoratum districtum *Wetzlar* cum paroecia *Wetzlar* et vicaria paroeciali *Braunfels* a territorio dioecesis Trevirensis separat, atque territorio dioecesis Limburgensis in perpetuum aggregat.

Ad haec vero exsecutioni mandanda, idem Ssmus Dominus Noster deputare dignatus est R. P. D. Caesarem Orsenigo, Archiepiscopum Ptolemaidensem in Libya ac Nuntium Apostolicum in Germania, eidem omnes tribuens facultates necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere remittendi intra sex. menses ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Bomae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 17 Martii 1933.

Fr. E. C. Card. Bossi, *a Secretis.*

L. £8 S.

. : V. Santoro, *Adsessor,*

II

SIPONTINA ET VESTALA
TROIANA ET FODIANA

DE EARUMDEM DIOECESIUM ADSCRIPTIONE AD ECCLESIASTICAM REGIONEM BENEVENTANO!.

DECRETUM

Iam pridem metropolitana Ecclesia Sipontina cum suffraganea sede Vestana, necnon episcopales Ecclesiae Troiana et Fodiana, immediate Apostolicae Sedi subiectae, regioni ecclesiasticae Beneventanae aggregatae fuerunt, ut eius Concilio regionali atque Episcoporum conferentiis earum Antistites interessent. Nuper autem sedes Sipontina et Vestana primum, Troiana et Fodiana postea, a circumscriptione regionali Beneventana separatae, ad Apulam regionem adscriptae fuerunt. Cum vero experientia comprobatum sit peropportunum esse magisque ad utilitatem ecclesiasticae disciplinae conferre, si dioeceses omnes, quae ambitu uniuscuiusque provinciae civilis continentur, ad eamdem pariter ecclesiasticam provinciam vel regionem pertineant, Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI, de consilio Emorum Patrum Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum, auditisque Ordinariis quorum interest, decrevit ac statuit, ut memoratae dioeceses, quae intra civilem provinciam Fodianam patent, iterum ecclesiasticae regioni Beneventanae attribuantur, prout eidem attributae exstant ceterae dioeceses in praefata provincia civili sitae.

Iamvero haec Sacra Congregatio in exsecutionem Apostolici mandati, vi praesentis decreti, metropolitanam Ecclesiam Sipontinam eiusque suffraganeam dioecesim Vestanam, itemque dioeceses Troianam et Fodianam a regione Apula separat atque Beneventanae assignat. Quapropter ipsarum Antistites tum conferentiis episcopalibus huius regionis, quibus Metropolita pro tempore Beneventanus semper praesidebit, tum Concilio plenario regionali intervenient; simulque pro sua quisque dioecesi tribunal Metropolitae Beneventani, ut tribunal ordinarium secundae instantiae, habebunt.

Quae autem superius decreta sunt plenam, quoad omnes iuris effectus, vim obligandi a die I[a] proximi mensis Novembris huius anni obtinebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex aedibus Sacram Congregationis Consistorialis, die 29 Septembris 1933.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis.*

Jj. © S.

V. Santoro, *Adsessor.*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

28 Augusti 1933. — Cathedrali Ecclesiae Eoffensi in America praefecit E. P. D. Eduardum Mooney, hactenus Archiepiscopum Irenopolitanum in Isauria, servato ad personam titulo Archiepiscopi.

S Septembris — Cathedrali Ecclesiae Celsonensi, R. P. D. Valentinum Cornelias et Santamaria, hactenus Episcopum Amathusium in Palaestina.

— Cathedrali Ecclesiae Monasteriensi, R. D. Clementem von Galen parochum ad S. Lamberti in civitate Monasteriensi.

8 Septembris. — Metropolitanae Ecclesiae Quitensi, E. P. D. Carolum Mariam Della Torre, hactenus Episcopum Guayaquilensem.

12 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Tehuantepecensi, E. D. Iesum Villareal, canonicum metropolitanae ecclesiae Durangensis.

13 Septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Sitensi, R. D. Christianum H. Winkelmann, parochum ad S. Francisci Salesii in civitate S. Ludovici, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Ioannis Glennon, Archiepiscopi S. Ludovici.

15 Septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Phocaeensi, E. D. Eugenium Baziak, Protonotarium Apostolicum « ad instar participantium » et parochum in dioecesi Stanislaopolitana Ruthenorum, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Boleslai Twardowski, Archiepiscopi Leopoliensis Latinorum.

18 Septembris. — Metropolitanae Ecclesiae Limanae R. P. D. Petrum Paschalem Franciscum Farfan, hactenus Episcopum Cuschensem.

— Cathedrali Ecclesiae Cremensi, B. P. D. Franciscum Mariam Franco, hactenus Episcopum Octeriensem.

— Cathedrali Ecclesiae Mazariensi, R. P. D. Salvatorem Ballo Guercio, hactenus Episcopum titularem Oëensem et Praelatum *nullius* S. Luciae.

— Cathedrali Ecclesiae Montis Politiani, E. D. Aemilium Giorgi, Canonicum ecclesiae metropolitanae Senensis.

IV

DECRETUM

DE CONSISTORIO SEMIPUBLICO AD EXQUIRENDA SUFFRAGIA PRO CANONIZATIONE BEATARUM MARIAE BERNARDAE SOUBLROUS ET IOANNAE ANTIDAE THOURET, VIRGINUM.

Habitis iam de more Consistoriis, tum secreto, tum publico, diebus decima sexta et decima nona huius mensis in Palatio Apostolico Vaticano, Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI die *decima mensis Novembris p. /.*Consistorium semipublicum fieri decrevit, in quo exquiret Episcoporum sententiam pro canonizatione Beatae Mariae Bernardae Soubirous, virginis, e Congregatione Sororum a caritate et ab institutione christiana « de Nevers », et Beatae Ioannae Antidae Thouret, virginis, fundatricis Instituti Sororum a caritate. Quapropter Ssmus Dominus praescribit fut omnes Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati et Abbates *nullius,* qui sunt intra centesimum ab Urbe lapidem, si possint, Romam tempestive petant, praefato Consistorio intersint, suffragium suum edituri, et solemni canonizationi, si in eodem Consistorio indicta fuerit, adsistant suo tempore. Ceteros vero Antistites de his quae supra memorantur certiores reddit, laetus quidem si qui ad eumdem finem romanum iter suscipere velint. Ne autem frequentibus itineribus nimium graventur Ordinarii locorum, Sanctitas Sua benigne indulget ut qui, sive occasione Consistorii Romam convenerint, sive praefatis solemniis adfuerint, proxima vice ab obligatione sacra Limina visitandi eximantur.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 20 Octobris 1933.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis.*

L. SB S.

V. Santoro, *Adsessor.*

MONITUM

Rmi Archiepiscopi et Episcopi qui, iuxta praecedens Sacrae Congregationis Consistorialis convocationis decretum, Romae semipublico Consistorio pro Canonizationibus vel sacris Canonizationum Solemniis intererunt, quamprimum Adsessor Sacrae Congregationis Consistorialis *(Palazzo della Cancelleria, Piazza della Cancelleria, 1 - Boma-116)* et subscripto Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto *(Piazza*

Capranica, 98 - Boma-120) **per epistolam significent quo circiter die venturi sunt, ut Praesulum numerus opportune cognoscatur, et ipsi schedulas et intimationes pro Consistorio vel Ganonizationibus tempestive accipere possint.**

Ne vero Apostolici cursores in schedularum distributione ancipites haereant de Episcoporum domiciliis, oportet ut ipsi Archiepiscopi et Episcopi in scriptis eumdem Caeremoniarum Praefectum de suo quisque domicilio certiorem faciant.

Iidem Antistites secum défèrent vestes praelatitias laneas violaceas, cum mantelleto pariter laneo violacei coloris, biretum, rochetum et cappam laneam violaceam sine pellibus armellineis pro Consistorio.

Pro sacris vero Canonizationum Solemniis, Praesules défèrent amictum, mitram ex linea tela alba et unum pluviale simplex et lamina sin minus ex serico damasceno coloris diei solemnitatis.

Antistites autem cardinalitia dignitate praefulgentes, vestes càrdinalitias *rubri* **coloris et cappam** *violaceam* **sine pellibus armellineis pro Consistorio habebunt. Pro Solemniis autem Canonizationum induent vestes càrdinalitias** *rubri* **coloris, calceos rúbeos, amictum, planetam opere phrygio aureo distinctam, mitram sericodamascenam. Cappellani caudatarii induent vestem sericam violaceam cum crocea lanea violacei pariter coloris, cum superpelliceo et vimpa.**

Praesules ad Ordines vel Congregationes religiosas pertinentes quoad rochetum et qualitatem ae colorem vestium, consuetum morem servabunt.

Romae, die 20 Octobris 1933.

De mandato Sanctissimi D. N. Papae.

L. © S.

Carolus Respighi,
Protonot. Apost., Caerem. Praefectus.

SACRA CONGREGATIO ORIENTALIS

PEOVISIO ECCLESIAE

Sanctissimus D. ÏT. Pius divina Providentia Papa XI, decreto Sacrae Congregationis Orientalis diei 30 Augusti h. a. archiepiscopali Ecclesiae Beryten. et Gibailen. Melchitarum praefecit R. D. Maximum Saygh, hactenus Archiepiscopum Tyren. Melchitarum.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

TARVISINA ET PATATINA

DECIMARUM

Die 16 Iulii 1932

SPECIES FACTI. - Decreto Sacrae Congr. Consistorialis diei 14 Septembris 1929, instante Ordinario Tarvisino et consentiente Ordinario Patavinae dioecesis, incolae et vicus vulgo *Baluello* cum parvo adnexo agro e paroecia S. Michaelis Archangeli in loco *Arino,* huius dioecesis, separati sunt et aggregati propiori paroeciae S. Bartholomaei, dioecesis Tarvisinae. Territorium vero dismembratum decimis onerabatur, quae vulgo dicuntur *quartese,* parocho loci *Arino* quotannis solvendis.

At, cum nec a partibus, nec in memorato decreto ulla de iis facta fuisset mentio, Episcopus Tarvisinus hanc Sacram Congregationem adiit ut, novis perpensis adiunctis, cuinam parochorum in posterum ius esset percipiendi decimas in agro dismembrato decerneret.

AD IUS QUOD ATTINET. - Censet Ordinarius Patavinus ius decimandi in controverso agro adiudicandum esse, uti nunc est, parocho loci *Arino,* attenta in primis natura dominicali harum decimarum, de qua nulla est quaestio, cum in. idem consentiat et Ordinarius Tarvisinus. Memorat quoque consuetudinem, in sua dioecesi vigentem, integra manendi singula patrimonia ecclesiastica in paroeciarum dismembrationibus, quo facilius in easdem rectores consentiant, et animadverti quoque vult quod parochus loci *Arino,* qui dismembrationem aegre tulit, si horum proventuum solutione privaretur, ad inopiam redigeretur.

Aliter sentit Ordinarius Tarvisinus, qui non videt cur eidem, cui principale fuit concessum, accessorium denegaretur, nec quanam ratione decimarum solutioni obnoxii declararentur paroeciani erga parochum, cui nulla cum iis amplius intercedit relatio.

Iamvero, decimae dividuntur in *reales* seu *praediales* et *personales.* Illae inhaerent fundis, ita ut solvi debeant ab iis qui actu possident et colunt fundos, ideoque *onus reale* constituunt. Istae afficiunt personas et solvendae sunt ratione laboris, industriae etc., ac propterea *onus mere personale* constituunt. Cfr. cap. 5, 20, 23,28,30, X *de decimis, primitiis et oblationibus,*

III, 30; Zech, *De iure rerum ecclesiasticarum,* sect. III, tit. 4 ss.; Schmalzgrueber, lib. III, tit. 30, n. 4 ss., etc.

Frequentius, hodie, decimae dividi solent in *sacramentales* et *dominicales.* Illae sunt semper et necessario ecclesiasticae, utpote quae a fidelibus solvantur ratione ministerii ecclesiastici proprio cuique parocho a quo Sacramenta et sacramentalia recipiunt. *Dominicales,* contra, perspecta earum origine, possunt esse quoque feudales, sive profanae, utpote solvendae ratione proprietatis vel iurisdictionis civilis, sive politicae, ad instar census vel tributi aut vectigalis (cfr. Zech, 1. c, § 22, 34), et, universim acceptae, sunt *reales* seu *praediales.*

Nullum dubium est quin decima de qua agitur, vulgo *quartese,* censenda sit tamquam dominicalis, ideoque realis, quod constanter tenuit doctrina et iurisprudentia civilis, praeterquam ecclesiastica, praesertim recentiore aetate.

Ante Codicem vero, communis certaque erat doctrina, decimas praediales solvendas esse illi paroeciae, intra cuius fines praedia exstarent. Schmalzgrueber (lib. III, tit. 30, n. 29) docet: «Decimae praediales de iure communi solvendae sunt Ufi parochiae, intra cuius fines sita sunt praedia, cap. *Cum sint,* .18, cap. *Ad Apostolicae,* 20, cap. *Cum contingat* 29, hoc tit. Estque hoc verum, etsi dominus praedii alibi habitet, et recipiat Sacramenta, ut recte advertunt DD. communiter. Eatio est, quia onus solvendi decimas praediales reale est, et impositum non personis, sed praediis ».

Quae doctrina constanti iurisprudentia Sacrae Congregationis Concilii confirmata reperitur. Ita Pallottini refert: « Decimae debentur parocho territorii, ubi praedia decimanda existunt... ad tradita per Rotam in dec. 48, n. 2 coram Bichio et in Recent., dec. 169, n. 4, p. V., in *Sarsinaten. - Onerum,* diei 30 iulii 1774, ad III, etc.» *(Collectio omnium conclus, et resol.,* tom. VII, v. *Decimae,* n. 67).

Quapropter, ut tradit Reiffenstuel (lib. III, tit. 30, n. .104), « quando parochia aliqua dividitur in plures, tunc decimae praediales etiam de limitibus parochiae noviter erectae pertinent ad ecclesiam matricem, seu potius ad eam remanent, nisi in erectione novae parochiae Episcopus una cum limitibus certis, etiam dictorum Umitum decimas parocho expresse assignet». Et quod dicitur de erectione novae paroeciae, a pari, immo a fortiori, arguendum est de paroeciae dismembratione.

Attamen, memorata veteris disciplinae principia adhuc vigere dicenda sunt, attento iure Codicis quo utimur, ad normam canonis 6. Idque saltem implicite confirmatur praescripto canonis 1500, statuentis: « Diviso territorio personae moralis ecclesiasticae ita ut... illius pars alii personae morali uniatur..., etiam bona communia quae in commodum totius territorii

erant destinata..., ab Auctoritate ecclesiastica, cui divisio competat, cum debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvis piorum fundatorum seu oblatorum **voluntatibuSj** iuribus legitime quaesitis, ac legibus peculiaribus, quibus persona moralis regatur ». Non ipso iure igitur, facta territorii divisione, bona, et, in casu de quo agitur, decimae praediales transeunt in personam moralem cui pars territorii unitur, sed Auctoritatis ecclesiasticae est huiusmodi bona, ex bono et aequo, dividere.

Cum vero in casu nulla mentio fiat in decreto Sacrae Congregationis Consistorialis de assignatione decimarum in favorem paroeciae S. Bartholomaei, cumque ex relatis ab Ordinario Patavino beneficium paroeciale loci *Arino,* his decimis spoliatum, ad inopiam redigeretur, aequum sane est ut eidem hoc ius integrum maneat. Sicuti enim in paroeciae divisione, ita et in dismembratione (cfr. can. 1421) solemne est in iure canonico, ipsa iustitia suadente, ut paroeciae *a qua* sufficientes reditus maneant (can. 1427 § 3).

RESOLUTIO. - His omnibus perpensis, in Congregatione plenaria diei 16 Iulii 1932, proposito dubio: *An et cuinam parocho solvendae sint decimae ab incolis territorii dismembrati, in casu:*

EE. PP. responderunt:

Affirmative, favore parochi loci Arino *dioecesis Patavinae.*

Facta autem de his Ssmo Dno Nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per subscriptum huius Sacrae Congregationis Secretarium in Audientia diei 20 Iulii 1932, Sanctitas Sua hanc resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

PROVISIO ECCLESIARUM:

Successivis decretis huius Sacri Consilii, Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI dignatus est praeficere:

1 Augusti 1933. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Phasianae R. P. D. Iacobum Leen, Episcopum Portus Ludovici; qui ideo Archiepiscopus Phasianus et Episcopus Portus Ludovici appellabitur.

15 Septembris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Doclaeanae R. D. Paulum Marella, quem constituit Delegatum Apostolicum in Iaponia.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

NEAPOLITANA SEU BISUNTINA

CANONIZATIONIS BEATAE IOANNAE ANTIDAE THOURET VIRGINIS FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An, stante duorum miraculorum approbatione post indultam eidem Beatae venerationem, tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Beatae canonizationem.*

Quas Apostolus Paulus divinas caritatis notas magnifico extollit eloquio (1 Cor. 13), eas in Beatae Ioannae Antidae Thouret vita videre est mirabiliter deductas in actum. Quum vero, eodem testante Paulo, sit *plenitudo legis dilectio* (Eom. XIII, 10) facile inde coniicere est ad quam altum perfectionis culmen Beata Ioanna Antida cohscenderit.

Qua die orta terris est, vigesima septima Novembris mensis anno 1765, eadem per baptismi lavacrum regenerata est Christo, veluti properante Deo hanc sibi dilectam animam suae gratiae dono sanctificare. Natale ei oppidum fuit *Sanceij-le-long* Bisuntinae dioecesis in Gallia. Parentes habuit tenui quidem fortuna, sed piis instructos moribus Ioannem Franciscum et Ioannam Claudiam Labbe, quos densa sepsit filiorum corona. Innocentissimam adolescentiam dum ageret, orbata matre, in eius quasi vicem, domus curam sedula atque alacer suscepit. Verum, vocante ad altiora Deo, fortiter disruptis carnis et sanguinis vinculis, devictaque patris obsistentia, se totam Christo ac proximi saluti mancipavit, annos nata duos supra viginti, in Instituto puellarum a Caritate, S. Vincentii a Paulo. At nondum tirocinio expleto nec ullis adhuc obligata votis, ex illa sanctitatis sede violenter avulsa est ea temporum procella, quae, decimoctavo saeculo exeunte, in Gallia praesertim saeviit. Attamen in Dei Famula haud deferbuit, quem alto pectore hauserat, sancti Vincentii a Paulo spiritus. Quin immo ex ipsis temporum difficultatibus vires animumque sumens, quum ad Puellarum a Caritate societatem ne rediret a suis dioecesanis Superioribus, eam retinere cupientibus, fuisset praepediti, novum generosa puella religiosum Institutum Vesuntione moliendum suscepit, quo tempore cetera huiusmodi ho-

stium impetu eversa corrueránt. In quo tamen Ioanna Antida, vere virgo ex prudentibus fuit, non humano innixa consilio, sed inspirantis Dei freta ope atque potentia.

Nec eventus spem fefellit: ac recens quae eius opera ex Vincentiana radice tunc prodiit sobóles, Institutum Sororum a Caritate, mox late ramos protendens, in magnam ac fecundam excrevit arborem. Mirum tamen quot enascens Institutum, varia vice, adversi impetivere venti. At quod caritas excitaverat opus, illud eadem Beatae Fundatricis caritas aluit, sustentavit et auxit. Quum enim caritas *non quaerat quae sua sunt* (1 Cor. 13, 5), nihili fortissima virgo suas aerumnas faciebat, dummodo proximorum saluti consuleret, ac Iesum Christum in suis pauperibus atque infirmis honore afficeret. *Caritas patiens est, benigna est* (ibid.). Qua patienti benignitate puellis instituendis, infirmis curandis, pauperibus sublevandis Ioanna Antida praestiterit, vix dixeris. Uberes autem fructus referens in patientia (Luc. 8, 15), innumeras ad Deum reduxit animas; nec defuit, qui impium *constitutionale,* quod vocabant, iusiurandum, humana fragilitate datum, ea suadente, retractaverit. *Caritas omnia suffert... omnia sustinet* (Ib.). Uni Deo intenta iugiter animo, eius implendae voluntati ac quaerendae gloriae, incredibile est quot quantaque generose pertulerit. Fervente persecutionis aestu, fidem Ubere profitens ac sibi aliisque spiritualia subsidia quaeritans, mortem quandoque vix evasit; semel gravi ictu a milite percussa duabusque luxatis costis diu aegrotavit; illicitum iusiurandum, dare iussa, impiis iudicibus stupentibus, impavida detrectavit. Hinc illinc exturbata, innumeris obnoxia periculis, Galliam, Helvetiam, Germaniam pedes peragravit; unde cum Apostolo iure dicere poterat: *In laboribus plurimis, in carceribus... in plagis supra modum, in mortibus frequente)"... in itineribus saepe; periculis latronum... periculis in civitate, periculis in solitudine... periculis in falsis fratribus: in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate* (2 Cor. 23-27). Quae omnia, varia variis temporibus, Beata Ioanna Antida fere toto suae vitae cursu, invicto animo sustinens, gloriose superavit. Reddita autem aliquantula Ecclesiae pace, Neapolim Ioanna Antida accersita, ut ad eam civitatem actuosae suae caritatis operam extenderet, magnis devictis difficultatibus, florentem ibi domum ac novitiatum constituit. Quas vero iampridem Archiepiscopus Bisuntinus probaverat Sodalitatis constitutiones, eaedem, amplificata iam feliciter familia, ut Apostolica auctoritate firmarentur pia Fundatrix, obtinuit. Exinde, praeter omnem exspectationem, ea novissima ac prae ceteris aestuans oborta est procella, quae postremos Servae Dei annos exagitavit. At moerentem maternum eius animum heroica in Deum fiducia atque Apostolicae Sedis benevolentia sustentavit.

Tribulationum igne, veluti aurum purgata, mortalis vitae cursu Neapoli consummato, Ioanna Antida iustitiae corona a Domino die vigesimaquarta Augusti mensis anno 1826 redimita fuit.

Sed, praeterlabentia tempora superans atque in aeternitate permanens, *caritas numquam excidit.* Enimvero caritatis flamma, quae Ioannae Antidae animam adhuc peregrinantem a Domino incendit, non modo purior ac vividior nunc in perpetuas aeternitates splendei, sed veluti radiis in terras demissis lucet et fervet in eo frequentissimo *Sororum a Caritate* agmine, quae Beatae Fundatricis operam mirabiliter per orbem perennant.

Quum Servae Dei Sanctitatis fama, praesertim post eius obitum, longe lateque increbuisset, Ordinaria auctoritate constructi sunt processus; Leo autem XIII fel. rec. die 16 Iulii mensis anno 1900 Causae introductionis Commissionem obsignavit. Apostolica deinde auctoritate super virtutibus et miraculis inquisitum est, iisque probatis, die 23 Maii mensis anno 1926, Ioannae Antidae beatificatio in Vaticana Basilica sollemniter fuit celebrata. Sequenti anno die **5** Iulii Causa fuit resumpta; et, servatis de iure servandis, alia duo miracula, per decretum nuper die 6 mensis huius latum, approbata fuere. Ad complementum autem Sacrae huius Congregationis actorum in hac causa, novisimums discutiendum dubium supererai: *An stante approbatione duorum miraculorum, post indultam eidem Beatae venerationem,* tuto *procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem.* Dubium hoc Emus Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Ostien. et Albanen., Causae Ponens seu Relator in Generali Congregatione, die 8 mensis huius coram Ssmo D. N. Pio Papa XI coacta, proposuit. In unanimem Patres Cardinales, Officiales Praelati et Consultores concessere sententiam; Suam vero Beatissimus Pater edere aliquantisper cunctatus est, ut in re tanti momenti divinae gratiae lumen suis et adstantium precibus imploraret.

Hanc autem Suae sententiae proferendae laetissimam selegit diem Beatae Mariae Virgini in caelum Assumptae sacram.

Gaudeamus omnes in Domino Assumptionem *Beatae Mariae Virginis* hodie *celebrantes;* gaudeamus quoque B. Ioannae Antidae, optime de tota christiana familia meritae, properantem Canonizationem salutantes. Exsultet et nobilissima Galliarum gens, quae ampliore sanctitatis splendore illustratur; exsultent praesertim B. Ioannae Antidae spirituales filiae per totum orbem diffusae ob tantae Matris hodiernum gloriae decus, quod per hoc decretum, Romani Pontificis auctoritate evulgatum, eidem accedit.

Ssmus itaque Dominus Noster, Rmos Cardinales Camillum Laurenti, S. R. C. Praefectum, et Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Epi-

scopum Ostien. et Albanen., una cum B. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, meque infrascripto Secretario ad Se accivit, et, sacra Hostia pientissime litata, pronunciavit: Tuto *procedi posse ad Beatae Ioannae Antidae Thouret Canonizationem.*

Hoc autem decretum promulgari, et in acta S. B. C. referri mandavit.

Die Assumptionis B. M. V. anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L S S.

A. Carinci, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS IT STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

DECRETUM

ANTONIANUM ATHENAEUM O. F. M. CANONICE ERIGITUR.

Fr. Bonaventura Marrani, Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui inter primos Constitutioni Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » d. d. XXIV Maii a. MDCCCCXXXI pleno^corde adhaeserat, expostulavit ut Athenaeum Antonianum de Urbe, nova sede ad domum Ordinis principem nuper auctum, quod veluti altiorum studiorum coenaculum docendique Institutum pro minoritis alumnis selectis undique confitentibus iamdudum exstat, omnibus studiis suis ad laudatae Constitutionis Apostolicae praescripta omnino accommodatis, canonice erigatur cum iure conferendi gradus academicos — nempe Baccalaureatum, Licentiatum, Doctoratum — in sacra Theologia, in Iure canonico et in Philosophia, solum tamen et exclusive alumnis Ordinis Minorum.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI, infrascripto Cardinali Sacrae huius Congregationis Praefecto referente, omnibus rei adiunctis probe exploratis matureque perpensis, precibus perlibenter annuit.

Itaque haec eadem Sacra Congregatio, auctoritate a Sanctissimo Domino Nostro Papa sibi facta, Athenaeum Antonianum de Urbe pro Ordinis Minorum Franciscanorum alumnis praesenti decreto canonice erigit et

erectum declarat cum tribus optatis Facultatibus, servatis adamussim Statutis ab hac Sacra Congregatione approbatis. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum ex aedibus Sancti Callisti, die XVII Maii, in Festo Sancti Paschalis Baylon, anno MDCCCCXXXIII.

C. Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. **S** S.

E. Ruffini, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

DECEETÜM

INDULGENTIA PLENARIA IIS CONCEDITUR, QUI SOLLEMNIBUS PROCESSIONIBUS EUCHARISTICIS PIE INTERSUNT.

In sacris ritibus, qui catholicam fidem refovendam maximopere conferunt* illae profecto annumerantur pompae, quae vulgo « processiones » vocantur, dummodo eaedem non modo ad liturgiae normas, sed intento etiam pioque animo ducantur.

Quas inter procul dubio « processiones » excellunt, in quibus non sacra vel Sanctorum caelitum, vel Deiparae Virginis vel D. N". Iesu Christi reliquiae aut simulacra populari pietati proponantur, sed ipsemet Bex gloriae vere, realiter ac substantialiter ineffabili modo eucharisticis velis delitescens ; sive per templorum saepta, sive per vias publice fiant, ut fidelium multitudo, pio desiderio flagrans, suas deferre possit adorationes ac preces, sive denique ad infirmorum domos sollemniter procedant, ut eis caeleste pabulum ac levamentum in aegritudine, qua afficiuntur, in suaeque vitae discrimine afferant.

Iamvero Ssmus D. *IS.* Pius Pp. XI die 8 mensis Iulii c. a., in audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori concessa, ad « processiones » huiusmodi ac praesertim ad sollemniores, quae aptius valent fidei caritatisque sensus, Sacro Iesu Christi Cordi pergratos, in christifidelibus excitare, animum curamque suam convertit.

Ac quemadmodum recens iis omnibus, qui, servatis servandis, pium exercitium XL horarum participant, novas indulgentias dilargitus est,[1] ita in praesens, ut fidelium pietas in Augustum Sacramentum, ad sacrae liturgiae normas triumphali pompa ductum, magis magisque revirescat,

[1] Cfr. Acta Ap. Sed. vol. XXV, pag. 381.

eiusque cultus adaugeatur, idem Summus Pontifex hoc in perpetuum concedere dignatus est: eos scilicet, qui, confessi ac sacra Synaxi refecti, « eucharisticis processionibus », sive introrsum in sacris aedibus, sive publice ductis intersint, at que ad mentem Suam de more precentur, indulgentiam plenariam lucrari posse.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Eomae, ex Aedibus eiusdem S. Paenitentiariae, die 25 Septembris 1933.

L. Card. LATTEI, *Paenitentiarius Maior.*

L. © S.

I. Teodori, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sabato, 7 Ottobre 1933, la Santità di Nostro Signore ha ricevuto in solenne udienza Sua Eccellenza il Signor Don Luis EGUIGUREN, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario della Repubblica del Cile, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 17 Ottobre 1933, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessandro Verde, ha avuto luogo la Congregazione *Antiprepairatoria* della Sacra Congregazione dei Riti, nella quale i Rmi Consultori teologi ed i Prelati componenti la stessa Sacra Congregazione, hanno discusso sopra di un miracolo che si asserisce da Dio operato ad intercessione della Beata Teresa Margherita Redi, Carmelitana Scalza, e che viene proposto per la sua solenne Canonizzazione.

Martedì, 24 Ottobre, 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla presenza di Sua Santità Papa Pio XI, si è tenuta la Congregazione Generale dei Sacri Riti, nella quale si è discusso sopra due miracoli presentati per la Canonizzazione della Beata Ludovica de Marillac Vedova le Gras, confondatrice delle Figlie della Carità.

Martedì, 31 Ottobre, dinanzi air Augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta nel Palazzo Apostolico Vaticano la Congregazione Generale dei Sacri Riti, nella quale gli Emi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revöii Consultori, appartenenti alla Congregazione medesima, diedero il loro voto su due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Beata Maria Michela del Santissimo Sacramento, Vergine, fondatrice delle Suore adoratrici del Ssmo Sacramento, i quali furono presentati per la sua Canonizzazione.

NECROLOGIO

8 Settembre 1933. Monsig. Edoardo Sheehan, Vescovo tit. di Calidone.
6 Ottobre » Monsig. Antonio Fetser, Véscovo di Giavarino.
11 » » Monsig. Riccardo Bartolom, Arcivescovo tit. di Laodicea di Siria.
13 » » Monsig. Tommaso Broderick, Vescovo tit. di Petnelisso.
17 » » Monsig. Agostino Hombach, Arcivescovo di Tegucigalpa.
23 » » Monsig. Giovanni Batt. Fallize, Arcivescovo tit. di Calcide.
» » » Monsig. Giuseppe Marazzi, Vescovo tit. di Oropo.
24 » » Monsig. Tommaso Guglielmo Drumm, Vescovo di Desmoines.

Annus XXV - Vol. XXV 1 Decembris 1933 Num. 17

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PÏÏ PP. XI

SACRUM CONSISTORIUM

Die X mensis Novembris

CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM DE CANONIZATIONE EEATAEUM VIRGINUM MARIAE BERNARDAE SOUBIROUS ATQUE IOANNAE ANTIDAE THOURET.

Feria sexta, die .10 Novembris 1933, in Aula superiore Palatii Apostolici Vaticani, Consistorium semipublicum habitum est, in quo Sanctissimus Dominus Noster tam Eminentissimorum Patrum Cardinalium, quam Excmorum Patrum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, itemque Bevmorum Abbatum *nullius,* quibus ius est, suffragia excepit pro futura canonizatione Beatarum virginum, Mariae Bernardae Soubirous, ex Instituto Nivernensi Sororum ab instructione et charitate cristiana, et Ioannae Antidae Thouret, fundatricis Sororum a charitate. Huic actioni Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI brevi allocutione initium dedit ut sequitur:

VENERABILES FRATRES

De causa beatarum virginum Mariae Bernardae Soubirous atque Ioannae Antidae Thouret tam gravi iudiciorum severitate et a supremo Consilio sacris ritibus praeposito, et Nobis coram in suetis coetibus superioribusque Consistoriis actum est, ut res nihil prorsus dubii relinquat, sed in tuto omnino esse videatur. Luculentissime siquidem constat utramque virginem

ita christianis virtutibus praefulsisse, quoad mortalis vitae usura fruitae sunt, ut digne utiliterque non modo omnium admirationi, sed imitationi etiam iure meritoque proponerentur.

Accedunt rerum mirabilia, diligenter quidem comprobata, quae, interposito a christifidelibus earum patrocinio, a Deo patrata sunt; quae quidem miranda facta, ut nostis, inerrantem ipsum sanctitudinis Altorem Statoremque in hanc causam quodammodo iudicem inducunt; quandoquidem, cum eadem naturae vires prorsus excedant, eius dumtaxat nutu atque opera haberi queunt.

Iussimus nihilo setius apta unicuique vestrum commentaria reddi, ut, re etiam atque etiam prudenter explorata ac perpensa, sententiam vestram ferre ac Nobiscum communicare possetis.

Faveatis igitur, venerabiles fratres, in hoc amplissimo consessu alius ex alio, pro vestrae ordine dignitatis, de beatis hisce virginibus ad sanctorum caelitum honores provehendis consilium vestrum religiose Nobis aperire.

Exceptis vero adstantium suffragiis Beatissimus Pater haec addidit *t*

Suffragia vestra, modo lata, in id ipsum consentire, quod Nobismet ipsis summopere placet, laetamur vehementer; eoque vel magis gratulamur, quod licet, per hanc mentium animorumque concordiam, piacularem hunc annum, divinae humani generis Redemptionis memoriae peculiari modo dicatum, et sollemniorem reddere et, novis caelestibus deprecatricibus catholico orbi ad imitandum propositis, locupletare; quod quidem uberiores portendit salutis fructus.

Iam nihil aliud reliquum est, nisi ut utriusque sacrae caerimoniae peragendae tempus ex more praefiniamus. Scitote igitur, venerabiles fratres, summos sanctitatis honores beatae Mariae Bernardae Soubirous die VIII proximi mensis Decembris - quo die scilicet festum Deiparae Immaculatae celebrabitur - Nos esse, favente Deo, decreturos; canonizationi vero beatae Ioannae Antidae Thouret diem Nos XIV proximi mensis Ianuarii condicere ac praestituere.

Atque interea vos omnes, quotquot adestis, ac per vos christifideles universos enixe in Domino adhortamur, ut impensa ad Deum adhibere vota precationesque ne intermittatis. Ita enim auspicato continget, ut huiusmodi geminatae laetitiae faustitates et in Catholicae Ecclesiae decus cedant et in salutem animarum.

Posthaec, obtenta venia summi Pontificis, Illmus et Eevmus D. Carolus Bespighi, Praefectus caeremoniarum Apostolicarum, absente Procuratore Fiscali Camerae, consueta forma rogavit DD. Protonotarios adstantes ut publicum actorum instrumentum conficiant. Cui Illmus et Eevmus D. Dominicus Iorio, ex adstantibus senior, nomine ceterorum, respondit: « Confidemus » et conversus ad familiares Pontificis qui stabant circa Solium, eosdem in testes appellans, addidit: «Vobis testibus».

CONSTITUTIO APOSTOLICA

ATURENSIS DIOECESIS EPISCOPALIS SEDES AB ATURO URBE AD AQUAM AUGUSTAM URBEM TRANSFERTUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad rectum et utile dioecesium regimen haud dubie maxime prodest, si Episcopi sedes et cathedra ea in urbe constituta sit, quae ceteris praestantior viarumque facilitate sit commodior. Quod quidem prae oculis habens venerabilis frater hodiernus Episcopus Aturensis, cum in eius dioecesi Aqua Augusta urbs exstet, quae, certo praestantior ipsa antiqua Aturo urbe, ubi sedes episcopalis hucusque fuit, opportuniore loco et in media fere dioecesi sita est, ac itinerum commoditate ab omnibus facilius adiri potest, supplices Nobis porrexit preces, ut sua sedes et cathedra una cum Capitulo cathedrali et Seminario ab Aturo ad Aquam Augustam transferretur. Nos itaque, accedente venerabilis fratris Aloisii Maglione, Archiepiscopi titularis Caesariensis in Palaestina et in Gallica Eepublica Nuntii Apostolici, favorabili voto, oblatis precibus annuendum censuimus.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum interest vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, ab Aturo urbe Episcopi sedem et cathedram ad Aquam Augustam transferimus, ibique perpetuo constituimus cum omnibus iuribus et praerogativis, quibus ceterae episcopales sedes iure communi gaudent; eamque *Aturensem* et *Aquae Augustae* in posterum

appellari volumus. Ecclesiam autem Beatae Mariae Virgini dicatam, in eadem Aqua Augusta urbe exstantem, ad ecclesiae cathedralis gradum et dignitatem extollimus cum omnibus iuribus et privilegiis, honoribus et praerogativis, quibus ceterae cathedrales ecclesiae iure vel legitima consuetudine in Gallia fruuntur, et cum omnibus pariter adnexis oneribus et obligationibus. In hanc idcirco ecclesiam Capitulum cathedrale transferimus, ibique ut resideat et iuxta canonicas leges chorale servitium persolvat, uti antea in cathedrali Aturensi, volumus et mandamus; facta tamen uni illi canonico, qui adhuc Aturi commoratur, facultate ibidem vita durante degendi, adeo ut interim uti praesens in choro censeatur et distributiones etiam quotidianas percipiat. Ad antiquae autem Cathedralis ecclesiae Aturensis memoriam servandam, statuimus ut ea Concathedralis titulo posthac condecoretur. Parochus vero pro tempore huius Concathedralis ecclesiae Aturensis titulo Canonici ad honorem cathedralis Capituli Aquae Augustae honestabitur. Officii autem erit Episcopi pro tempore Concathedralem ipsam quotannis adeundi, ac sacra illic aliquando peragendi. Vehementer insuper exoptamus ut Aturensis et Aquae Augustae Episcopus, non solum dioecesanum Seminarium maius, sed minus etiam in Aquam Augustam urbem transferendum curet, ut iuvenes in sortem Domini vocati sub ipsius fere oculis succrescant et in sacris disciplinis ac in spiritu ecclesiastico efformentur.

Quibus omnibus ut supra dispositis, ad eadem omnia ad exsecutionem mandanda quem supra diximus venerabilem fratrem Aloisium Maglione, in Gallia Nuntium Nostrum, deputamus eidemque propterea necessarias et opportunas tribuimus facultates, tum omnes dirimendi controversias in exsecutionis actu quomodolibet orituras, tum subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, eique onus imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem infra sex menses ab his Litteris acceptis authenticum exemplar transmittendi peractae exsecutionis actorum. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si originaliter exhibitae, vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Bomanorum Pontificum, praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini autem hanc paginam translationis, erectionis, evectionis, concessionis, statuti, derogationis, mandati et voluntatis Nostrae infringere, vel

ei contraire liceat. Si quis vero, ausu temerario, hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

• Datum Bomae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo tertio, die trigesima prima mensis Martii, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Fr. THOMAS P. Card. BOGGIANi
Cancellarius S. B. E.

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis.

Ioseph Wiipert, *Becanus Collegii Protonot. Apostolicorum.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco *i&* **Plumbi**

Reg. in Cane. Ap., vol-XLVII, n. 60. - G. **Stara Tedde.**

»

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SEIUNCTO TERRITORIO E DIOECESI HYDERABADENSI ERIGITUR MISSIO SUI IURIS DE BEZWADA.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Christi regno in omnes catholici orbis partes magis magisque in dies dilatando, sicut officium Nostrum postulat, iugiter intenti, ea omnia opportune praestare satagimus, quae ad hunc finem facilius consequendum aptiora videantur. Quamobrem cum venerabilis frater Dionysius Vismara, Episcopus Hyderabadensis, a Nobis enixe expostulaverit ut e dioecesi sibi concredita civiles districtus de Kistna et de Godavery occidentali dismembrarentur; atque insuper cum Superior generalis Pontificii Instituti a Ss. Apostolis Petro et Paulo et a Ss. Ambrosio et Carolo pro missionibus ad exteras gentes petierit a Nobis ut nova ex praedictis districtibus civilibus erigenda sui iuris Missio sodalibus sui Instituti evangelizanda concrederetur, petitionibus huiusmodi libenti quidem animo annuere decrevimus. Comperimus namque cum magna animi Nostri laetitia sodales dicti Pontificii Instituti brevi annorum spatio copiosam multitudinem incolarum memoratorum districtuum ad Christi fidem adduxisse et nunc spem effrilgere laetissimum uberiorum spiritualium fructuum, si regio illa, quae peculiari gaudet civili ordinatione, proprio etiam gaudeat spirituali regimine. Quare collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Bomanae Ecclesiae Cardinalibus qui negotiis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide praepositi

sunt, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, civiles districtus de Kistna et de Godavery occidentali e dioecesi Hyderabadensi seiungimus ac dismembramus eosdemque, adiectis etiam civilibus subdivisionibus — vulgo *toluJcs* — de Polawaram, de Eazole et de Amalapuram quae ad districtum civilem de Godavery occidentali pertinent, in Missionem sui iuris a civitate principe *de Bezwada* appellandam, spiritualibus curis memorati Pontificii Instituti ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum concredendam atque Madraspolitanae provinciae ecclesiasticae adiungendam, erigimus et constituimus.

Haec volumus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si" quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Eomae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

B. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

II.

DISTRACIO TERRITORIO E VICARIATU APOSTOLICO DE CHENGTINGFU ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE SHUNTENHFU.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Supremum votum Nostrum idem est quod divini Redemptoris, cuius in terris vices, licet immeriti, gerimus, id est omnes homines evangelicae veritatis lumine quam primum collustrari, ut unum ovile fiat et unus Pastor; ac proinde ea omnia quae ad hunc finem facinus et citius consequendum faciant sedulo studio providere satagimus. Quapropter cum vicariatus apostolicus de Chengtingfu in provincia Sinarum de Hopei, curis concreditus sodalium Congregationis Missionis latius pateret quam ab unico Ordinario in urbe Chengtingfu sedem habente, cum optatis spiritualibus fructibus administrari possit, venerabihs frater Hubertus Franciscus Schraven, Episcopus titulo Amyclaeensis, Vicarius Apostolicus de Chengtingfu, expostulavit a Nobis ut pars meridionalis territorii suae iurisdictioni subiecti a suo vicariatu canonice seiungeretur et in novam praefecturam apostolicam erigeretur. Collatis igitur consiliis

cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Eomanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Sacrae Congregationis Fidei Propagandae praepositis, attento quoque voto venerabilis fratris Oelsi Costantini, Archiepiscopi titulo Theodosiopolitani, Delegati Apostolici in Sinis, omnibusque rei momentis sedulo studio perpensis, praedicti Vicarii Apostolici precibus annuere decrevimus. Quare motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, a territorio praedicti vicariatus apostolici de Chengtingfu novem sequentes sub-praefecturas civiles, nempe de Kwangtsung, Kiülu, Pingsiang, Nanho, Jenhsien, Tongshan, Hingtai, Shahohsien, Neikiu seiungimus sive dismembramus, earumdemque territorium in novam apostolicam praefecturam, « de Shuntenhfu » nuncupandam, erigimus, eamque ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum curis Sodalium e Congregatione Missionis committimus. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Haec statuimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive spectare poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die n mensis Martii, an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri duodecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

Iii

EX APOSTOLICO VICARIATU DE NANYANGFU ATQUE EX PRAEFECTURA DE SINYANGCHOW SEPARATO TERRITORIO ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE CHUMATIEN IN SINIS, CLERO INDIGENAE COMMITTENDA.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Supremi Apostolatus officium Nobis divinitus commissum postulat ut quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, nulla interposita mora praestemus. Iamvero cum venerabilis frater Celsus Costantini, Archiepiscopus titulo Theodosiensis, Delegatus Apostolicus in Sinis, septem ab hinc annis, Vicario Apostolico de Nanyanfu consentiente, eiusdem vicariatus territorii partem presbyteris sinensibus concredendi et in praefecturam apostolicam erigendi consilium müsset, ea omnia parari coepta sunt quae ad hunc finem necessaria et op-

portuna videbantur. Nunc autem idem Delegatus Apostolicus simul cum venerabili fratre Flaminio Bellotti, Episcopo titulari Sufetulensi, Vicario Apostolico de Nanyangfu, preces Nobis enixas adhibuit, ut ad optatam praefecturae apostolicae erectionem procedamus. Quibus votis Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Sacrae Congregationis Eidei Propagandae praepositis, omnibus rei momentis sedulo studio perpensis, benigne concedendum existimavimus. Quare, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, ex vicariatu de Nanyangfu quattuor sequentes sub-praefecturas civiles, nempe de Tongpeh, Miyang, Yeshyen, Wuyang, ex praefectura vero apostolica de Sinyangchow tres sequentes sub-praefecturas civiles, nempe de Siping, Suiping, Kioshan seiungimus sive dismembramus. Praedictarum vero sub-praefectùrarum civilium territorium, ita per Nos separatum sive dismembratum in praefecturam apostolicam erigimus cui nomen facimus *de Chumatien* et curis committimus sacerdotum e clero indigena Sinensi.

Haec mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **n** mensis Martii, an. MDCCCCXXxm, Pontificatus Nostri duodecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

IV

AUGETUR, TERRITORIO **E** VICARIATU APOSTOLICO **DE** SUTFU ATQUE **IN** VICARIATUM APOSTOLICUM ERIGITUR PRAEFECTURA **DE** YACHOW IN SINIS.

PIUS PP. XI .

Ad futuram rei memoriam. — Quod divinus Magister apostolis suis eorumque successoribus praeceptum dedit eundi in mundum universum atque praedicandi Evangelium omni creaturae, sic Nos urget ut ea quae christiano nomini propagando aptiora videantur incessanter procurare

studeamus. Iamvero cum vicariatus apostolicus de Suifu in Sinis, sodalium Societatis Parisiensis Missionum ad exteras gentes curis commissus latissime pateat, cumque, contra, finitima praefectura apostolica de Yachow, clero indigenae Sinensi concredita, ob territorii angustiam et parvum incolarum numerum vix possit laeta incrementa suscipere, venerabilis frater Ioannes Baptista Guébriant, Archiepiscopus titularis Marianopolitanus, praedictae Societatis Parisiensis Moderator generalis, expostulavit a Nobis ut praefectura de Yachow, quam diximus, ampliaretur et ad potiorem vicariatus apostolici gradum elevaretur. Collatis igitur consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Bomanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Fidei Propagandae praepositis, omnibusque rei momentis mature perpensis, huiusmodi precibus concedendum esse existimavimus. Quapropter motu proprio atque ex. certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, quinque subpraefecturas civiles, quae sinensi sermone vocantur de Tsin-yen, Jenchow, Penchan, Tsinchen, Meichow ex vicariatu apostolico de Suifu seiungimus, easque praefecturae apostolicae de Yachow canonice unimus, ita ut eadem praefectura ex nunc constet ex territorio quindecim subpraefecturarum civilium, idest quinque iam dictarum et decem quae nominantur de Yachow, Minghshan, Pukiang, Tanning, Hungya, Kiakjang, Omei, Opien, Yungking, Lushan. Hanc autem praefecturam apostolicam sic amplificatam ad maiorem dignitatem vicariatus apostolici, eodem servato nomine de Yachow, evehimus, et sacerdotum e clero indigena sinensi curis relinquimus.

Haec edicimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Bomae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die m mensis Martii, anno **MDCCCCXxxrn,** Pontificatus Nostri duodecimo.

E. Card. PACELLI, *a Secretis Status.*

V

IN VICARIATUM APOSTOLICUM ERIGITUR APOSTOLICA PRAEFECTURA DE YUNGNIEN IN SINIS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Comperimus non sine magno animi Nostri gaudio in praefectura apostolica de Yungnien, quam anno MDCCCCXXVIII curis concredidimus presbyterorum indigenarum, catholicam religionem magna brevi tempore suscepisse incrementa, et spem eifulgere maiora etiam quam primum susceptum. Ultro libenterque igitur annuere statuimus precibus venerabilis fratris Gelsi Costantini, Archiepiscopi titularis Theodosiopolitani, Nostri in Sinis Delegati, qui expostulavit a Nobis ut, ad maiorem animarum spirituale bonum et ad peculiarem benevolentiam Nostram erga clerum et populum Sinensem magis magisque ostendendam, praefecturam apostolicam de Yungnien, quam diximus, ad potiorem gradum vicariatus apostolici eveheremus. Quare, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris S. E. Ecclesiae Cardinalibus Sacrae Congregationi Propagandae Eide praepositis, omnibus rei momentis mature perpensis, motu proprio atque certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, praefecturam apostolicam de Yungnien ad ampliorem dignitatem vicariatus apostolici, iisdem servatis finibus et titulo de Yungnien, evehimus, quem curis cleri saecularis indigenae concreditum relinquimus.

Haec edicimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Martii an. MDCCCCXXXIII, Pontificatus Nostri decimosecundo.

E. Card. PACELLI, *a secretis Status.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACKA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

i

AGRIENSIS-STRIGONIENSIS

DE MUTATIONE FINIUM ARCHIDIOECESIM

DECBETTJM

Fideles pagi *Rálcóczitelep* pertinentes ad paroeciam *Nagybátony* in archidioecesi Agriensi, ab Apostolica Sede efiiagitarunt ut aggregarentur viciniori curatiae *Mátraverebély* paroeciae *NagybárMny,* quae pertinet ad archidioecesim Strigoniensem.

Porro Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI, rei opportunitate perpensa, attento consensu tum Ordinarii Strigoniensis tum Ordinarii Agriensis, atque praehabito favorabili voto E. P. D. Angeli Botta Archiepiscopi titularis Thebani et Nuntii Apostolici in Hungaria,, oblatas preces benigne excipiendas decrevit.

Quapropter vi praesentis Consistorialis decreti statuit ut praefatus pagus *Rálcóczitelep* a paroecia *Nagybdtony* et ab archidioecesi Agriensi separetur atque curatiae *Mátraverebély* paroeciae *NagybárMny,* ad archidioecesim Strigoniensem pertinentis, perpetuo uniatur, mutatis hac ratione finibus earumdem archidioecesium.

Ad haec autem exsecutioni mandanda, Sanctitas Sua deputare dignata est praefatum E. P. D. Angelum Eotta, eidem tribuens facultates ad id necessarias et opportunas etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidem facto onere mittendi intra sex menses ad hanc Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis actus.

Datum Eomae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 21 Aprilis 1933.

Fr. E. C. Card. Bossi, *a Secretis.*

L. $ S.

V. Santoro, *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XI, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

4 Novembris 1933. — Cathedrali Ecclesiae S. Thomae de Meliapor praefecit R. D. Carolum de Sà Fragoso, Praelatum Domesticum Sanctitatis Suae.

— Cathedrali Ecclesiae Coccinensi, R. D. Abilium Yaz das Neves, presbyterum dioecesis Brigantiensis.

12 Novembris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Darensi, R. D. Torquatum Dini, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium et Rectorem Pontifìcii Collegii Urbani de Propaganda Fide, quem deputavit Delegatum Apostolicum inAegypto, Arabia, Erythraea, Aethiopia, Palaestina, Transiordania, et insula Cypro.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

SUBRETTINA

SUBSTITUTIONE IN CHORO

Die 9 aprilis 1932

Litteris diei 21 Ianuarii 1931 Archiepiscopus Surrentinus huic S. Congregationi Concilii referebat, dignitates Capituli cathedralis ex antiquis 'constitutionibus oneri adstrictas esse praestandi servitium chorale, itemque morem esse inductum ut a canonicis in hoc servitio substituantur. Quapropter pro opportuna solutione eidem Sacrae Congregationi hoc dubium proposuit: « Utrum in servitio chorali dignitates a canonicis possint substitui, an per alias tantummodo dignitates haec substitutio fieri debeat ».

ANIMADVERSIONES. - Concilium Tridentinum, sess. XXIY, cap. 12 *De ref.,* decrevit officia choralia a capitularibus, per se ipsos, obeunda esse: « Obtinentes in cathedralibus dignitates, canonicatus, praebendas aut por-

tiones omnes divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia ». « Patet igitur, ait Fagnanus (in c. *Cum omnes,* lib. I Decret., de const., n. 28) sublatam esse quamcumque consuetudinem inserviendi per substitutum in cathedralibus ecclesiis ». At, quia disciplina illa nimiam severitatem sapere visa est, haec Sacra Congregatio in *Eugubina* diei 15 Decembris 1605 declaravit: « non esse sublatam capitularibus facultatem sese invicem substituendi, dummodo eodem tempore substituens et substitutus eidem servitio adstricti non sint ».

Praeter haec, communior sententia fuit ut substituens eiusdem ordinis ac dignitatis esset ac substitutus, adeo ut dignitates alias dignitates, canonici et portionarii respective alios canonicos et portionarios, in sua quisque substitutione, deputare tenerentur (De Herdt, *Praxis capit.,* cap. XXVII, § 10). Immo Barbosa hanc sententiam decisione S. B. Congregationis in *Abulen.* (sine data) fulciri censuit, scribens: « Si quando aliquis capitularis legitimo impedimento detentus, ea per se ipsum adimplere non poterit, tunc alios, *eiusdem tamen ordinis et gradus,* non autem inferioris, dignitates nempe alias dignitates, canonici canonicos, et portionarii respective portionarios in sua quisque hebdomada, ne graduum et ordinum praerogativae confundantur, deputare debebunt » *(De canon, et dignit.,* cap. 31, n. 6). Et Garcías de authenticitate memoratae decisionis seipsum testem facit: « Quam declarationem vidi authenticam, nempe manu d. Illustrissimi Cardinalis Comen, et d. Secretarii subscriptam et sigillo eius Cardinalis munitam» *(De benef.,* cap. II, n. 497). Attamen in decretorum authentica collectione S. C. Eituum memorata decisio non invenitur.

Quapropter de hac re certo constare aliquis auctor in dubium revocabat. Ita Monacelli *(Form. leg.,* tit. 2, form. 4, adnot. 9), et inter recentiores D'Annibale qui, veterem disciplinam paucis colligens, scribit: « Quamvis autem quisque haec officia per se obire debeat, nihilominus non est sublata facultas se invicem substituendi, dummodo: I°) substituens sit praesens in civitate ubi exstat ecclesia, ut in suburbiis vel territorio; 2°) substitutus sit unus ex capitularibus; 3°) uterque eodem tempore eidem servitio non sint adstricti ». Et addit in nota: « Utrum vero esse debeat eiusdem coetus, non satis constat » *(Summ, theol, mor.,* p. III, n. 178). Itemque Oietti *(Synopsis,* v. *Canonici,* n. 733).

Sed animadvertendum est agere hos auctores *de substitutione in genere, idest et de canonicis et de beneficiatis, non vero de dignitatibus, de quibus modo est quaestio.

Veterem autem iuris disciplinam, quam communiore sententia Doctores amplectebantur sanxit Codex, statuens in canone 419: « In ecclesiis in quibus non omnes simul choro intersunt, qui ad eum adstringuntur ne-

queunt per alium huic obligationi satisfacere, nisi in casibus particularibus, iusta et rationabili de causa, et modo substitutus eodem tempore servitio chori non sit adstrictus, et *sit in eadem eeelesia canonicus, si agatur de supplenda vice canonici, beneficiariis, si de beneficiarii)).* Quod si de dignitatibus in citato canone expressa mentio non fit ex eo fortasse quod, cum sint numero pauciores, perraro substitutio locum habeat, de iisdem tamen per analogiam idem sentiendum esse recte arguitur. At, quia dignitates, qua *tales,* munia sibi peculiaria obire debent, de quibus in canone 397, quatenus vero sunt canonici, iisdem officiis ut ceteri canonici sunt adstricti, rectius videtur inferri quod in his postremis quae sunt omnibus communia a canonicis possint substitui, non in iis quae, ut dignitates, sibi sunt propria et peculiaria munia.

RESOLUTIO. - His omnibus perpensis, in Congregatione plenaria, die 9 Aprilis .1932 habita, proposito dubio:

An dignitates in servitio chorali a canonicis substitui possint, in casu.

Emi Patres responderunt:

Negative quoad officia dignitatum propria; affirmative quoad officia communia, ad normam tamen iuris.

Pacta autem de his Ssmo **Duo** nostro div. Prov. Pio Pp. XI relatione per Secretarium huius Sacrae Congregationis in Audientia diei 18 Aprilis 1932, Sanctitas Sua hanc resolutionem approbare et confirmare dignata est.

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Decreto huius Sacri Consilii christiano nomini propagando dato die 30 Iunii 1933 Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI dignatus est deputare in Vicarium Apostolicum Districtus occidentalis Promontorii Bonae Spei, R. P. D. Franciscum Hennemann, Episcopum titularem Coptitanum.

Insuper eadem Sacra Congregatio de Propaganda Fide renunciavit ad suum beneplacitum:

21 Iulii 1933. — R. D. Patricium Cleary, e Societate Sancti Columbani pro Missionibus exteris, *Praefectum Apostolicum de Kienchangfu.*

4 Augusti. — R. D. Petrum Wang, *Praefectum Apostolicum de Chumatien.*

26 Octobris. — R. P. Alfonsum Van Sambeck, e Societate Missionariorum Africae, *Superiorem ecclesiasticum Missionis de Loangwa.*

— R. D. Adolf um Poisson, e Congregatione Spiritus Sancti, *Praefectum Apostolicum insularum S. Petri et Miquelon.*

— R. D. Ignatium Krause, e Congregatione Missionis, *Praefectum Apostolicum de Shuntenhfu.*

— R. P. Silvestrum Wang, O. F. M., *Praefectum Apostolicum de Fongsiangfu.*

11 Novembris. — R. D. Dominicum Grassi, e Pont. Instituto Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Ambrosii et Caroli pro missionibus ad exteros, *Superiorum ecclesiasticum Missionis de Bezwada.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

i

PARISIEN.

CANONIZATIONIS B. LUDOVICAE DE MARILLAC VIDUAE LE GRAS CONFUNDATRICIS SOCIETATIS PUELLARUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet post indultam eidem Beatae ab Apostolica S-ede venerationem in casu et ad effectum de quo agitur.

Miserentis Dei providentia ut tot tantisque malis occurreret, quae ex bellis profluebant seu externis seu civilibus, decimoséptimo saeculo Galliam ita vastantibus, ut horrenda quae Iosephus Flavius in historia de iudaico bello narrat, facta quaedam renovarentur, insignem suscitavit virum, Vincentium a Paulo, eique coadiutricem emcacissimam in eo arduo caritatis opere perficiendo adiunxit, Ludovicam de Marillac, viduam Le Gras. Ea Parisiis sub saeculi xvi exitum e nobili gente orta, brevi annorum spatio utroque parente orbata, et tutelae piissimi patrui Michaelis commissa,

claustralis vitae amplexandae desiderium, quod mature conçeperat, moderatoris conscientiae suae consilio humiliter postponens, Antonio Le Gras, genere et christianarum virtutum splendore spectatissimo, anno 1613 nupsit, ex eoque filium genuit.

Anno 1625, viro pie defuncto, viduitatis votum nuncupavit, et sub prudenti et sanctissimo Vincentii a Paulo moderamine, omnigenis caritatis operibus ad mortem usque heroice incubuit. Qua urgente caritate, novo in Ecclesia exemplo, mulierum Societatem condendam feliciter suscepit, quae extra claustra omnibus pauperum necessitatibus subvenirent; sapientissimis ad id regulis, eodem S. Vincentio approbante, ab ea conscriptis.

Meritis onusta die decimaquinta Martii anno 1660 ad superos evolavit.

Leonis Papae XIII s. m. auctoritate Beatificationis huius Dei Famulae causa apud Sacram Bituum Congregationem introducta est: servatisque de iure servandis, Benedictus Papa XV fel. rec. Beatificationis honores ei die 9 Maii a. 1920 solemniter contulit.

Novis a Deo, ut ferebatur, eius intercessione patratis portentis, biennio post, Canonizationis causa fuit resumpta, et super duabus sanationibus Parisiis et Panormi adornati sunt processus, pro quorum iuridico valore diebus 8 Iulii a. 1925 et 20 Aprilis a. 1932 ab hac Sacra Congregatione edita sunt decreta. Quum autem postea, quae Panormi evenerat, sanatio seposita fuerit, de alia mira sanatione Labaci processus est constructus, cuius iuridica vis per decretum datum die 1 Februarii anni huius probata fuit. Itaque de sanationibus, quae Lutetiae Parisiorum et Labaci contigerunt, disceptatum est.

Soror Teresia, in saeculo Maria, Darracq, e Societate Puellarum a caritate S. Vincentii a Paulo, iam inde ab anno 1908 Pottiano morbo tentari coepit, qui per duodecim annos, accedente meningite spinali tuberculari, eamdem dire vexavit adeo ut, flaccidis paralysi inertibusque cruribus, lecto affixa, viribusque corporis in dies deficientibus, iam morti proxima videretur. Quum incassum omnes medicae curationes cessissent, Beatae Matris Ludovicae auxilium per binas integras novendiales preces infirma et censor ores implorarunt. Et mirum ! dum ipso mane diei 28 Maii a. 1920, decimae nonae post eiusdem beatificationem, in pessimis, uti antea, versabatur teterrimi morbi conditionibus, hora ante meridiem decima, Soror Teresia de repente, depulsis illico doloribus, novam veluti vitam in se innuere sentit, e lecto surgit, ad domesticum sacellum, nemine adiuvante, se confert perfecte sanata. In quem morbum, uti periti physici testantur, non amplius recidit. Unanimis est peritorum sententia in miraculo conclamando. Parisiis haec evenere.

Soror Veronica, in saeculo Agnes, Hocevar, ex eadem Societate, tuberculari diathesi ab adolescentia affecta, primaria adenopathia hilari peribronchiali et mediastinica tuberculari laboraverat, pleurite pariter tuberculari fuerat afflicta. Exinde pleuro-pericardicae adhaesiones cum miocardica insufficientia processerunt, quae in iuge vitae periculum Sororem adduxerunt, quaeque insanabiles erant, uti concorditer docent in arte periti. Eo autem res devenerat, ut infirma anhelo saepe pectore spiritum aegre traheret, frequentibus cordis pulsationibus moleste laboraret, totoque debilitata corpore in peius quotidie, sine ulla spe, rueret.

Iamvero hora post meridiem quinta diei 29 Ianuarii anno 1926, novendialium precum ad B. Ludovicae implorandam intercessionem ultimae, Soror Veronica in instanti et perfecte sanata est, ita ut graviter laboriosa officia, a quibus diutissime omnino impediebatur, sine ullo incommodo iterum suscipere valuerit, et in optima a praegresso morbo recuperata valetudine, perseveraverit, uti periti physici testantur. Ex quibus omnibus miraculi character clare in hac sanatione elucet, prouti etiam omnes adlecti ab hac Sacra Congregatione periti unanimi sententia agnoscunt.

Sanatio haec Labaci contigit.

De priore sanatione, Parisiensi, Antepraeparatoria Comitia apud Emum Card. Alexandrum Verde, Causae Ponentem seu Eelatorem, die 28 Iun. 1932 habita sunt. De altera, Labacensi, Antepraeparatoria Congregatio apud eumdem Emum Cardinalem die 9 Maii mensis hoc eodem anno habita est. Praeparatoria vero de utroque asserto miraculo apud Vaticanas Aedes die 18 Iulii mensis: Generalis demum coram Ssmo D. N. die 24 nuper elapsi mensis coacta est. In qua Emus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Eelator, sequens proposuit Dubium: *An et de quibus miraeulis constet, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi Cardinales, Officiales Praelati et PP. Consultores suum quisque protulere suffragium. Ssmus vero D. N. cunctari aliquantisper duxit, divini luminis copiam communibus precibus imploraturus.

Ad mentem vero suam pandendam hanc diem primam Novembris mensis congrue selegit, ut in hac sollemni Sanctorum Omnium festivitate novo miraculorum fulgore haec insignis caritate mulier illustrata appareret, quae vere de tribulatione magna ad caelestem patriam victrix pervenit.

Quapropter Rmos Cardinales Camillum Laurenti, S. E. C. Praefectum, et Alexandrum Verde, Causae Ponentem seu Relatorem, una cum R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, meque infrascripto Secretario ad Se aceiri iussit, et, sacrosancto Eucharistico Sacrificio religiosissime litato, eisque adstantibus, pronunciavit: *Constare de duobus miraculis Beata Ludovica de Marillac Vidua Le Gras intercedente, a Deo patratis;*

scilicet: *de instantánea perfectaque sanatione tum Sororis Teresiae Darracq a morbo Pottiano dorsuali cum spinali meningite tuberculari coniuncto, tum Sororis Veronicae Hocevar ab insanabilibus adJiaesionibus pleuro-pericardicis cum insufficientia myocardica.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. E. C. referri mandavit.

Die 1 Novembris anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. © S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

PARISIEN.

CANONIZATIONIS B. LUDOVICAE DE MARILLAC VIDUAE LE GRAS CONFUNDATRICIS SOCIETATIS PUELLARUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An, stante duorum miraculorum approbatione post indultam eidem Beatae venerationem, tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

De caritatis laudibus edisserens, S. Augustinus ita mirifice eloquitur: « Quanta est ista (caritas) ? Anima litterarum, scientiae solidamentum, fidei fructus, divitiae pauperum, vita morientium... Inter opprobria secura est, inter odia benefica est, inter iras placida est, inter insidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illa fortius non ad retribuendas, sed ad non curandas iniurias? » (Serm. 350, 3). Tota B. Ludovicae vita hisce verbis graphice descripta videtur. In triplici enim statu, virginitatis, coniugii et viduitatis, insigne caritatis exemplar B. Ludovica effulsit, et notas, quas ex Augustino audivimus, apprime in se expressit.

Ex Ludovico de Marillac, dynasta de Farinvilliers et Margarita Le Camus, nobilibus et avita pietate claris, ineunte Augusto mense, anno 1591, Lutetiae Parisiorum orta est Ludovica. In ipsa prima infantia, matre orbata, prius monialibus Ordinis S. Dominici in monasterio S. Dionysii in loco vulgo dicto « Poissy », a patre traditur instituenda: deinde Lutetiam revocata curis cuiusdam piae magistrae committitur, apud quam cum nonnullis aliis honestis puellis commorans, suavem iam dabat virtutum omnium odorem. Anno 1604 patre vita defuncto, puellae curam quam diligentissimam Michael de Marillac, eius patruus, egit, qui eam et solidis virtutibus

formandam et humanioribus litteris, quin et philosophicis disciplinis excolendam felici successu sategit. Suae conscientiae moderatori morem gerens, licet inter rigidissimae disciplinae Capul atas moniales adnumerari vehementer optasset, cum nobili ac piissimo viro Antonio Le Gras anno 1613 matrimonium inivit. In ipso coniugio quod saepe ab altiore divinarum rerum studio avocare solet, nihilosecius perfectionis cursum, quem ab adolescentia arripuerat, alacriter prosequi institit, sociumque in excolendis virtutibus Antonium habuit; quem multis agitatum vitae procellis multisque tentatum doloribus mira patientia et caritate solata est, atque ad fortiter patiendum confirmavit. Sui autem spiritus moderatoribus S. Francisco Salesio, eiusque dilecto discipulo Episcopo Bellicensi prius, postea vero ab anno .1623 ad mortem usque, non sine divinae providentiae consilio, S. Vincentio a Paulo usa est.

Filium ex matrimonio susceptum, Michaelem Antonium, summa cura educare piissima mater contendit.

Anno 1625, demortuo coniuge, viduitatis perpetuo servandae votum nuncupavit, atque, ut omnigenis pauperum necessitatibus subveniret, quod semper in votis habuerat, nobilium matronarum sodalitio, cui a *Caritate* nomen, adscribi voluit, in quo piae illae mulieres, Vincentio dirigente, sive Parisiis, sive alibi, horrendis, quibus tunc temporibus nonnullae Galliarum provinciae premebantur, calamitatibus, opem ferre studebant. Inter eas virtutum splendore et actuosa vita, summa humilitate comitante, Ludovica excelluit, quam Deus ad altiora paraverat.

Quo enim tot tantisque operibus perficiendis et perennandis prospiceret, Filiarum seu Puellarum a Caritate novam societatem, S. Vincentio fautore, ad instar religiosae familiae, nobili, pro eorum temporum adiunctis, ausu condidit, sapientissimis legibus communivit, utque a generali Congregationis Missionis Moderatore regeretur obtinuit. Ea autem Societatis huius fuit ratio, ut sodales nullo claustrali vinculo adstrictae, pauperum servitio adducerentur. Societas die 29 Novembris anno 1633, tribus ferme ab hodierno die saeculis, initium coepit. Paullo autem post mystica haec arbor in humilitate, in simplicitate et in caritate, veluti altis defixa radicibus, propria vita virescere coepit, suosque ramos ad omnia caritatis opera mire extendit. Hinc factum est ut novae huius Societatis alumnae, non tantum priori saecularium matronarum caritatis sodalitio adiutricem opem ferrent, sed et seiunctim ab eo, ac magis effuso impetu caritatis matris exemplo permotae, sive in privatis domibus, sive in nosocomiis, aegris, vel pestifero morbo affectis, adessent, ludos pro pauperibus puellis instituendis aperirent, senibus, orphanis et derelictis infantibus maternam cuiam impenderent, carcere detentis, ad trirèmes damnatis pium solamen

afferrent. Quin immo et act cruentos praeliorum campos, vulneratis militibus adiuvandis media inter arma, flagrante certamine impavidae accurrerent.

Quam Deo grata Societas haec fuerit, ipsa eius mirabilis per decurrentia saecula propagatio testatur: quaeque nunc exstat tantae Matris sobóles quadraginta millium filiarum, quae late per orbem, praeclaro caritatis exemplo, omnigenis hominum indigentiis miseriisque succurrunt. Sed nec silenda martyrii palma, quam nonnullae retulerunt, nec praetereundus insignis ille favor prodigiosi numismatis, quo Virgo Immaculata, per B. Catharinam Labouré, delectum hoc virginale caritatis agmen velut proprio emblemate decoravit.

In hoc tam magnifico ac tam salutari opere, quod ex infiammato B. Ludo vicae corde prodivit, conspicere sane est quomodo, iuxta Augustini praeconium, caritas revera facta sit *anima litterarum, scientiae solidamentum, fidei fructus, divitiae pauperum, vita morientium.* Verum cum Dei opera cruce, veluti sigillo, sint obsignanda, opprobriis, odiis, iris, insidiis, insectata B. Ludovica est, sed Deo confisa *inter opprobria... inter odia... inter insidias,* sui victrix iniurias non retribuii, sed *secura, benefica, placida, innocens* incessit *inter iniquitates gemens, in veritate respirons* (Aug., 1. c).

Nihil tam arduum quod ad animas Christo lucrandas invicta femina non susciperet. Porro non viarum asperitas, non itinerum pericula, non frigus, non aestus, non fames, non nuditas eam, infirma semper ac tenui valetudine laborantem, ab agendo retraxerunt.

Februario mense ineunte, anno 1660 in extremum morbum incidit.

Medios inter dolores summa animi demissione-, peccatricem se existimans, « Ubi peccatum abundat, aiebat, pati necesse est: Deus me iuste punit, et puniendo misericordiam elargitur »•. Die 15 Martii morientium Sacramentis refecta sanctissime in Domini osculo obdormivit annos nata 69.

Sanctitatis vitae f ama illico non solum in utraque Vincentiana familia, sed per orbem diffusa quidem est, apud vero S. B. C. nonnisi sub elapsi saeculi finem, Leonis XIII fel. rec. auctoritate, beatificationis causa fuit introducta. Heroicis virtutibus et tribus miraculis rite probatis, a Benedicto Papa XV s. m. Beata fuit renuntiata. Canonizationis causa die 22 Novembris mensis anno 1922 resumpta fuit; duo autem miracula a Deo, ea intercedente, patrata fuisse, per S. B. C. decretum in Festo Omnium Sanctorum nuper editum, declaratum est.

Ut autem ad ulteriora procedi posset, discutiendum adhuc erat dubium: *An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam ab Apostolica Sede Beatae Ludovicae de Mar illae Viduae Le Gras venerationem, tuto procedi possit ad sollemnem ipsius Beatae Canonizationem.* Quod dubium

a Rmo Cardinali Alexandro Verde, causae Ponente seu Relatore in Generali Sacrorum Rituum Congregatione coram Ssmo D. IST. die 7 Novembris habita propositum fuit. Rmi Cardinales, Officiales Praelati et Consultores unanimi suffragio in affirmativam conveñére sententiam, quam Beatissimus Pater benigne excepit. Suam autem mentem aperire distulit, ut interim divinum beneplacitum multiplicatis precibus magis patefieret.

Diem hanc, Dominicam XXIII post Pentecosten selegit, in qua congrue ad rem nostram locum Evangelii legimus. Etenim insigne Christi miraculum fìliolam archisynagogi pro sua infinita caritate ad vitam revocantis, nos edocet eodem Christo vivificante, perpetúan in Ecclesia per suos Sanctos, ut mirabili exemplo in B. Ludovica lucet, ea praestantissima miracula, quibus si frequenter mortali vitae servantur hominum corpora, potiore victoria ad ineffabilem vitam gratiae innumerae suscitantur animae. Vere *vita morientium* caritas (Aug., loc. cit.). Laetandum equidem ad supremos altarium honores iam properare hanc caritatis heroidem, qua non solum Gallia, felix Sanctorum altrix, sed et universa nobilitatur Ecclesia.

Arcessitis itaque Emis Cardinalibus Camillo Laurenti, S. R. C. Praefecto, et Alexandro Verde, Causae Relatore, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, meque infrascripto Secretario, sacrosancto Eucharistico Sacrificio pientissime litato, pronunciavit: «Tuto *procedi posse ad Beatae Ludovicae de Manilae, Viduae Le Gras, Canonizationem ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. R. C. referri mandavit.

Die 12 Novembris anno Domini 1933.

C. Card. LAURENTI, *Praefectus.*

L. © S.

A. Carinci, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

CIRCA "INDULGENTIAS RECITATIONI ROSARII: ET PIO VIAE CRUCIS EXERCITIO QUIBUSDAM IN ADIUNCTIS LUCRANDAS.

Saepius huic Sacro Tribunali supplices libelli oblati sunt ut animum Summi Pontificis intentum facere dignaretur in difficultates, quibus non raro obnoxii sunt christifideles, gestandi scilicet in manu, prout generatim praescriptum est, sive coronam pro acquirenda maiore indulgentiarum parte, quae recitationi sancti Rosarii sunt adnexae, sive Crucifixum pro lucrandis indulgentiis Viae Crucis, adnexis recitationi viginti *Pater, Ave* et *Gloria,* quod quidem in eorum favorem conceditur, qui impediuntur, quominus iter quatuordecim stationum complere queant. Hae supplicationes eo spectant ut idem Sacrum Tribunal a Summo Pontifice indultum benigne ab huiusmodi implenda praescriptione, his difficultatibus occurrentibus, obtineat.

Infrascriptus Cardinalis Paenitentiarius Maior, in audientia sub die vigesima Octobris proxime elapsi, prout sui officii erat, de his petitionibus Ssmum D. ET. Pium Pp. XI certiorem reddidit, qui vehementer exoptans, ut quantum fieri possit, usus utriusque salutaris exercitii facilior evadat, ideoque maior frequentia in dies succrescat, — sive quia sacratissimi Rosarii cultus Genitrici Dei Mariae est gratissimus atque ad eius maternam protectionem impetrandam efiicacissimus, sive quia erga Iesum Crucifixum pietas aptissima est ad christianos animos sancte commovendos ad memoriam recolendam mysteriorum Redemptionis, cuius hoc anno exiens undevicesimum saeculum ut perquam solemniter commemoraretur Ipse voluit et imperavit, — praefatarum difficultatum valore mature et aeque perpenso atque recognito, nolensque eas obstaculum fore allaturas spiritualibus beneficiis, quibus christifideles frui valeant, benigne concedere dignatus est ut quoties vel causa operis manualis vel propter'aliam rationabilem causam oriatur impedi-

mentum, quominus, iuxta praescriptiones, in manibus gestari queant vel corona vel Crucifixus, quibus accessit benedictio ad lucrandas Indulgentias vel Ssmi Rosarii vel Viae Crucis, possint cuncti fideles easdem lucrari, dummodo recitatione, de qua agimus, durante, secum quomodocumque coronam vel Crucifixum deferant.

Praesentibus, absque Apostolicarum Litterarum expeditione, in perpetuum valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Paenitentiariae, die 9 Novembris 1933.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. $ S.

I. Teodori, *Secretarius.*

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

NEO-EBORACEN.

NULLITATIS MATRIMONII (TRONCELLITI-ALESCIO)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Viti Alescio, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via delia Dataria, 94) die 11 Decembris 1933, hora *1%* ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An sententia Rotalis diei 14 Aprilis 1933 — qua declaratum est constare de nullitate in casu — *sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Viti Alescio, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.

L. J$j S. U. Mannucci, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 20 Novembris 1933.

T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 7 Novembre 1933, dinanzi all'Augusta presenza del Santo Padre, fu tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Eihi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali e Revmi Consultori teologi, facenti parte della stessa Sacra Congregazione, hanno dato il loro voto sul *tuto* per la Canonizzazione della Beata Ludovica Marillac, vedova Le Gras, fondatrice delle Figlie della Carità, e sopra due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione del Beato Pompilio Maria Pirrotti, Confessore, della Congregazione dei Chierici Regolari della Madre di Dio, Scuole Pie, e che vengono proposti per la sua Canonizzazione.

Martedì, 14 Novembre 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, innanzi all'Augusta presenza del Santo Padre, ha avuto luogo la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Re voli Signori Cardinali, i Revmi Consultori teologi e i Prelati Officiali hanno dato il loro voto sul dubbio detto del *tuto* per la solenne Canonizzazione della Beata Maria Michela del Santissimo Sacramento e della Carità, e del Beato Pompilio Maria Pirrotti, sacerdote della Congregazione dei Chierici Regolari della Madre di Dio delle Scuole Pie; inoltre si è discusso sopra due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione del Beato Giovanni Bosco, Confessore, fondatore della Pia Società Salesiana, e che vengono proposti per la sua solenne Canonizzazione.

Martedì, 21 Novembre 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali, dei Revmi Prelati Officiali e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, ha avuto la Congregazione *Preparatoria* per discutere sopra due miracoli che si asseriscono da Dio operati per intercessione del Ven. Servo di Dio Contardo Ferrini, professore nell'Università di Pavia, miracoli che vengono proposti per la sua solenne Beatificazione.

Venerdì, 24 Novembre 1933, nel Palazzo Apostolico Vaticano, ha avuto luogo la Congregazione *Particolare* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali, facenti parte della medesima, hanno discusso sopra le seguenti materie:

I. Sulla validità del Processo Apostolico costruito nella Curia arcivescovile di Torino sopra un miracolo del Beato Giuseppe Benedetto Cottolengo„ fondatore della Piccola Casa delia Divina Provvidenza in Torino.

li. Validità del Processo Apostolico costruito nella Curia ecclesiastica di Innsbruck sopra di un miracolo del Beato Corrado da Parzham, laico professo dell'Ordine dei Frati Minori Cappuccini.

III. Sulla validità del Processo Apostolico costruito nella Curia ecclesiastica di Barcellona sopra di un miracolo del Ven. Servo di Dio Antonio M. Claret, Arcivescovo di S. Giacomo di Cuba e fondatore dei Missionari del Cuore Immacolato di Dio.

IV. Intorno alla validità del Processo Apostolico sopra di un miracolo della Vén. Serva di Dio Margherita Bourgeoys, fondatrice delle Suore di Nostra Signora.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

3 Novembre 1933. S. E. Revma Monsig. Giuseppe Pizzàrdo, Arcivescovo tit. di Nicea, Segretario della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari, e il Rev.do D. Giulio Guidetti, *Consultori della Sacra Congregazione dei Religiosi.*

20 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Camillo Laurenti, Prefetto della Sacra Congregazione dei Riti, *Procuratore delle Canonizzazioni della Beata Maria Bernarda Soubirous e della Beata Giovanna Antida Thouret, che avranno luogo prossimamente nella Patriarcale Basilica Vaticana.*

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Angelo Maria Dolci, *Membro della Sacra Congregazione de Propaganda Fide.*

Con Brevi apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

16 Marzo 1933. S. E. Rma Monsig. Filippo Bernardini, Arcivescovo tit. di Antiochia in Pisidia, *Delegato Apostolico in Australasia.*

22 Maggio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore dell'Istituto delle Suore Missionarie delVImmacolata Concezione* (Montréal).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Angelo Maria Dolci, *Protettore dell'Ordine dei Minori.*

13 Luglio 1933. L' Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni-Biondi, *Protettore della Società di Maria* (Marianisti).

» ' » » L'Emo e Revino Signor Cardinale Angelo Maria Dolci, *Protettore delle Figlie del Calvario* (Tivoli).

15 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore della Congregazione delle Suore Missionarie del Preziosissimo Sangue* (Bois le Due: Aarle-Rixtel).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore della Congregazione delle Suore Missionarie di Nostra Signora degli Apostoli* (Lione).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore del Collegio di S. Girolamo degli Illirici* (Roma).

20 » » L'Emo e Revino Signor Cardinale Pietro Segura y Saënz, *Protettore dei Monasteri dell'Ordine di S. Brigida* (o del Ssmo Salvatore).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Giulio Serafini, *Protettore dell'Istituto delle Maestre Pie Venerini.*

24 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore dell'Istituto delle Religiose del Sacro Cuore di Maria* (Béziers-Montpellier).

» » » L'Emo e Revino Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore delle Canonichesse Missionarie di Sant'Agostino* (Malines: Lovanio).

28 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore della Congregazione delle Suore del Ssmo Sacramento e della Carità* (Bourges).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore dell'Istituto delle Suore della Compassione* (Wellington).

31 » » L'Emo e Revino Signor Cardinale Eugenio Pacelli, *Protettore dell'Istituto dei Fratelli delle Scuole Cristiane.*

1 Agosto » Monsig. Desiderio Nobels, *Cappellano ^Comune Pontificio Sopr annumerar io.*

4 » » L'Eiìio e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore dell'Istituto delle Suore Francescane di S. Giuseppe* (Green Bay).

5 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Raffaello Carlo Rossi, *Protettore dei Monaci Benedettini Camaldolesi* (Roma: S. Gregorio al Celio).

8 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi,

Protettore dell'Istituto delle Suore della Carità (Cincinnati).

10 Agosto 1933. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore della Congregazione dei Preti delle SS. Stimmate di N. S. G. C.*

11 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Eugenio Pacelli, *Protettore dell'Istituto delle Suore di San Carlo Borromeo* (Praga).

12 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Eugenio Pacelli, *Protettore della « Ehrenwache des heiligsten Herzens Mariae»* (Monaco).

23 » » L' Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore dell'Istituto delle Suore di S. Agnese* (Milwaukee).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore dell''Istituto delle Suore dell'Immacolata Concezione* (Annecy).

7 Settembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore delle «Petites Sœurs de l'Ouvrier»* (Lilla: Nazareth).

15 » » L'Emo e Bevmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore dell'Istituto delle Suore Fedeli Compagne di Gesù* (Malines).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore dell'Istituto delle Suore di S. Maria* (Oregon).

23 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Luigi Capotosti, *Datario di Sua Santità.*

28 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Eugenio Pacelli, *Protettore delle Suore delle Scuole Cristiane della Misericordia* (Coutances).

6 Ottobre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Segura y Saënz, *Protettore dell'Istituto dei Fratelli del Sacro Cuore.* (Le Puy).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Alessio Enrico Lépicier, *Protettore dell'Istituto dei Fratelli Poveri di San Francesco Serafico* (Aachen).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Segura y Saënz, *Protettore delle Suore Carmelitane della Carità* (Vich).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Segura y Saënz, *Protettore della Congregazione delle Serve di Maria, Ministre degli infermi* (Roma).

18 Ottobre 1933. L'Emo o Revmo Signor Cardinale Lorenzo Lauri, *Protettore delle Suore di Carità* (Sidney).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore delle Suore della Misericordia di San Vincenzo de Paoli* (Zagabria).

- » » » L'Emo e Revino Signor Cardinale Teodoro Innitzer, *Protettore dell'Ordine Teutonico.*

27 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Eugenio Pacelli, *Protettore dell'Istituto delle Suore dei Poveri di S. Francesco* (Aquisgrana).

30 » » S. E. Rma Monsig. Paolo Marella, Arcivescovo tit. di Doclea, *Delegato Apostolico al Giappone.*

4 Novembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Lorenzo Lauri, *Protettore delle Suore del Ssmo Sacramento* (Lafayette).

8 » » S. E. Rma Monsig. Bartolomeo Cattaneo, Arcivescovo tit. di Palmira, *Tesoriere generale della B. Camera Apostolica.*

14 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore della Congregazione delle Suore della Divina Provvidenza* (S. Antonio - Texas).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Giulio Serafini, *Protettore delle Suore Adoratrici Perpetue del Ssmo Sacramento* (Roma).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pietro Fumasoni Biondi, *Protettore dell'Istituto delle Suore di Carità del Verbo Incarnato* (S. Antonio - Texas).

Assistenti al Soglio Pontificio:

7 Luglio 1933. S. E. Monsig. Paolo Rhode, Vescovo di Green Bay.

» » » S. E. Monsig. Giovanni Gföllner, Vescovo di Linz.

» » » S. E. Monsig. Enrico Streicher, Arcivescovo tit. di Brisi.

14 » » S. E. Monsig. Roberto Guglielmo Spence, Arcivescovo di Adelaide.

» » » S. E. Monsig. Francesco Alberti, Vescovo di La Piata.

» >> » S. E. Monsig. Giovanni D'Almeida Ferrao, Vescovo di Campanti a.

» » » S. E. Monsig. Adolfo Duparc, Vescovo di Quirn per.

» » » S. E. Monsig. Vittore Emmanuele Sagrada, Vescovo tit. di Irina, Vicario Apostolico di Toungoo.

5 Ottobre » S. E. Monsig. Trifone Pederzolli, Vescovo di Parenzo e Pola.

» » » S. E. Monsig. Giovanni Giuseppe McCort, Vescovo di Altoona.

5	*Ottobre*	*1933.*	S. E. Monsig. Alfonso Belloso, Arcivescovo di San Salvador.
»	»	»	S. E. Monsig. Ugo Singleton, Vescovo di Shrewsbury.
21	»	»	S. E. Monsig. Ettore Fronzi, Arcivescovo di Camerino.

Protonotarii Apostolici ad instar participantium :

20	*Marzo*	*1933.*	Monsig. Antonio Alvarez Caparros, della diocesi di Cartagena (Spagna).
22	*Maggio*	»	Monsig. Gioacchino di Leo, dell'archidiocesi di Palermo.
»	»	»	Monsig. Giulio Cantagalli, dell'archidiocesi di Bologna.
8	*Giugno*	»	Monsig. Giuseppe Baldi, dell'arci)idiocesi di Napoli.
»	»	»	Monsig. Camillo Balzano, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Gaetano Sandomenico, della medesima archidiocesi.
16	»	>>	Monsig. Francesco Olgiati, dell'archidiocesi di Milano.
20	*Luglio*	»	Monsig. Carlo Rossi, della diocesi di Pavia.
22	'»	»	Monsig. Francesco Mujesan, della diocesi di Trieste.
25	»	»	Monsig. Pietro Arthaud, dell'archidiocesi di Lione.
»	»	»	Monsig. Marcello Chevallier, della diocesi di Ne vers.
3	*Agosto*	»	Monsig. Alessandro Grigaitis, della diocesi di Vilkaviskis.
26	»	»	Monsig. Lodovico Lamerand, della diocesi di Lilla.
12	*Settembre*	»	Monsig. Raffaele Zepeda, dell'archidiocesi di Guadalajara.
26	*Ottobre*	»	Monsig. Renato De Boismarmin, dell'archidiocesi di Bourges.
»	»	»	Monsig. Serafino Banfi, della diocesi di Southwark.

Prelati Domestici di S. S.:

4	*Febbraio*	*1933.*	Monsig. Carlo • tìandloss, dell'archidiocesi di Vienna.
9	»	»	Monsig. Floriano Strausz, della diocesi di Sabaria.
»	»	»	Monsig. Scipione Pensuti (Roma).
8	*Marzo*	»	Monsig. Giovanni Origer, della diocesi di Lussemburgo.
9	*Aprile*	»	Monsig. Enrico De Masi, della diocesi di S. Agata de' Goti.
20	*Maggio*	»	Monsig. Gerardo Cornelio Van Noort, della diocesi di Haarlem.
»	»	»	Monsig. Teodoro Maria Vlaming, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Giovanni Cerny, della diocesi di Hradec Kralové.
»	»	»	Monsig. Teofilo Opatrny, dell'archidiocesi di Praga.
»	»	»	Monsig. Alberto Maria Bros, della diocesi di Meaux.
»	»	»	Monsig. Modesto Louis, della medesima diocesi.
29	»	»	Monsig. Ludovico Bilinszsky, della diocesi di Alba Julia.
31	»	»	Monsig. Liberato Tosti (Roma),
5	*Giugno*	»	Monsig. Tommaso M. Conroy, della diocesi di Fort Wayne.
6	»	»	Monsig. Andrea Boenigk, della diocesi di Warmia.
17	»	»	Monsig. Giovanni Rosso (Roma).
19	»	»	Monsig. Tommaso F. Egan, dell'archidiocesi di Chicago.

19	*Giugno*	*1933.*	Monsig. Daniele Byrnes, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Enrico Betto, della diocesi di Lomza.
26	»	»	Monsig. Secondo Stella, della diocesi di Asti.
8	*Luglio*	»	Monsig. Nicola Altavista, dell'archidiocesi di Rossano.
13	»	»	Monsig. Antonio Calcagna, della diocesi di Policastro.
18	»	»	Monsig. Luigi Scipioni dell'archidiocesi di Urbino.
19	»	»	Monsig. Dionigi Brano, della diocesi di Teggiano.
»	>>	»	Monsig. Giovanni Giuliani, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Boceo Zunni, della medesima diocesi.
25	»	»	Monsig. Enrico de la Selle, della diocesi di Le Mans.
»	»	»	Monsig. Pietro Jarry, della diocesi di Nevers.
28	»	»	Monsig. Guglielmo Enrico Flynn, della diocesi di Hartfort.
»	»	»	Monsig. Aristide Adinolfi, della diocesi di Ariano.
»	»	»	Monsig. Colomanno Papp, della diocesi di Giavarino.
29	»	»	Monsig. Ugo Me Menamin, della diocesi di Denver.
»	»	»	Monsig. Matteo Smith, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Guglielmo O'Ryan, della medesima diocesi.
5	*Agosto*	»	Monsig. Alfonso Poelaert, della diocesi d'Orano.
6	*Agosto*	»	Monsig. Marino Priori, della diocesi di Indianapolis.
8	»	»	Monsig. Giovanni Molino, della diocesi di Alba.
»	»	»	Monsig. Carlo Dubois Wood, della diocesi di Charleston.
9	»	»	Monsig. Giulio Bastai, dell'archidiocesi di Modena.
10	»	»	Monsig. Carlo Thiele, della diocesi di Fort-Wayne.
11	»	»	Monsig. Emilio Vincent, della diocesi di Sherbrooke.
»	»	»	Monsig. Zaccaria Letendre, della medesima diocesi.
12	»	»	Monsig. Giovanni Boylan, della diocesi di Des Moines.
»	»	»	Monsig. Vito Stoll, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Giovanni Agostino Ryan, dell'archidiocesi di S. Paolo del Minnesota.
28	»	»	Monsig. Carlo F. Goeckel, della diocesi di Scranton.
»	»	»	Monsig. Gualtiero A. Gorman, della medesima diocesi.
12	*Settembre*	»	Monsig. Giovanni J. Murphy, della diocesi di Newark.
22	»	»	Monsig. Guglielmo Byrne, della diocesi di Waterford.
16	*Ottobre*	»	Monsig. Pietro Baima dell'archidiocesi di Torino.
»	»	»	Monsig. Antonio Bronzin, delle diocesi di Parenzo e Pola.
20	»	»	Monsig. Giovanni Unterluggauer, della diocesi di Gurk.
23	»	»	Monsig. Vittore Chastrè, dell'archidiocesi di Bourges.
»	»	»	Mongig. Ludovico Breton, della medesima archidiocesi.
»	»	»	Monsig. Carlo Vitéz Subik, della diocesi di Agria.

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.

9	*Febbraio*	*1933.*	Monsig. Fabio Italiani, dell'archidiocesi di Perugia.
21	*Marzo*		Monsig. Felice del Campo, della diocesi di Madrid.
11	*Maggio*		Monsig. Faustino B. Falconi, della diocesi di Ayacucho.
6	*Giugno*		Monsig. Alessandro Frins, della diocesi di Berlino.
			Monsig. Edoardo Facchini, della diocesi di Sora.
22	»		Monsig. Gregorio della Tolla, del vicariato apostolico di Constantinopoli.
29	»		Monsig. Giacomo B. 0' Reilly, dell'archidiocesi di New York.
13	*Luglio*		Monsig. Uberto Busch, della diocesi di Aquisgrana.
»	»		Monsig. Giovanni Jade vaia, della diocesi di Caserta.
»	»		Monsig. Giacomo Lucchini, della diocesi di Como.
»	»		Monsig. Luigi Ortelli, della medesima diocesi.
27	»		Monsig. Vincenzo Fonzi, dell'archidiocesi di Chieti.
			Monsig. Stefano De Luca, della medesima archidiocesi.
6	*Agosto*	»	Monsig. Pietro Passaro, dell'abbazia di Cava dei Tirreni.
7	»	»	Monsig. Augusto Vigolungo, della diocesi di Alba.
16	»	»	Monsig. Bartolomeo Noetti, della diocesi di Mondovì.
17	»	»	Monsig. Antonino Piromalli, della diocesi di Mileto.
		»	Monsig. Giuseppe Rodolfi, medesima diocesi.
»	«	»	Monsig. Matteo Sardanelli, della medesima diocesi.
7	*Settembre*	»	Monsig. Alfredo Puccinelli, dell'archidiocesi di Lanciano.
5	*Ottobre*	»	Monsig. Giuseppe Borghino, della diocesi di Saluzzo.
		»	Monsig. Innocente Bastasin, della diocesi di Vicenza.
		»	Monsig. Francesco Grillo della diocesi di Avellino.
19		»	Monsig. Andrea Posch, della diocesi di Secovia.
		»	Monsig. Ottone Etl, della medesima diocesi.
		»	Monsig. Francesco Köhl, della medesima diocesi.
29		»	Monsig. Giovanni Battista Pessano, della diocesi di Savona.
26		»	Monsig. Martino Giovanni Schräder, dell'archidiocesi di Utrecht.
		»	Monsig. Pietro Gerardo Groenen, della diocesi di Haarlem.
		»	Monsig. Giovanni Pauri (Roma).
30		»	Monsig. Carlo Corvo (Roma).

Cameriere Segreto Soprannumerario di Spada e Cappa:

15 Ottobre 1933. Il sig. Alberto Hackelsberger, dell'archidiocesi di Friburgo in Brisgovia.

Camerieri d'Onore in abito paonazzo di S. S.:

3 Luglio 1933. Monsig. Francesco Fournier, della diocesi di Limoges.
13 » » Monsig. Stefano Bruell, della diocesi di Aquisgrana.
20 >r » Monsig. Giuseppe Olsina, della archidiocesi di Olomouc.
» » » Monsig. Ladislao Janea, della medesima archidiocesi.
21 » Monsig. Giovanni Battista Carissimo, della diocesi di Sezze.
2 Ottobre » Monsig. Ludovico Alfieri, dell'archidiocesi di Milano.
4 » » Monsig. Tommaso Ponte (Roma).
5 » » Monsig. Tommaso Castiglione, dell'archidiocesi di Milano.
» Monsig. Antonio Lattuada, della medesima archidiocesi.

Cappellani Segreti d'onore di S. S. :

27 Luglio 1933 Monsig. Giovanni Wimbeck, della diocesi di Gurk.

Cappellano d'Onore extra Urbem *di S. S.:*

15 Giugno 1933 Monsig. Anton-io Veyrunes Dubois, dell'archidiocesi di Santiago di Cuba.

NECROLOGIO

3 Novembre 1933. Monsig. Uberto M. Fiodo, Vesc. tit. di Prusiade.
20 » » Monsig. Ovidio Charlebois, Vesc. tit. di Berenice.

Annus XXV - Vol. XXV 31 Decembris 1933 Num. 18

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

I

INDEX GENERALIS ACTORUM

(AN. XXV — VOL. XXV)

II

ÍNDEX DOCUMENTORUM
CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

I. - ACTA PII PP. XI

IY. - LITTERAE APOSTOLICAE

V. - CHIROGRAPHUS

IV. - EPISTOLAE

VII. - **SACRA CONSISTORIA**

IX. - CONVENTIONES

IL - ACTA SS. CONGREGATIONUM

I. - SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

II. - SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

III. - **SACRA CONGREGATIO ORIENTALIS**

IV. - **SACRA CONGREGATIO CONCILII**

V. - **SACRA CONGREGATIO RITUUM**

VI. - SACRA CONGREGATIO CAEREMONIALIS

VII. - SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Iii. - ACTA TRIBUNALIUM

I. - SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

II. - SACRA ROMANA ROTA

IV. - ACTA OFFICIORUM

I. - COMMISSIO PONTIFICIA DE RE BIBLICA

II. - PONTIFICIA COMMISSIO AU CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

III

INDICES NOMINUM

I. - INDEX NOMINUM PERSONARUM

(OMITTUNTUR NOMINA ACTIS SUBSCRIPTA)

D

E

Q

R

T

U

T

IL - INDEX NOMINUM DIOECESIUM VICARIATUUM, ETC.

D

Ë

Q

R

S

T

III. - INDEX NOMINUM RELIGIONUM

IV

INDEX RERUM ANALYTICUS

A

B

C

D

K

L

M

Q

R

S

T

Quaedam corrigenda in vol. XXV (1933) Commentarii *Acta Apostolicae Sedis:*

Pag. 92, lin. 3, a calce, adde *S. Rzewnicki.*
» 306, » 13, loco eius quod est *idem Pontifex* lege *Summus Pontifex.*

v*

VIGESIMUM QUINTUM VOLUMEN
COMMENTARII OFFICIALIS *Acta Apostolicae Sedis*
ABSOLVITUR DIE 31 DECEMBRIS 1933
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

i } /